Junius, Franciscus

SACRORUM PARALLELORUM LIBRI TRES:

ID EST,

COMPARATIO locorum Scripturæ ſacræ, qui ex Teſtamento vetere in Novo adducuntur: ſummam utriuſque in verbis convenientiam, in rebus conſenſum, in mutationibus fidem veritatémq; breviter & perſpicuè ex fontibus Scripturæ S. genuináque linguarum Hebrææ & Græcæ conformatione monſtrans: & contra Atheos, Arianos, Judæos, Mahumediſtas, alióſque aſſerens ſimplicitatem Euangeliſtarum & Apoſtolorum CHRISTI.

PRIMO *libro continentur loci, qui in Euangeliis & Actis Apoſtolorum exſtant:*

SECUNDO, *qui in tredecim Pauli Epiſtolis:*

TERTIO, *Epiſtolæ ad Hebræos juſtus & methodicus Commentarius. His poſtremò accedit* APPENDIX, *ex ſcriptis reliquis canonicis.*

FRANCISCI IUNII Biturigis.

Editio tertia.

LONDINI,
Impenſis G. Biſhop.

15[illegible]


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DOMINO POTENTISSIMO, D. WILHELMO LANDGRAVIO HASSIAE, Comiti in Catzenelbogen, Dietz, Zigenheim & Nidda, &c. Domino clementissimo gratiam & pacem a Deo Patre, & Domino Jesu Christo.



BIANTEM Philosophum, Princeps illustrissime, interrogatum olim, quidnam in hac mortali vita vacaret metu, respondisse aiunt, Bonam conscientiam. Rectè id quidem ex luce naturæ, καὶ ἐν τύπῳ dictum: sed illud ipsum quod vacare pronunciavit metû, profectò est tantum, ut a nemine perfectè, nisi a Deo, fuerit expositum verbo cōprehenso libris Testamenti veteris & novi; & a nemine unquam rectè, nisi ab iis intellectum, quos lux cælestis per Spiritum æternum ejus ex documentis salutaribus verbi illius circumfulgens in veritatis notitiam & perceptionem deduxerit. Etenim sive ad Biantem illum, sive ad alium quemvis de prisco illo philosophorum grege sapientissimum apud suos habitum, cùmque purè ψυχικὸν (ut homo a natura est) respexeris; illa ipsa lux conscientiæ sola, adventitióque e cœlis lumine destituta, quam tantopere laudabant illi, tenebris deputanda est: quapropter homines in Scripturis sacris tenebrarum nomine donati sunt, & in tenebris umbráque mortis jacere prædicantur. Quòd si illum ipsum oculum mentis nostræ & lucem conscientiæ in tenebrarum numero poni necesse est; quantæ, obsecro, tenebræ (ut Christus arguit) futuræ sunt? Itaque homo quidem ipse quamdam veri & falsi a natura scientiam, justique injusti cōscientiam quodammodo in sese adumbratam, ac non expressam eorum formam, reipsa obtinet: sapientissimè verò Deus misericors & Pater luminis in rudibus illis crassisque scientiæ nostræ & conscientiæ lineamentis, quæ Deus in mentibus nostris (ut ita dicam) μονογράμμως, tamquam vestigia & reliquias tenueis priscæ illius suæ imaginis, conservari voluit, excitaturus de integro lucem, & instauraturus ex beneplacito voluntatis suæ, certissimam & inexstinguibilem rerum illarum omnium veritatem exposuit nobis: eáque instrumenta illius tradidit accuratissimè, quæ dispellendis tenebris, luci accendendæ, scientiæ tribuendæ, & purgandæ in nobis corrigendæque conscientiæ efficaciter conducerent. Docuit enim homines semper, & adhuc docet, intus quidem spiritu, foris autem verbo atque operibus; cùm illis communibus in natura rerum, creatione, sustentatione, & gubernatione universitatis hujus: tum singularibus in Ecclesiam ipsius, quam præsentia, virtute, & operatione quadam ἀνεκλαλήτῳ sanctificat, regit, protegitq; ad gloriā suam. Atq; hæc quidem singula testimonia divinitus oblata quicunque accipiunt salutariter, ii

fructum spiritus incredibilem, quamvis difficillimo miseræ istius vitæ curriculo agitati plurimùm, ex eis sentiunt in præsente seculo, & in futuro fruituri sunt. Sed quia nihil Satanas odit tantopere (prout a principio mendax & homicida est) quàm salutem hominum, eáque omnia quæ gratiosè ipsis ad salutem suppeditavit Deus: propterea neque salutem illam vel momento adhuc desivit oppugnare, quam nequit expugnare, neque illo tempore salutaria Dei opt. max. documenta impedire destitit, nec cruentis & exitialibus consiliis & institutis suis, si fortè prævalerent, aut apud homines in autoritate essent. Videmus enim quotidie, quàm solicitè & internas illas divini spiritus, & externas verbi operúmque illius testificationes ad singula quæque momenta conetur labefacere: aut si id non potest assequi (ut profecto non potest) obscuret obtegátque omnia densissimis mendaciorum fumis, & lucem illam conscientiæ, velut oculorum aciem, fascino quodam conetur præstinguere. Quicquid Spiritus Dei testatur intus, idipsum Spiritus malus effingit intus simulatione, πανουργίᾳ, & artificio maximo: séque ipsum transformat in Angelum lucis, ut exstinguat aut avertat lucem, quam accendit Deus. Quicquid verò foris aut verbo veritatis, aut operibus exhibet ad doctrinam nostram, id tum Satanas ipse armis infestis petit, tum per impios homines (quorum excæcavit mentes ne credant veritati) ignita tela πυρφόρα τε ejaculatur violentissimè: ut cœlum terræ misceat, viámque ad cœlum præcludat nobis: qui tamquam ad patrium æternúmque domicilium nostrum verbo Dei accersimur, dum in eodem per Christum (ut inquit Paulus) lavacro aquæ expurgamur. Demonstravit illud post omnem hominum memoriam communis seculorum omnium experientia: demonstrant omnes historiæ præsertim ex quo in hac temporum plenitudine Christus servator noster Euangelium gloriæ in mundi oculis explicavit: demonstrant nostræ hujus ætatis depravatissimæ cùm res omnes gestæ, tum dicta & scripta omnia: quæ si percurrere hoc loco instituerem, tempus me quidem citiùs quam oratio deficeret. Nam ut eas suas lutulentas & immundas taceam, quæ nihil nisi obgrunniunt Spiritus Dei sermonibus, eúmque nefariè cogitant exstinguere: ut etiam rabiosos illos & obscœnos canes omittam, qui singulis Dei operibus, in pravo hoc seculo potentissimè confectis atque perfectis, oblatrant impudentissimè: quotus quisque est, obsecro, qui amplissimum illum thesaurum Scripturæ sacræ, illum cœlestis scientiæ, justitiæ, ac vitæ indicem fidelissimum ea religione & fide qua par est reputet? dignitatem suspiciat ejus? veritatem colat? utilitatem degustet? necessitatem sentiat ex officio suo? Contrà verò adeò sunt miseri & turpes plerique homines & arcessendæ conciliandæque perditionis cùm suæ ipsorum, tum alienæ studiosi, ut prisci illius serpentis exemplo, impiis atque blasphemis mendaciis, malitiosè oppugnent veritatem Dei, in sua potiùs infirmitate conquiescant ultro quam in sufficientissima illa Dei gratia quę offertur verbo, & turpem ignorationem anteponant veræ & gloriosæ scientiæ: præcipuè quum ad scandalū & stultitiam crucis (ut vocant illi) attenderunt. Atque hoc quidem si ullo in argumento unquam usu venire vidimus; his maximè temporibus profectò accidit, quum de Testamenti veteris & novi comparatione & conformatione agi necesse est. Dedit enim Satanas, dátque operam diligentissimè, ut sanctissima illa Scripturæ membra, quæ Deus ad mutuam testificationem confirmationémque illius

illius per servos suos coagmentari voluit in Testamento novo, eadem ad eversionem,& infirmationem mutuam impietate summa & incredibili fraude queat abripere. Huic autem duci tam impio, ac potius latroni publico innumera volonum, stipendiariorum, imprudentium, & imperitorum agmina deserviunt, & suas singuli Satanæ, nonnulli etiam mutuas inter se operas commodant συναποκρίνοντες, & collusoriè aguntꝰut convellant authoritatem Scripturæ sacræ; hi universè, ex parte illi, prout in animum ipsorum Princeps hujus seculi induxerit. Scripturam totam Athei & Mahumedistæ petunt mendaciis: partem hanc Judæi, illam Anabaptistę & alii multi exagitant: membra Ariani vellicant indignissimè: omnes denique sic castra in orbem faciunt, ut ex omni parte augustissima illa arx & sedes veritatis, Scriptura inquam sacra, incursionibus & cuniculis infestetur vehementissimè. At quibus armis, Deus bone! Noverunt scilicet emissarii & administri Satanę, quod olim dicebat Hieronymus, Discidia nostra esse hostium nostrorum compendia: ac propterea maximo opere in illud incumbunt, ut gignant discidia in populo Dei, aut certè singant & mentiantur ea, ubicunque non possunt gignere. Hoc igitur consilio Scripturam ipsam Dei, quam Deus proloquutus est Spiritu, quam servis suis, ut actuariis publicis fidelibusque, dictavit conscribendam, quam ille ipse pacis & veritatis Deus summè commendavit Ecclesiæ suæ, quam denique ipsa naturæ lux, si bene attendas, evincit esse scriptionum omnium (ut Basilius loquitur) παναρμονιωτάτην, implicare tentant discidiis, & antilogias commentantur, quærentes in scirpo nodum. Plurima in Scripturis sacris ἑτερόφωνα esse criminantur. Gravissima sanè est hæc criminatio: sed quomodo probent, si placet, audiamus. Hujus ἑτεροφωνίας aiunt duas esse species: nam, alia esse ἐνάντια narrant, id autem est, ἐναντιοφανῆ, quæ illi contraria esse volunt, alia verò ἑτεροῖα, id est, ἑτεροχρώμονα, quæ illi contendunt diversa esse, & in Scripturis tamen confundi ineptissimè. Hæc arma, has artes, hæc μηχανήματα omnium quæ excogitari aut adhiberi possunt periculosissima, in perniciem hominum occupantur ab illis Satanæ administris, ut alii alios a veritate nefariè abstrahant. His utuntur Athei ad labefactandam Scripturam totam, & cognata horum propago Mahumedistæ: his Judæi ad Testamenti novi, his Anabaptistæ ad veteris authoritatem percellendam, subruendaque omnia abutuntur: nescientes & negantes illud quod olim sanctè & verè dixit Augustinus, Novum Testamentum esse complementum veteris, & vetus præsignificationem confirmationémq; Novi. Ac de Atheis quidē non ita fuissem crediturus unquā, nisi me tenellum adhuc ipsorum agmina summo discrimine salutis meę solicitavissent ante triginta annos, quum literis humanioribus operā in Gallia darem. Vidi enim puer, vidi jam eo tempore versutissimas illorū technas, & machinationes gravissimas, quum animæ imprudenti meæ facerent insidias periculosissimè. Isti enim non solum τὰ ἐναντιοφανῆ ὡς ἐνάντια gloriosè obtrudebant, quæ in Scripturis sacris affirmabant esse quamplurima; verumetiam ipsius Christi, Euangelistarum, Apostolorúmque (at quorum hominū!) sermones fermè singulos scriptáque carpebant τῆς ἑτεροφωνίας nomine quam antè diximus: eámque ut probarent arbitratu suo, acervatim proferebant ex vetere Testamento locos qui adducuntur in novo: garriebant res planè diversas in eum modum confusas esse: imperitè ab illis factum clamitabant: & fieri, a nobis impiè, qui autoribus & artificibus

cibus adeò imperitis fidem haberemus, retium magis quàm orationum concinnatoribus; quod pleráque antiquitas vidit, & visura sit posteritas. Hæc autem res inde ab eo tempore sic fodit & affecit graviter animum meum, ut nihil fermè tam desideraverim secundùm scripturam sacram, ex quo primùm sapere cœpi, quàm ut exstaret firmum aliquod solidúmque scriptum de hoc argumento; quod scriptum impias illorum voces compesceret, criminationes insanas dilueret, virulentiáque & venenosa tela elideret. De Mahumedistis verò quid dicturi sumus? qui, quum primùm a suo illo Pseudopropheta, teterrimæque illius impietatis principe, venenum, quod hodiè tam longè latéque diffunditur, animis imbiberunt, hoc consilio maximè studuerunt, ut iisdem ac illi artibus sacrosancta illa Dei oracula, quæ in Scripturis exstant, impunè certatimque ludificarentur; & hac quoque memoria nostra mercenarias quasdam operas in Christiano orbe redimunt diligentissimè, quæ hisce tam nefariis consiliis ministrent impietate & perfidia summa. Testis est insignis ille nebulo, qui ante sexdecim annos ad Turcos abiens spondebat eis se scripto quodam publico vanitatem, mendacium, & impietatem Apostolorum Euangelistarúmque, & totius Testamenti novi in oculis omnium expositurum esse: idq; vel unico hoc argumento solùm, quòd locos è Testamento vetere in suis scriptionibus illi adduxissent, contra quàm sibi olim Moses & Prophetæ ipsi voluerant. Qua inani fiducia Turci jamque sibi potiri omnium in hac Europa nostra videbantur. Judæos verò non indiligentiùs in opere iniquitatis laborare, ut Testamentum novum ex animis Christianorum deleant, res ipsa loquitur: quorum animis & sensibus horrent, fœtent, & sordent omnes eæ interpretationes, quas ex Testamento nouo solemus depromere ad veteris illius intelligentiam. De Anabaptistis, Arianis, & aliis, judicium idem. Sed quid opus est, tam multa extera adventitiáq; impedimenta comportemus, ad instituti hujus sermonis nostri confirmationem? Nam ut foris abundat Satanas administris, qui involant in hæc arma nostra, eorum aciem quàm maximè possunt adversus nos imprudenteis & incautos stringunt, indignissiméque isto mucrone abutuntur: sic etiam domi, intus, in nobis ipsis, proh dolor, reperit & habet modos non paucos, quibus eadem illa arma rapit frequentissimè, & vertit in perniciem nostram. Primùm indocti pariter ac docti omnes ex inscientia laboramus: deinde circumfluimus infirmitatibus: ac proinde per illam τὰ ἐναντιοφανῆ καὶ ἐπερόφωνα in Scripturis sacris legentes hebescimus, & ea conciliandi ac coagmentandi ignoramus viam; per hanc verò nec satis videre eas res possumus quæ ita in Scripturis se habere visæ fuerint, nec justam viam & rationem tenere, qua pervestigemus & consequamur certam aliquam earum intelligentiam. Accedit illis gravibus & deplorandis malis supina quædam indiligentia hujus ætatis nostræ; in qua plerique omnes partim veritatis neglectu, partimque crucis Euangelicæ & afflictionum metu a conquirendis rebus adeò necessariis & salutaribus socorditer abstinent, aut ignaviter refrigescunt: cùm tamen Christiani omnes, quo ampliùs vehementiúsque Satanam ad opus suum mysteriúmque iniquitatis promovendum fervere animadvertimus, eo studiosiùs, fideliùs ac diligentiùs dies & noctes in hoc Dei opus debeamus incumbere ad gloriam ejus & salutem nostram; conscii cum animis nostris summæ inscientiæ & infirmitatis nostræ, & non inscii pervicacissimæ diaboli, & satellitum

administrorúmque ejus in oppugnanda & divexanda Ecclesia Christi diligentiæ. De malitia verò & innata nobis vitiositate quid dicturi sumus? quæ tam altè radices egit in hac carne nostra, ut quamvis per gratiam Dei in Christo renovemur spiritu mentis nostræ, tamen non possit non exardescere quàm plurimis occasionibus, & ex radice amaritudinis úsque adeò sobolescere & luxuriari, ut omnes sanctæ de hac re cogitationes sylvescente maligna ista materia avertantur. Hæ omnes caussæ, quas hactenus enumeravi, Illustrissime Princeps, jam diu animum meum pupugerunt, stimulaverúntque. Quamobrem opus aliquod ejusmodi, ac potiùs (ut verum dicam) luculentius, quàm illud sit quale nunc in lucem visum est edere, ad communis Ecclesię bonum ut accuraretur & in publicum prodiret, percupivi: & communicatis sępè de hac eadem re consiliis & cogitationibus meis cum iis hominibus qui plus in hoc genere per eruditionem & commoditatem posse mihi videbantur, ostendi eis diligentissimè, quantopere hoc argumentum esset necessarium, & quàm utilis futura σύμμετρος καὶ ἁρμονικὴ ejus explicatio, cum veritate δὶς διὰ πασῶν (ut ita dicam) consentiens. Exspectavi diu, quamdiu potui, dum viri autoritate præstantes, pietate magni, eruditione summi, Zelóque flagrantes domus Dei in materiam hanc ingrederentur, & suas commentationes feliciter publico, Deo authore & duce committerent. Sed non profecit hilum diuturna ab illis exspectatio aut silentium meum. Tantum enim abfuit, ut homines illi mea illa aut cohortatione inarserint, aut exspectatione silentióq; adducti sint ad opus suscipiendum ejusmodi; ut contra nonnulli ex quibusdam paucculis annotationibus meis & disjectis huc illuc quasi tabulatis, de quibus inaudiverant, me ad συμπῆξιν hujus corporis bono animo jusserint pergere: suáque fide, sed periculo meo, in arenam hanc ferme protruserint. Nunc itaque tandem illorum voluntati parère cogor, & finem (quod felix & faustum) modúmque statuere cùm pudori perpetuo, tum anteacto silentio & taciturnitati meæ. Horum importunis flagitationibus plurimum momenti adjecit illud, quòd annus jam ferme decimus tertius agitur, ex quo tractationem hanc desiderari audivi a T.C. & probari consilium meum. Quapropter etiam, quum per illud tempus communi nostro, συνεργῷ inquam mei D. Immanuelis Tremelii, & meo nomine, ad certa quædam capita, qua T.C. huc ad nos perscribi curaverat, nonnullis de causis responderi de scripto oporteret, memini me, siquidem hic omnium cessaret opera, spem facere T.C. hujus argumenti: me aliquando, si Deus vellet, de hac re perscripturum esse, prout ex verbi divini fontibus didicissem. Vides jam, Illustrissime Princeps, quàm multa me huc pertraxerint: fides in Deum & Ecclesiam ejus, veritatis studium, mendacii & impietatis odium, prophanorum hominum & perditorum evictio, falsi expugnatio, veri propugnatio, imperitorum & infirmorum διόρθωσις, doctorum adjumentum, consentiens multorum judicium & flagitatio, obsequium denique sanctissimi consilii & religiosæ voluntatis tuæ. Atque hæc quidem singula ego tanti æstimo, ut nihil non extorquere ab homine pio & bono mihi videantur posse: quanto verò magis, si cuncta velut stipato ac pilato agmine incessant quemquam, & in eum injiciant manum? Sed de occasionibus hactenus plus satis. Nunc de fine summáque, & modo hujus scriptionis, nisi molestum est, dicemus paucis; postquam de materia ejus, ὡς ἐν παρόδῳ, præmiserimus paucissima. Subjectum igitur materiáque illa, qua de hic agitur, Chri-

stus

stus Jesus est, Dominus & Servator noster; est & Scriptura sacra, per Spiritum Christi in Ecclesia inde ab omni seculo pronunciata, suis temporibus gradibusque certis per fideles Dei servos & θεοπνεύστους consignata, & multifariam multisque vicibus a Deo contestata. Hujus partes diabolus studet committere, ut Dei veritatem, & salutem nostram, quam illa veritas sola credentibus, salutariter exhibet, amittamus. Etenim Testamentum vetus opponit Novo, utrumque corrumpit emendicatis, inanibus, & falsis interpretationibus; eas verò quæ bonæ, justæ, & sanctæ sunt ludificatur atque exagitat, ut mentes hominum abducat a luce & veritate illius. Quid multis opus est? Antiquus ille serpens, homicidii autor & mendaciorum pater, hac demum arte commodissimè sibi videtur posse efficere, ut vita & via quæ fert ad vitam intercipiatur hominibus intercludaturque. Christus vita est: via est Scriptura Christi. Hæc duo a se potentissimè confidit præripi humano generi & averti posse, si horum alterum vicerit; aut Scripturam secum pugnare ipsam, aut non satis convenire partem cum parte, neque doctrinam doctrinæ, locúmve loco admodum respondere. De contrariis nihil hîc dicimus: neq; enim est jam instituti nostri. De diversis agimus, de quibus gloriatur plurimùm: nam etiam id a nobis imprudentibus non raró assequitur propter ruditatem & inscientiam nostram, ut quasi amentatas hastas ex nostris interpretationibus expromat sibi ad subruendam optimi ac fidelissimi instrumenti illius dignitatem quod in Ecclesia deposuit Deus. Hic ergo finis ipse est quò spectabam in hac scriptione mea, quum eos locos Testamenti veteris, qui in Novo exstant, cum Hebræis authorum suorum verbis comparavi; ut adversus Satanæ τεχνολογήματα & πανουργήματα veritatem simplicitatémque eorum summè constantem & convenientem assererem, & corpus Scripturæ sacræ a furoribus τῶν ἀντιχρίστων religiosè vindicarem. Hoc enim si vinci a nobis & obtineri potest, os certè impietati vehementer obstruitur. Summa verò totius scriptionis nostræ est hæc: primùm eos omneis locos Testamenti veteris, qui ad probationem earum rerum quæ aguntur aut declarationem in Testamento novo adferuntur, ex proprio, germano & vero illorum sensu ac fine, citra violentiam aut injuriam ullam citatos esse: tum mutationes verborum, & membrorum ἀλλοιώσεις, si quæ in iis locis fortè compareant (ut fit) non temerè, leviterque, citra judicium, prætérque rationem, aut contra fidem fuisse factas: sed a prudentibus, certo judicio, ratione summa, & fide optima, quam ne Momus quidem (si exstaret) carperet: postremò autem non allusiones poni ab illis, aut a nobis in eis locis dici oportere; sed pernecessarias demonstrationes eorum omnium quæ Prophetæ olim Ecclesiis prædixerant: eásque demonstrationes & interpretationes cum authenticis Mosis ac Prophetarum verbis ἀναμαρτήτως καὶ ἀναντιῤῥήτως consonare. Deum immortalem, quæ piis mentibus consolatio, quæ confusio impiis parata & exposita est, si argumentum istud obtinemus, & arma illa quæ extorqueri nobis facilè putant adversarii, a nobis stare maximo ipsorum malo, si pergant, summóque bono, si credant, ostendimus! Id si assequor, bene est, benedictum sit nomen Domini Dei veritatis: sin minùs, id saltem me assequi confido posse, ut alteri præmonstrem ampliùs præstandi viam. Modum verò interpretationis quàm potuimus simplicissimum brevissimúmque, ac veritate Scripturæ conjunctissimum delegimus. Nam neque varias translationes, quibus

ætas

ætas nostra abundat, contulimus: neque multiplices multorum interpretationes sententiásque coacervavimus: neque authores earum ullo in loco exagitavimus; qua in occupatione triumphat & exultat multorum in hoc calamitoso seculo oratio: neque sermonis granditati, dignitati, ornatui, elegantiæ, majestati denique ῥητορεύοντες studuimus: sed materiam simplicem, brevémque, & veram in medium attulimus, & modo simplice exposuimus quæcunque ad propositæ materiæ intelligentiam pro instituto nostro visa sunt pertinere. Itaque primùm a nobis traditur parallela, sive παραλληλογραμμος eorum verborum exscriptio & comparatio, quæ habentur in utroque Testamento, vetere & novo: deinde probatur æquitas accommodationis institutæ, a communi fine, summa, & sensu locorum qui in Parallelo diagrammate exstant: postremò autem si quid adfertur contrà ad oppugnandam eam quæ agitur locorum accommodationem (quo in genere illas verborum aut membrorum commutationes, adjectiones, & detractiones censeri opus est) id placidè semper, & verè plurimùm, quoad ejus fieri potuit, ex verbo Dei, certísque & indubitatis documentis ejus refellitur: iisque non foris aut longè petitis, non ex rebus humanis, aut rationibus illis quas natura dictat; sed innatis atque insitis omnino locis. Innati autem & insiti maximè ii visi sunt, quos aut natura ipsa locorum de quibus agitur evidenter flagitat, aut earum linguarum commonstrat proprietas quibus hi aut illi olim conscripti sunt. Quapropter etiam mihi quidem non fuit multum & diu de inscriptione hujus operis cogitandum, & authores adhibendi; quandoquidem materia ipsa & forma totius operis, quam certo consilio indidimus ei, faciem ejus apertè καὶ ἀνυποκρίτως ostendat, & appellationem eam clara voce postulet quam toti libro tribuimus. Nam ex materia, SACRI loci; ex forma verò & ratione quam sequuti sumus, PARALLELI appellantur, simplice hac fronte simplicitatem universi corporis & singularum ejus partium sine fuco & fallaciis præferente. Hoc argumentum esse pernecessarium omnes vident, qui ratione & pietate valent, nostra hæc tractatio quàm sit futura utilis, aliorum judicium esto: cupio quidem certè, & opto a Domino, qui & studium jam olim, & effectionem in hoc tempore largitus est mihi gratia & benedictione sua. Istud autem quicquid est, nemini potiùs quàm T. C. deberi judicavi, Illustrissime Princeps, maximis de causis atque quàm plurimis. Nam primùm cùm mihi, tum bonis multis notum est T. C. in materia hac lubentissimè & religiosissimè solere versari, pro ea pietate quam jam diu in rebus sacris exhibuisti & præstitisti amplissimam: deinde hanc ipsam causam explicari ante multos annos desideravisti, ut qui videres optimè omnium, quanti hoc in Ecclesiis Christi censeri oporteat, & quanti intersit his modis tyrannidem Satanæ potestatémque tenebrarum a piis debellari: tum uni alicui de numero nostro monitor & autor fuisti, quum ad Illustrissimum Principem sanctissimæ memoriæ, D. FRIDERICUM III. Electorem, Palatinum Comitem, &c. Dominum meum gratiosissimum ante annos duodecim rescriberes, ut scriptio hæc a nobis cogitaretur, institueretúrque ad gloriam Dei, & catholicæ Ecclesiæ οἰκοδομὴν τὴν ἐν πίστει: postremò autem hanc lucubrationem meam, qualiscunque est, eodem fermè tempore me spondere memini T.C. si per Dei gratiam ad finem aliquando perduceretur studio & labore meo. Quod igitur tunc feci, idem nunc meritò ac potiùs jure facturus mihi videor, si T.C. ad patrocinium hujus

operis τῇ προσφωνήσει appellavero. Tuæ itaque C. hoc meum opus, Illustrissime Princeps, qua fide & reverentia possum προσφωνῶ & dedico: orans humili demissóque animo, & contendens precibus a T. C. ut hoc meum literarum munusculum optima fide & religioso animo satum in arvo Domini ad cômodum ipsius, & T.C. oblatum humiliter, gratiosè dignetur accipere; ut perpetuum documentum mei in sanctam Ecclesiam studii, pignúsque promtissimi illius obsequii, quod hac tenui quidem, sed tamen certissima animi mei & voluntatis significatione oblatum C.T. & dicatum volo: quemadmodum hæc mea scriptio palàm apud omneis nunc, & in posteritatem pronunciat.

Illustrissime Princeps, Domine clementissime, Deum oro & Patrem Domini nostri & Servatoris Jesu Christi, ut T.C. quàm diutissimè servet incolumen, & magis ac magis augeat e cœlo benedictionibus, consiliáque, studia, & actiones omnes moderetur & secundet prolixissimè ad gloriam sui nominis & Ecclesiarum in Germania hac & Europa tota ædificationem. Amen.

T. Celsitud.

Servus studiosissimus & obsequentissimus

FRANCISCUS JUNIUS.

INDEX LOCORUM VETERIS TESTAMENTI,

QUI IN NOVO EXSTANT ET IN PARALLELIS DIAGRAMMATIS vel comparationibus adducuntur.

GENESEOS.

EXODI.

LEVITICI.


8.

1591

Ad Lectorem.

ATria Dædalii (Cretis quod dicitur) antri
Irremeabilibus structa fuere dolis:
Unicus Ægides ducentia fila sequutus
Gnossiadis, fallax inde relegit iter.
Ast majore latent ambage Palatia sacra,
Et mage perplexum est Relligionis iter.
Quilibet Icariis hæc atria nixus ut ausis
Detegere, implicito substitit usque pede.
En quid ages? num fila tibi Minoïa nectes,
Possis hos felix ire redire sinus?
Quin capito hoc linum, quo janua Relligionis
Sponte patet, sacras hoc retegente fores.
Federa quicquid habent diverso syrmate sacra,
De quibus est doctis lis dubiúmque viris:
En tibi legitima scripto brevitate libello
JUNIUS *in certum contulit omne caput.*
Hæc tibi monstrabit cæcos Ariadna meatus,
Ne dubio teneas tramite, LECTOR, *iter.*

JOH. POLYANDER. M.



SACRORUM PARALLELORUM LOCORUM

LIBER PRIMUS.

PARALLELUS PRIMUS.

1.Chron.1.	*Matth.1.*
34 *Genuit ergo Abraham Isaacum: filii verò Isaaci, Esau & Israël.*	2 Abraham genuit Isaacum, Isaac autem genuit Jacobum.
1.Chron.2. 1 *Filii Israëlis, Ruben, Simeon, Levi, & Juda, Issacar, & Zabulon,* 2 *Dan, Joseph, & Benjamin, Nephthali, Gad, & Aser.*	Jacob autem genuit Judam & fratres ejus.
4 *Thamar verò nurus Judæ peperit illi Pharezum & Zaram.*	3 Judas autem genuit Pharezum & Zaram e Thamara.
5 *Filii Pharezi Esron & Chamul.*	Pharez autem genuit Esromum,
6 *Filii Esronis, qui editi sunt ei, Jerameel, & Ram, & Celubai.*	Esrom autem genuit Aramum,
10 *Ram verò genuit Aminadadum, & Aminadab genuit Naassonem principem filiorum Judæ.*	4 Aram autem genuit Aminadabum, Aminadab autem genuit Naassonem.
11 *Naasson autem genuit Salman, & Salma genuit Boazum.*	Naasson autem genuit Salmonem.
12 *Et Boaz genuit Obedum, & Obed genuit Jesse.*	5 Salmon autem genuit Boozū e Rachaba, Booz autem genuit Obedum è Ruth, Obed autem genuit Jesse.
13 *Jesse autem genuit primogenitum suum Eliabum, & Abinadabum secundum, & Simeam tertium.* 14 *Nathanaëlem quartum, Raddeum quintum.* 15 *Ozemum sextum, Davidem septimum.*	6 Jesse autem genuit Davidem Regem.

IN recensione sancti hujus generis tres classes temporum à Matthæo statuuntur, ex quaternis denis capitibus vel personis singulæ. Prima classis, ab Abrahamo ad Davidem usque protenditur; & tessaradecadem patrum complectitur qui fide in Christum amplexati Prophetarum promissiones, coluerunt terrenam hæreditatem, & ceremonias, legémque universam Dei, antequam regnum tribui Jehudæ promissum

 exhiberetur

exhiberetur in domo Davidis. Secunda classis à Davide Rege (ut de industria Matthæus nominat) ad Jeconiam pertinet; exponitque eorum tessaradecadem, quibus præter attributam majoribus prophetiam sacerdotiúmque legitimum, fuit quoque regnum per Dei gratiam in domo Davidis exhibitum, velut pignus certissimum, typus aspectabilis, & particula quædam regni spiritualis Christi. Tertia denique majores Josephi à Jeconia ad Christum usque ordine pertexit, qui amplissimis prophetiarum monumentis freti acquieverant per fidem in minutis sacerdotii sancti & angustissimis præcedentis regni reliquiis; itaque sustentati fide, in exspectatione Christi, usque ad illam temporum plenitudinem qua advenit Christus, permanserunt. Atque hanc distributionem in trium Parallelorum dispositione sequuti sumus. Comparamus autem ea quæ 1. Chronic. primo & secundo cap. scripta sunt cum Matthæi verbis: tum quia utrumque compendium est genealogicum ex historia Testamenti veteris collectum, tum quia ad finem eumdem respiciunt. Nam quemadmodum volebat Ezras revertenti Ecclesiæ summam descriptionem illius gentis consignare, cujus promissiones erant, tabulæ federis, lex, prophetia, sacerdotium, regnum, & cuncta promissionum pignora; ut ad Jesum Christum, tanquam ad corpus eorum, prospectaret: Sic etiam Euangeliographus eamdem genealogiam ad Zorobabelem usque persequens, pios ad notitiam præsentis Christi, perceptionémque vocat, demonstrata in eo rerum anteactarum dictarúmque omnium veritate; nominatim verò generis illius cui fuerant promissiones factæ. Ratio in Parallelo sequente commodiùs explicabitur. In hac porrò locorum comparatione & toto diagrammate singulis membris optimè inter se convenit: nisi fortè alicui dubitationem moverit, quòd uno loco Israël & Ram, altero Jacob & Aram nominantur: fuit verò uterque binominis. Ac Jacobo quidem Israëlis nomen vel potiùs agnomen à Deo fuit impositum, quemadmodum narrat Moses Genes. 32.28. & 35.10. Ram verò & Aram nomen est unicum, si rem ipsam spectes: sed hoc AEgyptiorum Syrorúmque est, illud Hebræorum proprium. Cætera plane sunt eadem: quamobrem ad alia properabimus.

PARALLELUS II.

1. Chron. 3.	Math. 1.
5 *Hi autem editi sunt Davidi Hierosolymis, Simea, & Sobab, & Nathan, & Solomo: quatuor Bathsuæ filiæ Ammielis.*	6 David autem Rex genuit Solomonem, ex ea *quæ fuerat uxor* Uriæ.
10 *Filius autem Solomonis Roboam, Abia filius ejus, Asa filius ejus, Josaphat filius ejus,*	7 Solomon autem genuit Roboamum, Roboam autem genuit Abiam, Abia autem genuit Asam,
11 *Joram filius ejus, Achazia filius ejus, Joas filius ejus,*	8 Asa autē genuit Josaphatum, Josaphat autē genuit Joramum, Joram autem genuit Oziam.
12 *Amazias filius ejus, Azarias filius ejus, Joatham filius ejus,*	9 Ozias autem genuit Joathamum, Joatham autem genuit Achazum, Achaz autem genuit Ezekiam,
13 *Achaz filius ejus, Ezekias filius ejus, Manasse filius ejus,*	

14 *Ammon*

14 *Ammon filius ejus, Josias filius ejus,*

15 *Filii autem Josiæ, primogenitus Jochanan, secundus Joakim, tertius Sedekias, quartus Sallum:*

16 *Et filii Joakimi, Jeconias filius ejus, Sedekias filius ejus.*

10 Ezekias autem genuit Manassem, Manasses autem genuit Ammonem, Ammon autem genuit Josiam,

11 Josias autem genuit Jeconiam & fratres ejus, *qui fuerunt* tempore deportationis Babylonicæ.

IN utraque hac narratione finis proximus est, ut regni Davidici continuatio proponatur in Ecclesia Dei: summus, ut ex hac continuatione ostendatur successionem regni tandem ad Christum pervenisse, in quo positum est omnium promissionum Dei complementum; quorum finium priorem Ezras attingit maximè, ad posteriorem verò Mattheus in hac recensione properavit. Itaq; status communis est & summa utriusque loci, regnum quod antè Davidi purè fuit attributum, etsi translatum est à Schelomonis gente ad Nathanis posteros (ut ἀρδογράμμως ostendit Lucas) tamen in domo Davidis perstitisse. Quibus ex rebus conficitur Christum, qui secundùm carnem natus est ex Maria virgine filia Davidis, à natura esse filium Davidis & Abrahami, ex jure etiam temporali hæredem, & ex veritate atque complemento Regem sempiternum Demonstrantur ista cùm ex narrationis utriusque forma, tum ex aliorum scripturæ locorum comparatione. Nam etsi utrobique series gentis illius, ex qua Christus secundùm carnem natus est, exponitur: id tamen verba utroque in loco commonstrant evidentissimè, nempe magis hic legitimæ successionis in regnum, quàm naturalis geniturae rationem fuisse habitam. Quapropter apud Ezram Sedechias propterea filius Jechoniç vers. 16, appellatur, quia huic successit in regnum, cùm tamen naturæ ordine patruus hujus esset. apud Mattheum verò omittuntur tum 8. versu, tū etiam 2. sequentibus, Regum quorundā nomina, quæ ex ἀντιστοίχῳ Ezræ loco facilè suppleri possunt. Quæ nomina his de caussis omissa fuisse judicamus: primùm quòd Mattheus ad 1 scopum illum summū (ut antè diximus) de Christo demonstrando properaret: secundò, quòd genealogiam hanc omnibus etiam imperitis 2 videret esse cognitam, aut certè in omnium oculis ex quam plurimis & evidentibus scripturę locis expositam: postremò autem quòd certum numerum capitum ex æquo in classes singulas referendum putaret, ut 3 memorię piorum esset adjumento; quod consilium ipse attingit, dicens, *Universæ igitur progenies ab Abrahamo ad Davidem usque sunt progenies quatuordecim*, &c. vers. 17. Mutationes autem quę in hunc locum incidunt, non sunt ejusmodi, ut dubitationem gravem commovere possint. Nam primùm si ad propria nomina respiciamus, idem est Ozias & Azarias: fuit enim binominis, & sic utroque nomine in uno & eodem capite appellatur sæpius, 2. Reg. 15. Cętera inter se conveniunt, si hoc tantùm animadverteris: propria Hebręorum nomina ad linguas exteras migrantia plerumque corrumpi unius literæ aut syllabę permutatione. Restant dubitationes quædam, quas hoc loco eximi paucis necesse est. Prima est, quid sibi velit, quòd Sedechias filius Jechoniæ appellatur. Resp. Jechoniæ filium non fuisse ullum, qui regnum ab ipso obtinuerit, ostendunt hæc verba Jerem. 22. 30. *Sic ait Jehova, scribite virum istum carentem liberis fore, virum non prosperaturum in diebus suis*, &c.

Proinde filius naturalis hujus Sedechias verè non potest appellari, aut ullus alius: ut Ambrosius in Lucam optimè colligit. Filium ergò Sedechiam dici oportuit, aut adoptione, aut successione in locum filii. Adoptione filius esse non potuit, cùm patruus fuerit Jechoniæ, eóque senior: sequitur ergò propter successionem in jus regni Sedechiam in Chronicis Jechoniæ filium appellari. Secunda quæstio est, quomodo
2 Josias genuisse Jechoniam & fratres ejus a Matthæo dictus sit, cùm hic Jechonias fratribus siue germanis sive uterinis caruerit. Resp. Josias tanquam avus nepotem mediante patre, Jechoniam gignere dicitur. Genuit enim Josias, Jojachimum, Jojachim verò Jechoniam; cujus fratres non leguntur quidem germani exstitisse, sed intelliguntur patrui atque agnati ex Josia Rege descendentes. Sic enim fratrum appellatione propinqui omnes & sanguine juncti notari solent: ut Gen. 13. 8. & 20. 12. & 29. 15. & Sedechias ipse, Jechoniæ frater, quamvis patruus esset, appellatur 2. Chron. 36. 10. Tertia quæstio est, cur illi à Josia di-
3 cantur geniti in deportatione Babylonica. Resp. Solvitur hæc quæstio commoda loci hujus apud Matthæum interpretatione, si ἔλλειψιν statueris Græci articuli, in hunc modum: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, hoc est, Josias genuit Jechoniã & fratres ejus, *qui fuerunt* sub tempus transportationis Babylonicæ. Nam hac ellipsi recepta (est autem apud autores probatos quosque, & in Testamento novo frequentissima) neque Josias eo tempore genuisse dicitur, qui jam diu obierat: neque fratres Jechoniæ in deportatione vixisse dicuntur, cùm omnes agnati ejus essent vita functi: sed tantùm eo tempore dicuntur posteri Josiæ exstitisse, quo cœpit misera illa in Babyloniam deportatio; quod veritate historiæ in libris Regum & Chronicorum ostenditur.

PARALLELUS III.

1. Chron. 3.	Matthæi 1.
17 *Filii verò Jeconiæ captivi, Salathiel filius ejus:* 18 *Et hujus Malciram, & Pedaja &c.* 19 *Filii verò Pedajæ, Zorobabel, & Semei.*	12 Post deportationem verò Babylonicã Jeconias genuit Salathielem, Salathiel autem genuit Zorobabelem.

Quæ de fine & summa utriusque loci apud Esram & Matthæum, in præcedente parallelo à nobis dicta sunt, ea communi jure ad hunc quoque locum pertinent. In accommodatione verò videntur hi autores duo planè inter se consentire, si hoc exceperis: quòd Ezras Zorobabelem filium Pedajæ fuisse dicit, Matthæus verò à Salathiele genitum. Utrumque autem verum est ea ratione quam antè ostendimus. Nam Zorobabel fuit Pedajæ filius, & Salathielis nepos, ac proinde ab utroque genitus, à patre quidem in gradu proximo, ab avo autem Salathiele mediatè in secundo gradu. Quanquam id certissimum est, nusquam nisi in hoc Chronicorum loco à sacris scriptoribus Zorobabelem filium Pedajæ appellari, sed ubique Salathielis; quod eò factum esse ab Ezra & Haggæo Propheta judicamus, quia hæc ratio fuit per illud tempus expeditissima, qua assereretur συντόμως justa

Zorobabelis

Zorobabelis in regnum successio per Salathielem avum, & primaria dignitas penes gentem illius ex confessione omnium permaneret. quā rationem eo diligentiùs Matthæus observavit, quòd ei cum numero generationum conveniret, quem memoriæ juvandæ causa statuerat. Ac mutatio quidem in his duobus locis nulla videtur esse, quæ dubitationem legenti afferat. Sed una quæstio oboritur ex Lucæ comparatione cap.3. ubi Salathiel non Jechoniæ, sed Neri ex Nathane filius appellatur. Responsio est, Utramq; enunciationem veram esse, sed unam propriè dici, alteram figuratè. Propriam enunciationem hic dicimus, qua pater vel filius appellatur qui pater vel filius à natura est, secundùm generationem quam vocant naturalem: figuratam verò, qua pater vel filius appellatur, qui non secundùm naturam pater vel filius est, sed qui secundùm jus in locum venit patris vel filii, arrogatione, adoptione vel subrogatione legitima. Secundùm propriam illam significationem *Salathiel filius Neri à Luca appellatur, qui filius fuit Malchi, filii Addi, &c.* ex posteris Nathanis filii Davidis, ut eo loco recenset Lucas. Secundùm verò figuratam illam enunciationem, Zorobabel dicitur Salathielis filius, vel Salathiel Zorobabelem genuisse: quia filius Salathielis est, non natus, sed (ut ita dicamus) filiatus, non generatione naturæ, sed fictione & repræsentatione juris. Hæc autem fictio sive repræsentatio utrùm à Jechonia per arrogationem vel adoptionem facta sit; an verò vigore (ut loquuntur) perpetuæ legis ad regnum pertinentis, minimè laboramus : tùm quia hoc disertè scripturis sacris explicari non meminimus, tùm quia satis est, ut legitima probetur surrogatio, quòd eo tempore intercidit tota Schelomonis proles, ac proinde successio in regnum & quasi filiatio ad Nathanis posteros translata est, ut non obscurè indicat Zacharias 12.12. In his autem Nathanis posteris penes Salathielem principatus fuit : à quo ad Zorobabelem devenerat, quum Judæi edicto Cyri patriam suam repeterent.

PARALLELUS IIII.

Esai.7.	Matthæi 1.
14 *Ecce virgo quædam concipiet pariètque filium, & vocabis nomen ejus Emmanuelem.*	23 Ecce virgo illa uterum feret & pariet filium, vocabúntque nomen ejus Emmanuelem; quod est si interpreteris, nobiscum Deus.

HUjus utriusque loci finis quidem in speciem diversus est : sed tamen re ipsa convenientiam inter se maximam habent illi, vel potiùs unum sunt fine & argumento. Nam finis utrobique communis est, ut pii certissimam habeant notam, ex qua filium Dei, Immanuelem nostrum, ab hominibus cæteris queant dignoscere inde à conceptu & ortu ipsius secundùm carnem. Alioqui non est negandum hunc eundem finem toti humano generi propositum aliis ad offensionem & ruinam esse, aliis ad salutem & resurrectionem, Luc.2.34. & prædicationem illius his esse odorem mortis ad mortem, illis verò odorem vitæ ad vitam, 2.Cor.2.16. Quapropter etiam peculiaris quidam finis in utroque loco proximè objectus videtur esse. Nam apud Isaiam videtur hoc signum quasi exprobrari in os Regi Achaz & familiæ ejus, ut amplificetur perfidiæ vel infidelitatis illorum indignitas, quòd tam

certis & singularibus Dei promissionibus non acquiescerent; ac proinde obsignari familiæ illius condemnatio. Apud Matthæum verò finis proximus quàm plurimùm ab illo dissidet. Nam pertinuit ad confirmandum sive Josephum, sive Ecclesiam totam de veritate promissionum Dei & jam jam adveniente illarum complemento. Itaque summa vel argumentum est (ut duobus versibus antè angelus pronuntiaverat) virginem Mariam Davidis filiam concepisse ex Sp. Sancto, & parituram esse filium Immanuelem nostrum, qui liberaturus sit populum suum ex peccatis ipsius: quod Dei veritas olim prædixerat. Ac in re quidem atque accommodatione nihil difficultatis est, cùm æquè verbis atque rebus ipsis inter se conveniat. Unum in verbis discrimen videtur esse, quod Hebræum verbum in plerisque exemplaribus plura-
1 li numero redditur, *Et vocabunt*, pro eo quod est, & vocabitur; prout Hebræorum idiotismum exponi necesse est, & optimè exponit Arabs. Atque hunc in modum pleraque antiquitas legisse videtur, Iustinus Martyr in Trypho. Chrysostomus Homilia 12. in Joannem, Epiphanius in Anchorato, Augustinus lib. 1. De consensu Euangelistarum & alii. Esaias verò voce ambigua utitur generis quidem fœminini, sed quæ tamen tam secundæ quàm tertiæ personę aptari potest; quomodo Hieronymus accepit ad Pammachium scribens, & quam plurima ejus formę verba in eam sententiam afferri possunt. Itaque sive legere placuerit, *Et vocabis nomen ejus*, quasi oratione ad virginem conversa, sive *Et vocabit*, quasi perpetuo narrationis cōtextu sine ulla mutatione personę; non magni interest: quemadmodum etiam in medio relinquimus utrùm potiùs καλέσεις, vel καλέσουσι, vel καλέσει legas ex veterum exemplarium fide. Nam utcunque legas, idem semper est argumentum. Hic
2 verò quæstiones duæ oriri possunt. Una, cujus verba illa dicantur esse? utrùm Euangelistæ, an verò Angeli? Altera, utrùm propriè & necessariò, nec ne, designetur virgo Hebrææ vocis appellatione? Ad priorem quod attinet, plerique omnes putaverunt Matthæi orationem esse versu 22. & 23. qua oratione demonstrare Ecclesiæ voluerit revelationem Angeli cum revelatione Prophetę jam olim facta eamdem esse, & quasi antiquam illam prędictionem cum pręsente complemento ab Euangelista conjungi. Sed tamen (quod bona omnium pace dixerim) hi duo versus videntur mihi ad orationem Angeli pertinere. Quę res ut meliùs intelligatur, opus est observari totam Angeli orationem, & occasionem illius. occasio fuit, quòd Josephus vir justus voluerit Mariam, ut erat gravida, dimittere: hoc consilium oppugnat Angelus oratione sua, quę tota in dissuadendo versatur. In hac oratione partes pronuntur duæ, propositio, & confirmatio, binis versibus. In propositione vers. 20. & 21. insunt βουλὴ καὶ αἴτιον, consilium & causa illius. In confirmatione autem ver. 22. & 23. authoritas verbi divini adducitur. Totam hanc orationem præmunit Angelus blanda Josephi appellatione, *Ioseph fili Davidis*: quo exordio animus illius ad docilitatem & fidem cōparatur. Consilii autem, quod Josepho proponit Angelus, hæc sententia est; quòd tu, Joseph, alienam uxorem non vis attingere, quòd puellam honestam aliena fortè (ut suspicaris) culpa gravidatam non vis traducere, justè id quidem, atque humanitèr; sed ne metuas: hæc uxor tua, non aliena est, non gravidata suo aut alterius vitio, sed Dei beneficio; hîc justitiam illam tuam temperari oportet fide & promissionibus Dei jam olim domui Davidis factis, cùm tu filius illáq; filia Davidis sitis. Cōsilio

subnectuntur

subnectuntur causæ: Prima à lege matrimonii, Nam *uxor tua est* ex facto & sponsaliorum jure: Secunda, à graviditatis effectore, *Nam quod in ea genitum est, ex Sp.sancto est:* Tertia, à conditione fœtus, *Pariet autem filium,* &c. vers. 21. Hic certè opus habuit pius ille Joseph cõfirmatione, si quisquam alius: & quamvis non parum ad confirmationem facere videretur conspectus Angeli, tamen potuit scrupulus iste animum Josephi incessere, quomodo Deus hoc promissum semen traditurus esset: quem scrupulum ab ipsa quoque virgine Maria prolatum fuisse legimus Luc. 1. 34. Hanc ergò dubitationem Angelus diluit secunda orationis parte; confirmans non esse hoc inauditum, aut alienum à piis mentibus, sed potiùs tum de persona, officio, & beneficiis Messię fuisse prophetata quęcunque antè dixerat, tùm de hoc ipso divino conceptionis & generationis modo. Hæ causæ me impellunt ut authoritatem hanc prophetæ ab Angelo putem adductam esse. Alteram quęstionem Judæi commoverunt, affirmantes nomen Hebręum propriè non significare virginem; quin potiùs eo in loco de uxore Prophetę accipi oportere. Ad utrumque paucis respondemus, hoc modo: Hebræam vocem propriè denotare puellam virginem, ostendit non solùm illius etymon, verùm etiam omnium Scripturæ locorum comparatio. Etymon: nam nomen *Halma* ducitur à verbo *Halam*, quod est abscondere, quia significatur puella quæ sub aliena potestate custodiáque delitescit, neque in conspectum virorum facilè prodire solet: quemadmodum constat priscis illis & pudicissimis seculis virgines ita fuisse habitas, ac ne ipso quidem nuptiarum die in publicum retectas processisse. Quo ex more factum est, ut qui dies sequebatur nuptias, etiam apud Græcos, non admodum bonos pudicitiæ custodes, dies ἀνακαλυπτηρίων vel ἐπαυλαίων dicitur: eodemque modo παρθένον Græcis fuisse dictam Tzetzes in Hesiodum testis est. Locorum verò comparatio omninò à nobis facit. Nullus enim in sacris scripturis exstat, qui vel in speciem aliter quàm de virgine explicari possit; si unum acceperis, de quo triumphat Judęorum impietas Proverb. 30. 9. Scortum impudens, aiunt illi, à Solomone appellatur *Halma*: non est igitur *Halma* (ut putatis) virgo. Respondeo, Et vir nequam interdũ appellatur bonus, sed εἰρωνικῶς. Nam res omnes in scriptura ex vulgi usu duobus modis appellari solent: alię quidem ἀληθῶς ἢ κατὰ τὴν τῆς οὐσίας ἀλήθειαν, id est prout res ipsæ sunt ex veritate; sive propria, sive translata sint earũ nomina: alię verò ἐνδόξως vel δοξαστικῶς, id ēst, ex opinione: sive quòd ita habeantur, quamvis non ita sint; sive συγχωρητικῶς, quòd ita haberi velint: quemadmodum idola gentium, magi, & gastrologi appellationem Deorum vel sapientum obtinent, cum nihil sint minus, quàm quod dicuntur esse. Eodem modo accipiendum est puellæ nomen in eo Proverbiorum loco: quod nemo Judæus aut ullus infensissimus Euangelicę veritatis adversarius negaverit, si attendat ad Sapientis verba. Nam postquam dixit, *Tria ista occulta sunt à me, imò quatuor hæc non novi: viam aquilæ in cælo, viam serpentis in rupe, viam navis in alto mari, & viam viri in virgine.* Si roges qua virgine? obsecro, audiamus Solomonẽ ipsum hoc genus virginũ explicantem sequente versu: *Ita est,* inquit, *via mulieris scortantis, comedit, deinde absterget os suum; tum dicit, non sum operata iniquitatem,* id est, puella virgo sum, à viro intacta. His certè verbis demonstrat Solomo evidentissimè, eam à se nominatim perstringi, quæ se impudenter affirmat virginem, ac proinde humana opinione habetur virgo. Iniquè fit

igitur, quum figuratum loquendi genus adducitur, ut convellatur propria hujus nominis significatio. Alterum argumentum, quod Judæi afferunt, est, Hunc Esaiæ versum de uxore ipsius accipi oportere. Id duabus rationibus sibi videntur confirmare: una, quòd alienum videatur, signum tam remotum longóque intervallo eventurum ad rei paulo pòst futuræ confirmationem adhiberi: altera, quòd de filio suo Searjasub propheta loquitur in eo capite, ac proinde verba hæc de matre illius prophetissa vel uxore prophetæ accipi oporteat, præsertim cùm exstet illius mentio 8. capite. Nos verò de uxore prophetæ accipi negamus oportere: ac propterea commentitias ipsorum rationes rationibus certis labefactabimus, & authoritate scripturæ. Dicunt igitur alienum esse, si longinquum signum ad rei propinquæ confirmationem adhibetur. Negamus, & absurdum esse, si quando ita fiat; & hoc loco ita factum esse. Non esse absurdum, si rei propinquæ longinquum adhibeatur signum, exempla scripturæ commonstrant quàm plurima. Signum calamitatis jam ingredientis prænunciatur in futurum sacerdoti Eli, 1. Sam. 2.34. Signum Sedechiæ & Achabo Regi in futurum statuitur, 1. Reg. 22. 25. & 28. Similiter nuncio illi quem Ioram Rex Israelitarum ad Elisæum ablegaverat, 2. Reg. 6. 35. Propheta quoque Jeremias futurum signum Judæis in AEgypto commorantibus prænunciat, Ierem. 44. 30. Denique, ne longiores simus, Deus ipse statuit eventa esse prophetiarum signa, Deut. 18. vers. 21. & sequente, quam legem Jeremias Propheta sibi quoq; dixit 28. cap. Vincimus ergo non esse alienum, si rei propinquę aut præsentis signum in futurum trahitur. Ad alterum ut veniamus, non esse ita in hoc loco factum, demonstrat totus Prophetæ contextus evidentissimè. Non enim conceptio & nativitas Christi, ut signum proprium temporariæ illius liberationis quam prædicebat Esaias, adducitur; sed Searjasub Esaiæ Prophetæ filius singulare fuit ac proprium illius liberationis signum: quam ob rem Deus mandaverat ut hunc Propheta secum ad Regem abduceret. Vt igitur rem planè & apertis verbis declaremus, duo signa ab Esaia in illo capite afferuntur: unum ad revincendam Achazi & Judæorum infidelitatem pertinens, alterum ad promissum liberationis confirmandum. Ad evincendam & increpandam infidelitatem pertinet commune illud signum & promissio de Christo & servatore nostro. Ad confirmandam liberationem pertinet pueruli Searjasubi pigneratio. Prius signum versu 14. Esaias pronunciavit in hanc sententiam: Qua conscientia, ô Rex, promissionibus Dei potes diffidere? repudiare oblata signa? Deumque magis ac magis fatigare? nónne Deus inde à principio dedit Ecclesiæ signum de semine mulieris & filio virginis, in quo benevolentia ejus & fides nostra conquiescant, omnésque promissiones Dei sint etiam & amen ab æterno. Imò nónne vobis, ô domus Davidis, nominatim facta est illa promissio, ut ab ea in rebus communibus & singularibus pendeatis? Quòd si hæc promissio non excitat fidem vestram, saltem infidelitatem obsignatura est, & Deus propter suam veritatem hanc liberationem præstiturus: sed ea lege, ut tua infidelitas tibi constet magno, pro ut sub finem capitis exponitur. Ad promissum liberationis confirmandum Esaias statim subjicit 15. versu; Veruntamen ut noveris quàm securo sim animo de propinqua illa liberatione, en tibi charissimum pignus meum, Searjasubum puerulum meum, hunc ego oppono pignori, & dedo atque addico tuo arbitratui, nisi hæc omnia quæ de salute populi nostri & Syrorum Jsraëlitarúmque

rúmque clade prædiximus, brevi acciderint. Hanc prophetiæ seriem qui animadverterit, videbit falsum illud esse quod à Judæis objicitur; neque tam longinquam afferri, ut illi volunt, rei propinquæ significationem. Ex his quoque altera illorum ratio quasi ultro videtur corruere. Agitur, inquiunt, de Searjasudo Phrophetę filio, ergò & de matre illius. Resp. Ex particulari universale minimè sequitur. si uno aut altero, pluribúsve in versibus de illo agitur, continuò non conficitur id unum esse totius capitis argumentum. Præterea constat plura esse illius orationis, quam Esaias habuit, argumenta. Deinde verò, ut in hoc ipso argumento subsistamus, indignum fuerit à Propheta uxorem suam virginem, aut (si ita placet) puellam appellari, ut quæ jam liberos ex eo peperisset: sed illud profectò omnium indignissimum, quòd filio suo imposuisse nomen Immanuelis dicitur, qui posteà 8. cap. tum promissæ terrę Dominus appellatur versu 8. tum ea potentia & sapientia instructus dicitur, ut ipsius consilium & verbum effectum iri supra alia omnia prędicetur versu 10. Postremò ut finem faciamus, ineptum est quod Judęi argutantur, hic agi de Prophetę uxore, cùm sequente capite exstet illius mētio. Cùm enim sequentium capitum prophetia ab hac diversa sit, & ad eam instrumenta alia Deus adhibuerit, ut vers. 1. & 2. disertis verbis enunciat, tam ridiculum est si ea ad hoc caput dixeris pertinere, quàm si hujus capitis circumstantias ad illud accommodaveris, quę omnibus ferme modis sunt diversissimæ. Quæ cùm ita sint, statuimus hunc versum neque de uxore Esaię, neque de filio accipi bona fide aut certa ratione posse; sed ad Jesum Christum Immanuelem nostrum propriè & singulariter pertinere, & nativitatem ejus ostendere, quam Matthæus cap. 1. enarravit.

PARALLELVS V.

Micheæ. 5.

1. *Tu autem Bethleem Ephratæ, minima exsistens in ducibus Judæ; ex te mihi exibit qui sit dominator in Israële.*

Matthæi. 2.

6 Tu autem Beth-leem terra Judæ, nequaquam minima es in ducibus Judæ: ex te enim exibit ductor qui pascet populum illum meum Israëlem.

Cum hic primum nobis offeratur locus, ubi mutatio insignis est; antequam de re ipsa dicimus, aliquid nobis universè de mutationum causis dicendum est, quæ in Testamento Novo acciderunt. Mutationum aliæ à personis sermocinantibus factæ sunt, aliæ à scriptoribus ipsis. Quæcunque autem mutationes à sermocinantibus personis factæ sunt, eæ aut ex incuria fiunt dicentium, aut certo consilio. Ex incuria, veluti si quid ex mente excidit, si quid perparum, aut nihil fortasse ad eam rem attinet de qua agitur, aut si quid narratur aliena fide. Certo autem consilio, ut si cujus instituitur imitatio, si ad doctrinam personis, rebus, temporibus ii qui dicunt accommodant sermonem suum (ut fit plurimùm) amplius, minus, idem, pluribus, paucioribus, iisdem aut aliis vocibus exprimentes, aut si denique malitiosè torquetur alienus sermo. Has autem mutationes à personis sermocinantibus factas boni quique authores & fideles historici servant diligentissimè, propter legitimam narrationum suarum veritatem, cujus veritatis inter

narran-

narrandum exempla in Testamento vetere & novo extant quàmplurima. In hoc autem mutationum genere duas leges teneri à piis necesse est: una est probationum, quæ ex Testamento vetere hoc modo adducuntur, mutationes alias puras ab omni vitio & integras esse, ut sunt eæ, quæ ab Angelis, hominibúsque sanctis afferuntur: alias vitiosas & corruptas, ut sunt argumentationes Satanę & Pharisęorum, Mat. 4.& 5. Altera, judicium prius debere adhibere quam fidem, ut probationes ejusmodi sanctè explorentur: quia omninò bruti hominis est, si quis testimonia & probationes à quovis homine prolatas temerè ac promiscuè amplectitur, nec scrutatur an res ita se habeat, ut Berœensium exemplo ostendit Lucas. Quæ autem mutationes fiunt à scriptoribus authenticis, etsi ex iisdem causis, tamen duce Spiritu Dei fiunt; qui prout est liberrimus, eâdem veritate semper & ubique ἀναλήπτως utitur, ac non iisdem verbis astringitur. Ex quo sequitur, primùm harum probationum nullam vitiosam esse: deinde omninò illis haberi fidem oportere, & deponenda nobis esse judicia nostra, ut acquiescamus divino verbo & Spiritus sancti testimonio. His ita constitutis, jam ad Parallelum hunc nostrum veniamus. Finis, quem spectabat Micheas, quum prophetiam hanc populo Dei traderet, hic (opinor) fuit, ut pias fidelium animas peccatorum exprobratione, severissimorúmque Dei judiciorum denunciatione consternatas, consolaretur promissione Euangelica de adventu Christi: & quia gravissima ac singularia judicia prædicta fuerant, similiter singulari, certissimáque testificatione de Christo ipsos erigeret. Quam ad rem visum est Spiritui sancto maximè pertinere descriptionem planam & designationem loci illius in quo erat nasciturus Christus. Itaque summa prophetiæ hujus est, locum hunc natalem Christo providentia Dei fuisse destinatum; neque impedimento esse tenuitatem & ignobilitatem loci, quo minùs eo in loco oriatur Christus, nobilitaturus locum & Ecclesiam suam. Ad hunc finem non respexerunt Pharisæi, quando in hunc modum consulenti Herodi respondebant: sed partem responsionis suæ sic temperaverunt, ut quæstioni Herodis satisfacerent, partémque adjecerunt sive mutaverunt judicio suo, quam tempori putabant convenire. Itaque duo in hunc locum judicio meo, opus est observari: Unum, mutationem hanc non esse ab Euangelista profectam, sed à Scribis sermocinantibus: Alterum, hunc Scribarum sermonem hic à Matthæo nostro exponi fide historica, ut eo ampliùs demonstraret, ne in summis quidem illis tenebris lucem defuisse Judæorum genti, ex qua Christum Dominum & Regem suum fuissent agnituri, nisi malitiosa cæcitas ipsorum mentes occupasset. Nunc verò tempus est, ut mutationes singulas perpendamus. Primùm, pro *Bethlehem Ephratæ*, illi *Bethlehem terram Judæ* appellarunt. Vtrumq; verò idem est, & positum διακριτικῶς: quia fuit Bethlehem alterum in Zabulonitarum sorte. Ios.19.15. Sed hoc fuit in illo tempore evidentius, & fortè etiam vehementius ad percellendam Tyranni mentem, quum nomen Judæ in aures illius intonarent. Secundò pro eo quod Micheas dixit, *minima exsistens in ducibus Iudæ*, dixerunt illi, *nequaquam minima es in ducibus Iudæ*, respicientes (credo) ad beatissimum illud tempus quo Herodem affici videbant Messiæ commemoratione: tanquam si dixissent, fuisse quidem Bethlehem minimam in ducibus Judę priscis temporibus; sed hoc suo tempore, quum tota tribus Judę propemodùm exstincta esset,

Act.17.11.

non

non ampliùs minimam Bethlehem esse, sed amplitudine & gloria cum aliis comparandam propter Christum alumnum suum. Atque hanc mutationem existimo factam ab illis esse, argumento illius loci Esa. 60. 22. Parvulus erit in millenos, & minimus in gentem numerosam, &c. Postrema mutatio est, quòd illorum verborum loco, *ex te mihi exibit qui sit dominator in Israële,* substituerunt ista, *Ex te enim exibit ductor, qui pascet populum meum Israëlem.* Sed omnia eodem recidunt. Nam Dominatores & Duces pro iisdem accipiuntur, & utrique ex scripturæ usu pastores populi, ut Græcis ποιμένες λαῶν, quàm plurimis in locis appellantur. Si cui tamen placuerit hanc loquutionem non solùm ex communi usu, verùm etiam ex singulari aliquo scripturæ loco depromtam esse; per me licet, ut hæc verba ad locum Ezechielis 34. 23. aut consimilem alterum referantur. Sic ergo optima est membrorum omnium inter se convenientia.

PARALLELUS VI.

Hoseæ 11.	*Matth.* 2.
1 *Quia puer Israëlis est, eúmque diligo; ideò ex AEgypto vocavi filium meum.*	15 Jesus fuit in AEgypto, usque ad obitum Herodis; ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicens, Ex AEgypto vocavi filium meum.

ETsi, prout vulgò recepta in hunc Oseæ prophetæ locum se habet interpretatio, finis longè alius videtur esse, quàm qui à Matthæo cap. 2. exponitur: cùm tamen nobis Matthæi verba quodammodo injiciant manum, ut de fine, summáque, & accommodatione utriusque loci paulo aliter sentiamus; cum bona omnium piorum venia, aliquid hoc loco præfari necesse est, cùm ad hujus loci, tùm ad consimilium multorum intelligentiam, antequàm singularem hujus paralleli instituamus explicationem. Totius autem prętationis nostrę argumentum futurum est de scripturæ allegoriis, & anagogica earum declaratione; quibus explicatis, speciatim de hoc loco dicturi sumus. Orthodoxi Patres, quatuor scripturæ exponendę modos esse tradiderunt, historiam, αἰτιολογίαν, ἀναλογίαν, & ἀλληγορίαν. Historiam, quum res divinitus aut humanitus gesta & in rerum natura quandoque versata enarratur. Aetiologiam, quum dictorum aut factorum redduntur causæ: Analogiam, quum Testamenti veteris & Novi congruentia demonstratur: Allegoriam denique, quum figuratè dicta intelliguntur. Atque hæc quidem distributio vera est, ac non inutilis Scripturæ sacræ interpretationi: sed quia & paulo breviùs ad evidentiam tradi potest, & à multis in abusum maximum traducitur, rem semel altiùs repetemus, ut commodior aliqua aperiatur via ad scripturæ sacræ intelligentiam. Quicquid ergò alteri ab altero explicari potest, explicatur aut rebus, aut verbis. Si quando res aliæ significandis aliis adhibentur, appellantur typi, de quibus suo loco (si Deus volet) agemus posteà. Sin autem adhibentur verba significandis rebus, eorum duplex est ratio. Nam verbum unum est naturale, quod nos cum Augustino effatum aut sermonem dicimus: alterum artificiosum, quod in scriptione plurimùm versatur. Hæc duo sunt ordinaria signa eorũ omniũ, quę homo homini significare

August. lib. de Genesi ad liter. imperfect. cap. 2. & lib. de utilitate cred. ad Honorat. ca. 3.

significare potest. Horum verò formæ sunt duæ: alia enim simplicia sunt, id est, eorum quę significantur propria; alia figurata, id est, picta & colorata quodammodo simplicium signorum signa. Simplicia sunt quæcunque Creatoris, rerúmve creatarum facta, dicta, & causas eorum explicant nudis verbis, propriis, & puris: quo in genere sunt historię ad facta, dictáque tam vera, quàm falsa; & Ætiologiæ, ad causas rationémque justi & injusti pertinentes. Figurata, sunt allegoriæ. Horum verò omnium (sive propria, ut sunt historiæ & ætiologiæ; sive figurata sint, ut allegoriæ) tractandorum commune instrumētum est Analogia. Quare nos primùm de Analogia, velut communi omnium & necessario ad exponendum res & signa rerum instrumento, dicturi sumus: posteà verò de signis ad sacram scripturam pertinentibus.

Analogiam esse aliquam constat ex rebus, factis, dictis, justo, injusto, & eorum signis. Nam & Deus ipse quicquid præstat, sibi convenienter facit, dicit, probat, improbat, atque significat; & Angeli quoque ac homines pro modulo suo: Denique omnes creaturæ præstant eadem ἀναλόγως aut convenienter sibi, id est (ut loquuntur vulgò) proportionaliter. Est autem Analogia sive proportio, rei unius ad aliquid relatæ comparatio sive convenientia, universè, aut ex parte solùm. Ejus genera sunt tria: Nam aut rei unius ad seipsam est analogia, aut rei unius ad alteram, aut rei ad signum. Rei ad seipsam analogia est, si cujus personæ, rei, facti, dicti, justi, injusti, aut signi comparationem institueris,
1 sive totius cum toto pro circumstantiarum mutabilitate, sive totius cum parte sua aliqua: puta si aut totum mutari, aut partem ejus cum toto comparatam majorem, minorem, æqualem, inæqualem, parem, imparem, similem, dissimilem, convenientem aut alienam esse ostenderis. Sic Christum in forma servi exinanitum esse; ita convenire Christo cum Ecclesia, ut capiti cum corpore; facta, dictáque ipsius suis principiis, mediis, aut eventis omninò respondere; cæsuram aut circumcisionem optimè cum pręputio Judęorum; cędem cum sanguine in sacrificiis cōjunctam esse dicimus. Sic (ut ad res magis communes & cognitas in vulgo veniamus) videmus cicadam alis grandioribus esse & minore corpore, Struthiocamelum pennis rarioribus & corpore graviore, Leonem pilo dissimili, ciliis brevioribus, & sexcenta
2 alia. Rei unius ad alteram est analogia; ut si Mosem cum Christo, vetus Testamentum cum Novo, facta, dicta, scriptáque Prophetarum cum factis, dictis, & scriptis Euangelistarum & Apostolorum, jus rei unius cum pari alterius, circumcisionem cum Baptismo, pascha cum Cœna Domini, sacrificia veteris federis cum sacrificio Novi, illas ceremonias cum his, scripturam illam cum hac comparabimus. Rei verò &
3 signi analogia est omnium evidentissima. Nam sive oculis percipiantur signa, ut sunt ceremoniæ in prisca Ecclesia multiplices, in nostra paucissimæ; sive auribus hauriantur, ut prædicatum verbum; sive utroque modo animadvertantur simul, ut ex tonitru & coruscatione fulgur intelligitur, sive alia quacunque via; analogiam signis ad res suas adesse nemo negaverit. Ad consequendam autem rationem Analogiæ pertinent omnes circumstantiæ: in primis verò temporum, quorum notatio intelligendis scripturis est utilissima. Nam Deo visum est fedus & promissiones suas quasi per gradus dispensare, earúmque progressum cum progressu temporis paulatim exhibere; quemadmodum si lucem è longinquo paulatim appropinquantem videris. Itaque

ab Adamo primum ad Abrahamum usque hæc ipsa federis promissionumque substantia, quæ ad electos omnes pertinet, obscurissimè fuit exposita; ab eo ad Mosem evidentiùs; ampliùs à Mose ad Davidem; luculentiùs à Davide ad transportationem Babylonicam; illustriùs à transportationis tempore ad Christum; à Christo verò luculentissimè ad secundum usque adventum ejus. Quapropter prisca illa tempora pueritiæ & adolescentiæ nomine donata sunt; his autem nostris juventus & plenitudo temporum tribuitur, in qua perpetuò duratura sunt signa, donec adoleverimus in ætatem justam virilémque, & Christum plenè adepti simus. Atque hæc quidem universè de analogia. Nunc ad signa veniamus, quorum hęc simplicia; illa figurata esse ostendimus. Signa simplicia cùm enunciata, tum etiam scripta (vt antè diximus) aut sunt historiæ, aut ætiologiæ. Historiæ in quæstione de vero & falso versantur. Cùm autem verum & falsum exquiri in historia soleat, primùm de natura, deinde verò de operibus eorum quæ in rerum natura sunt; naturalem historiam Scriptura sacra permisit Physicis plurimùm atque Philosophis; eam verò quæ in dictis factisque versatur, quauntum Ecclesiæ interest, verissimè & fidelissimè explicavit. Estque hujus generis duplex historia: una διηγηματικὴ, narrationem rerum antè gestarum & dictarum continens; cujus argumenti sunt libri Geneseos, Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, Ezrę, Nehemiæ, Ester, Matthæi, Marci, Lucæ utérque. & Johannis. Altera προρρητικὴ rerum pòst gerendarum, dicendarúmque, prædicens promissa & minas Dei, denique res futuras & eventa rerum; cujusmodi sunt permulti Prophetarum libri. AEtiologiæ au- 2
tem, id est, quæstionis de justo, atque injusto explicandæ rationem simplicem semper sibi constare, & unicam eandémque esse natura postulat: ex qua quod semel justum est, numquam injustum esse potest, vel contrà: quoniam justitia (ut optimè inquit Augustinus) ubique ac semper est eadem, non alibi alia, nec aliàs aliter. Hæc autem *Li.3.Confess. cap.7.* AEtiologia seorsim quidem verbis simplicibus ac nudis interdum exponitur, ut exodi 20. & sequentibus, itémque toto proverbiorum libro, & Epistolis sanctorum Apostolorum: Sed plerunque aliis etiam historicis intermixta viam ad promissiones Dei prædicandas & comminationes aperit; ac propterea plurimum cum prophetica & Euangelica historia conjungitur. Figurata porrò signa rerum, ex rebus aut verbis constituta sunt. quæcunque autem in rebus sunt, typi; quæcunque verò in sermonibus aut scriptis versantur, sunt allegoriæ. Typos enim vocamus, expressas quasdam rebus imagines rerum; ut allegorias, rerum imagines expressas verbis. Typi autem & allegoriæ communiter historiis & ætiologiis possunt accidere: Historiis autem interdũ quidem διηγηματικῶς, maximè verò προρρητικῶς. Exempli caussa; In narrativo historiarum genere sunt ista: Pascha typus fuit illius transitus, quo domos Israëlitarum notatas sanguine Angelus præterivit; panis fractus, acceptus, & manducatus typus est corporis Christi, quod pro nobis fractum est, & à nobis percipitur, manducatúrque ad vitam æternam: vinum quoque typus est sanguinis effusi: & similia multa. In altero autem genere plenæ sunt typis & allegoriis pleræque Exodi, Levitici, Numerorum, Prophetarúmque singulorum paginæ. Itidem AEtiologiis typi quoque & allegoriæ accidunt: quemadmodum obsequium singulorum Ecclesiæ membrorum ergà Deum,

alati

alati Cherubini in tabernaculo Dei repræsentaverunt: communionem sanctorum inter se figurat ejusdem panis participatio; itemque Baptismi mersio mortem, sepulturámque veteris hominis, & suscitationem novi. Atque hi quidem typi & allegoriæ olim frequentissimæ fuerunt & consertissimæ, quasi rudimenta prima legalis illius pædagogiæ. Euangelium verò paucioribus typis & allegoriis utitur; quia res non adumbratas ferè, sed ipsum typorum & allegoriarum corpus, veritatémque exponit & tradit simplicissimè, vt eam fide simplicissima amplectamur. Quamobrem non possum satis mirari audaciam illorum, quibus nihil omninò sapit, nisi quod typis legalibus, & allegoriis involvitur: qua ratione lux Euangelii non modo reflectitur, sed etiam obscuratur, corrumpiturque, & indignissimè tenebris cõmutatur. Deinde verò omnino probare in interpretando nequeo rationem illorum, qui, ut locos, ex Lege & Prophetis adductos in Testamento Novo cum Vetere concilient, non id ipsum agi; sed tantùm alludi, aut allegoricè quædam deflecti putant; tanquam si Euangelistæ & Apostoli, omisso legis Prophetarumque consilio, ludibundi sese typorum mæandris induissent, aut in abyssum allegoriarum immersissent, majorumque suorum θεοπνεύστων verba simpliciter enunciata ad tropos traduxissent. Id enim pro certo habeo, cum tota illa vetus administratio propemodum ex typis & allegoriis fuerit constituta, hæc verò nostra contineatur simplicitate doctrinæ & ipsa rerum quæ docentur veritate nuda; priscos illos Patriarchas & Prophetas typicè & allegoricè, id est, obscurè gessisse & pronunciavisse quæ ad regnum Christi & doctrinam Euangelii pertinent: nunc autem eas res exprimi nobis atque exhiberi citra typorum & allegoriarum umbracula. Quam rem ut planiùs exponamus, axiomata quædam conficiemus ad hanc rem pertinentia.

Primum. Veterum typi aut ex personis constabant, puta Patriarchis, Judicibus, Regibus, Sacerdotibus, & Prophetis; aut ex rebus, ut tabernaculo, templo, arca, altaribus, ornamentis, & cæteris; aut denique ex factis, ut oblationibus, sacrificiis, primitiis, diluvio, transitu maris, & Jordanis fluvii, &c.

Secundum. Typi Ecclesiæ omnes à Deo sunt, iique sive instituti verbo, ut umbræ seu ceremoniæ; sive opere præstiti, ut vocatio & liberatio ex AEgypto, missio in possessionem terræ, &c.

Tertium. Idcircò autem typis à Deo datis in exponendo Christi regno Prophetæ usi sunt, quòd omnia quæ de illo pronunciabantur aut erant spiritualia, aut longo demùm post intervallo eventura: quamobrem carnalem populum doceri oportuit res spirituales, futurásque, carnalibus documentis, id est, quæ notiora essent & propinquiora ipsis analogicè.

Quartum. Quinetiam Prophetæ ipsi divinitus inspirati mysterium illud Christi, quod omnibus ætatibus inde à seculo fuerat occultum, sic prædicaverunt, ut ipsi de illo (quemadmodum ait Petrus) inquirerent: adeò typicè atque figuratè cum Prophetis agebat Deus.

1. Pet. 1. 10.

Cùm itaque Deus omnia in Christo olim administraverit, pleráque verò typicè & allegoricè per servos suos enunciaverit; mirandum non est, si Prophetæ suam illam Spartam, quam Deo authore nacti sunt, coluerint, & typis rerum gestarum vel communium usi sint ad regnum Christi exponendum. Typi autem, sunt quidam allegoriarum loci: quam-

quamobrem fuit quidem Moses typus Christi; sed Moses de Christo allegoricè loquutus est, & eum figurauit typicè: quod Apostoli non allegoricè, sed anagogicè ex veritate Christo accommodant. Similiter typus illius fuit David, ut fatentur omnes: at idem proloquutus est ea allegoricè, & gessit quædam typicè, quæ de Christi perpessionibus, morte, sepultura, resurrectione, & gloria illius Apostoli quàm simplicissimè prædicarant. Solomo quoque, ut typus illius, allegoricè de illo cecinit: omnes denique Prophetæ allegoricè multa de Christo prædixerunt, quæ in Euangelio tandem κατ' ἱστορίαν completa fuisse legimus. Quin ipsæ leges à Deo latæ quamplurima allegoricè, non pauca typicè præsignificaverunt de Christo, quæ suis locis (si Deus volet) ostendemus. Sunt enim propriè testamenti veteris allegoriæ, & cognati earum typi; utriusque verò anagogæ & analyses, sunt testamenti novi. Frement quidem aduersus ista & oblatrabunt Pseudojudæi: objicient nos liberiùs audaciúsque Prophetarum locos in allegorias pertrahere; injuriam illis facere & toti Ecclesiæ, qui illorum scripta αἰνιγματώδη fuisse confirmemus. Atqui nos, quamquam Prophetas interdum ænigmatis, & typis, & allegoriis usos fuisse agnoscimus, non tamen continuò statuimus aut Prophetias omnes esse ænigmaticas, aut vitiosa earum ænigmata. Primùm enim dicimus non omnia esse ænigmatica: nam pleraque sive exempla rerum gestarum, sive regulas sanctissimas de justo & injusto apertis verbis exponi: ænigmatica ferè ea tantùm esse, quæ de rebus aut spiritualibus, aut olim futuris prædicantur. Deinde ne omnes quidem prædictiones rerum futurarum aut spirutualium ænigmaticè putamus accipiendas, sed eas tantummodò quæ aut à veritate rei, in quæstione facti; aut à jure in quæstione justi & injusti discrepant. À veritate, cum rerum quæ in natura sunt, tum factorum eventorumque: ut quando Propheta dicit, *commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubabit; vitulus etiam & juvenis leo ac pecus pingue unà futura sunt, & puer parvulus ducturus ea*, &c. Jtem, *non erit illic leo & violenta ulla fera non conscendet eam, non est adfutura illic.* Jtem, *è radice serpentis prodit vipera, etiam fructus illius prester volans*: & si qua sunt ejusmodi. A jure verò tum divinæ legis, bonorúmque morum, tum etiam sanctæ fidei nostræ. Legis; ut quum Prophetæ Dominus imperat, *abi, & accipe tibi mulierem adulteram*, &c. Fidei autem, ut quum Propheta inquit, *Prodibit virgula e trunco succiso Jesse, & surculus è radicibus ejus efflorescet, super quo requiescet spiritus Jehovæ*, &c. Hæc enim qui allegoricè dici negaverit, negaverit Christum. Postremò tantùm abest, ut typi ipsi & allegoriæ in vitiosis enunciationibus debeant numerari, ut omnibus contra piis jucundi sint, nobis utiles cognitu, priscis necessarii usu ad suorum temporum rudimenta, quando sobriè adhibentur. Ne plura; Abraham ille filius Ezræ (quem Judæi uno ore dixerunt sapientissimum) in pręfatione commentariorum ad Testamentum vetus, hęc de allegoristis disertè scribit: *Eorum via*, inquit, *tenebrosa est & caliginosa, imò verò toto cœlo errant, qui comminiscuntur ex animo suo arcana singulis in rebus; quorum denique fides est hæc, leges ipsas, judiciáque esse ænigmata: neque oratione longa usurus sum, ut respondeam eis, quia fallitur animus eorum, & verba eorum nihil habent commune cum æquo & bono. Tantummodò una in re sententia eorum bona est, quòd omnis oratio & præceptum omne tam parvum quàm magnum lancibus & libra ponderandum est mentis. Inest enim mentibus quædam notio à sapientia Dei sempiterni plantata. Quòd*

Ubi locus Allegoriæ.

Jesa. 11. 6.

Jesa. 35. 9.

Jesa. 15. 2.

Hoseæ. 1. 2.

Jesa. 11. 1.

si notio hominis non potest rem illam ferre, aut illa res abolitura esset id, quod sensu nostro confirmatur evidentissimè in natura rerum, tum demum quærito sibi arcanum,&c.quæ ille piè & doctè scribit de luce, cùm per naturam omnib. indita, tum insita per fidem animis credentium in verbum Dei. Ex his(opinor) satis constat, primùm frequentari in Testamento vetere typos & allegorias; deinde verò non fuisse Christum aut discipulos ipsius allegoristas in hoc argumento, sed veros allegoriarum *ἀναγωγέας*, sive *ἐξηγητάς*; ideoque injuriam illis fieri, si veterum typos & allegorias novis allegoriis dicuntur obruere,& legis prophetarumque verba in usum istum detorquere, qui sunt justissimi eorum interpretes. Quid ergò? dixerit quispiam. an verò Testamentum novum carere affirmas typis & allegoriis? non id quidem planè, sed omninò tamen pauciores habet. Nam ex iis quæ antè dicta sunt, inter bonos, opinor, convenit, duo fuisse summa typorum & allegoriarum argumenta: unum, rerum spiritualium; alterum, futurarum: ad quas insinuandas commodè olim usurpabantur typi & allegoriæ; in illis, propter amplitudinem ipsarum; in his, propter longinquitatem temporum. Res autem spirituales(ut de illis dicamus priore loco)nobis sunt eædem; unus Deus, unus mediator federis, unum fedus, una fides, una spes, una communio sanctorum,& si qua sunt ejusmodi. Futuræ verò, ex parte consummatæ sunt, ubi Christus patefactus est, & Euangelium promulgatum; pars earum superest consummanda. Igitur, etsi bona pars earum, quæ spectabant personam Christi, jámque completa est; ac proinde non ita, ut olim, eget umbraculis: nunc tamen id etiam opus est, ut res spirituales & quæcunque de reliquo fuerunt eventuræ, exprimerentur certis quibusdam typis (ut fit in Baptismo,& sacra Cœna Domini)& adumbrarentur verborum allegoriis. Sic ea rudimentorum pars præterivit, quæ adumbrabat venturum Christum, & officia ipsius his diebus nostris ultimis exhibenda: pars verò in melius fuit commutata. Nondum enim ad virilitatem justam pervenimus, cognoscimus ex parte,& prophetamus ex parte, cernimúsque (ait Apostolus) velut per speculum, sive per ænigma, donec optatissimus Christi adventus illuxerit. Exempli gratia, Spiritualis est gloria, potentia, operatio Christi,&c. quas res, quamvis præsentissimas, in hac tenuitate captus nostri nemo bonus non desiderat sibi humana ratione quadam adumbrari: hoc autem factum est in Apocalypsi Joannis luculentissimè. Spiritualis item est nostra communio cum Christo, & spiritualis nostri instauratio: Illam verò communionem similitudine capitis & corporis, aut vitis & palmitis comparatione, similitérque instaurationem, & regenerationis, & novi hominis appellatione commodè assequimur. Spiritualis quoque communio inter nos intercedit nobis qui credimus; hæc verò unius panis & unius poculi communicatione proponitur, & illustratur accommodatè ad hominum captum. Atque hanc rationem instituendis credentibus,& evincendis infidelibus esse aptissimam commonstrant illa verba Christi, Si terrena dixi vobis & non creditis; quomodo, si dixero vobis cælestia, credituri estis? Ioan.3. 12. De futuris autem exempla exstant innumera; ex quibus id certò conficitur, ingrati esse animi, si parvi feceris; insani, si abjeceris typos & allegorias rerum futurarum: ut quum à Scripturis ventura Dei judicia in rebellem hunc mundum & in Antichristum ipsum prædicantur, quum secundus Christi adventus & gloria ejus figuratur, quum adumbratur ultimum judicium illius, quum Ecclesiæ

1.Cor.13.9.

Catho-

Catholicæ dignitas & cœlestis Jerusalem majestas exornatur, & alia ejusmodi, quæ non mediocriter possunt humanas mentes afficere. Imò verò (ut paucis dicamus) hæ ipsæ res in hanc formam traditæ, nostrisq; mentibus & quasi oculis expositæ, delectant hominem, docent, permoventque maximè. *Si quæ enim figuræ* (ait Augustinus) *non tantùm de cælo & de sideribus, sed etiam de inferiore creatura ducuntur ad dispensationem sacramentorum; hæc eloquentia quædam est doctrinæ salutaris movendo affectus discentium accommodata, à visibilibus ad invisibilia, à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad æterna. Plus movent & accendunt amorem, quam si nudæ & sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur: cujus rei causam difficile est dicere; sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quàm si verbis propriis diceretur apertissimè.* Credo, inquit postea, *quod ipse animæ motus, quam diu rebus adhuc terrenis implicatur, pigriùs inflammatur; si verò feratur ad similitudines corporales, & indè referatur ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus, accenditur & ardentiore dilectione rapitur ad quietem.* His ita constitutis ad præsentem locum veniamus. Epist. 119. ad Januar. cap. 7. & 11.

Hoseæ Prophetæ locum alii interpretantur historicè, & analogicè accommodant narrationi qua Matthæus utitur: alii historici quidem interpretantur similiter, sed allegoricè seu typicè ad consilium Matthæi putant pertinere. Nam ut ætiologica in utrumque locum afferatur interpretatio, omnino impediunt omnia. Ego verò (quod bona omnium pace pervelim accipi) utrumque locum historicè intelligi statuo oportere; & quidem ad unam eandémque historiam pertinere, citra typum, allegoriam, aut analogiam. Nam unicus est utroque in loco finis, & summa eadem; utrumque verò ut commodius animadvertant omnes, brevis quædam totius Prophetiæ, quam Hoseas enunciavit, habenda est delineatio. Primùm duos typos ejusdem penè argumenti posuerat Hoseas, & exposuerat; ut peccatorum suorum gravitatem, Dei indignationem, & superventura judicia Israëlitæ agnoscerent, ac proindè seriò de resipiscentia cogitarent. Hos typos & duplex illud prophetiæ argumentum, inde à cap. 5. ad finem usque enarrat Propheta luculentissimè. Peccata quidem & judicia Dei severissima, ad eum usque locum enuncians, ubi hæc verba sunt: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Resipiscentiam verò & causas, effecta, ac fructus consequentes illius exponens ab eo loco, ad finem usque prophetiæ, id est, inde à cap. 11. ubi Propheta demum incipit ad verum Israëlem convertere orationem suam; ut partim recordatione beneficiorum Dei, partim judiciorum asperitate, partímque misericordiæ divinæ argumentis erigat pios ad exspectationem adventus Christi, in quo & per quem Deus prophetiarum suarum veritatem erat completurus. Quamobrem postquam 10. capite μεταβατικῶς justis & injustis omnibus communiter doctrinam exposuit resipiscentiæ, & sententiam tulit de excidio Israëlitarum à resipiscentia indicta abhorrentium; tandem reliquiis spem facit salutis Deus in Christo Jesu; & quasi seipsum in principio 11. capitis corrigeret, statuit electas reliquias ex incendio communi eripere propter filium suum. Hic ergò finis Hoseæ fuit propositus, ut reliquias in exspectatione salutis æternæ confirmaret. Summa verò, omninò reliquias servatum iri propter Jesum Christum, & in ipso: tum quia caput est ac primogenitus inter multos fratres, à quo Colos. 1. 18. Rom. 8. 29.

in membra sua omnia derivatur vita & salus æterna: tùm quia filius dilectionis est, in quo amor Dei infinitus conquiescit, ut de plenitudine ejus hauriamus omnes, & gratiam veritatémque (qua plenissimus est) in ipso consequamur. Hujus autem salutis principia non obscurè demonstratum iri, quo tempore Filius Dei à populo Judæorum contemtus & ab Herode infestatus ex AEgypto revocabitur, ut opus salutis promissum Ecclesię in Judęa præstet. Sic designavit Propheta, primùm quidem salutis fontem, & causas in eo abundantes, quum diceret *quia puer Israëlis est, & diligo eum:* signum verò apparentis, adventantis, & tanquam sese profundentis gratiæ exposuit illis verbis, *Ex AEgypto vocavi filium meum.* Nam perinde est, atque si dixisset Deus, quid ergo? totúmne Israëlem perditurus essem? non faciam propter Filium meum; nam *cùm puer Israëlis sit*, id est, primogenitus, sacerdotium æternum obiens (sic enim pueri Israëlis dicuntur Exodi 24. 5.) prætereà cùm is Filius sit unigenitus, in quo anima mea conquiescit: quamvis Israëlitæ sua improbitate ipsum è medio sui expulerint, & planè indigni sint quibus pręstetur gratia, tamen propter electos, & ad salutem ipsorum, Filium meum electorum caput ex AEgypto vocaturus sum, qui ovibus Israëlis quę perierint, salutem afferat. Est itaque hęc propositio eadem planè, qua Christus utitur Joan. 3. 16. dicens. Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, &c. ut cui hæc propositio ex æquo respondeat, Ita Deus dilexit Israëlem, ut filium suum ex AEgypto revocaverit, &c. Hunc autem finem Matthæo quoque fuisse propositum, ut quæ Deus prędixerat futura, demonstraret facta, res ipsa loquitur. Summam omninò eamdem esse, expensis iis quæ modò diximus, pii (spero) judicaturi sunt, qui sine præjudicato fidelem animum ad utrumque locum adverterint. Restat ut primùm ea, quæ ad evertendam hanc interpretationem afferri videntur posse, ostendamus; deindè verò confutemus alias interpretationes.

Adversus hanc interpretationem duo in universum afferri possunt: unum est novitatis ratio, quòd omnes veteres & novi interpretes ne cogitavisse quidem de hoc interpretandi genere videantur: Alterum verò, adjunctorum ratio, antecedentium, & consequentium. De novitate respondebimus paucis: primùm non esse novum quod Propheta dixit, & Matthęus interpretatus est: secundò utcunque novum esse videatur, tamen quæcunque sunt vetera, fuisse nova, ac non propterea novitatis nomine vitiosa; nisi fortè novum pro renovato & restituto acceperis; quo sensu novam esse hanc interpretationem agnoscimus; ut religio nova dicitur quæ singulari Dei beneficio fuit his temporibus à fermento vetere expurgata: Postremò, etiam res novas, quando sunt utiles, magis afficere animos nostros sua novitate; ac proinde nihil per se novitatis nomine damnari oportere. Adjuncta verò ut repugnent huic interpretationi, videre non possumus: Contra enim maximam habent convenientiam cum hac interpretatione nostra. Præcessit cap. 10. justissima Dei sententia de perdendis Israëlitis: Huic sententiæ quædam veluti correctio subjicitur ad sanctarum reliquiarum consolationem, cujus fundamentum est Christus, ut antè diximus. Ergò summa est cum rebus antecedentibus convenientia. Quid autem consequentibus fiet? illis quoq; optimè convenit cum propositione ista. Est enim in verbis sequentibus concessio, & quædam velut contentio forensis, ac disceptatio: qua Israëlitarum improbitatem vehementissimè

Deus

Deus exaggerat,ut ampliùs deindè illustret suam misericordiam.quidni evocassem ex AEgypto filium meum ? inquit Dominus, Nam alioqui fuisset actum de tota hac Israëlitarum gente : quæ, ut ut per Prophetas revocata fuerit, ad idola transfugit; utcunque meipsum operibus demonstraverim, cæcutivit ultrò,neque ductu aut curatione mea, neque amantissimis officiis,liberationibus, alimentis, administratione, flagellis denique edomari hactenus potuit, nec dum oculos ad Deum supremum extulit. Quid ergò hic fuissem facturus aliud, quàm ut filium meum peregrè versantem reducerem? Nam quomodo te traditurus essem, Ephraim ? &c. Ita sententia demùm de salute piorum fertur, ac si repentè Dominus ex gravissimo istarum contentionum æstu emergeret. Non faciam, inquit,&c. tanquam si diceret : attamen puer meus es, mihi charus, damnabilis quidem propter peccata tua, at servandus propter naturam, veritatem, sanctitatem & misericordiam meam in filio dilectionis meæ, quem vocavi ex AEgypto. Hanc genuinam esse loci intelligentiam ipsa orationis series attendentibus commonstrabit. Taceo ipsa Prophetæ verba,quorum & constructio & prosodia locum sic explicari postulant,ut principio fecimus; nec aliter commodè reddi possunt. Nam quod Hebræi quidam verba illa,*vocavi filium meum*, conati sunt aliter exponere; quia voci *filii* particulam esse præfixam animadvertebant ; id malitiæ potius, quàm imperitiæ argumentum est ; cùm hæc omnium frequentissima sit Hebræi illius verbi constructio, idque constantissima significatione. Hic verò objiciuntur aliæ accommodationes duæ ; & maximè hoc argumento, Quòd non videtur obesse,si hunc ipsum Prophetæ locum propriè liberationi olim per Mosem præstitæ accommodaueris. Earum fons est interpretatio, quam Chaldæus Paraphrastes attulit, Prophetam de liberatione Israëlitarum ex AEgypto agere. Hinc enim profecta sunt duo accommodationis genera : unum,typicum vel allegoricum; alterum, analogicum . Typicum seu allegoricum appellamus quum exitus Israëlitarum ex AEgypto hunc Christi exitum dicitur figurasse: Analogicum verò, cum ex liberatione populi, veluti corporis, eductio Christi veluti capitis, intelligenda proponitur. Priorem accommodationem infirmam esse authores ipsi vel eo satis ostenderunt, quòd singulis momentis arripiunt analogiam, ut stabiliant accommodationem suam. Quamobrem etsi everso altero accommodationis genere, hoc quoque infirmitate sua corruit ; tamen pauca hic posituri sumus ad explanandum hunc locum & alios necessaria, ut constet hoc nulla ratione valida obtineri posse. Primùm enim extra controversiam est, typos vel allegorias tum demum firmâ doctrinâ esse, quum in quæstione juris versantur, hoc est, siquando quæritur, utrùm justum aut injustum aliquid dicatur esse. Quòd si ad quæstionem facti pertinebunt, id est, si quæratur utrùm aliquid futurum sit, nec ne : tum inter typos distingui oportere ; quia typorum alii sunt dati sive imperati, alii verò facti. Qui dati vel imperati sunt à Deo, ii cùm propriè ad rem adumbratam spectent, & perpetuam relationem ac necessariam habeant, omnino concludunt futurum id, cujus adumbrandi causa dati sunt; quia hi typi nihil sunt aliud, quàm divinæ veritatis signa, qua in veritate est ineluctabilis quædam & absoluta necessitas. Quicunque verò typi fuerunt facti, neque ad certam aliquam significationem propriè & peculiariter destinati, ii naturam exemplorum sequuntur. Quapropter

horum typorum documenta non sunt necessitatis, sed (ut loquuntur scholæ) potiùs contingentiæ: Itaque delectare & illustrare in docendo possunt, probare autem minimè. Est autem hic typus (ut typum demus appellari posse) non juris, sed facti; non datus aut imperatus, sed opere præstitus; non proprius, sed communis; cujusmodi sunt exempla omnia. Hic ergò probare non potest, si ita accipitur. Matthæus autem singulas fermè circumstantias, quæ in historia Christi obtigerunt, probare voluit instituta prædictionum Testamenti veteris cum eventis comparatione, ut ex complemento circumstantiarum omnium Jesum esse Christum ostenderet: quemadmodum capite 1. gentem & conceptum nativitatémque, secundo, locum ortus ex Prophetarum verbis demonstravit. Quæ cùm ita sint, & neque justis typorum legibus, neque Matthæi instituto accommodatio ista respondeat, nunc de altera videamus. Analogicam esse accommodationem plerique omnes putaverunt, sumpta (ut videtur) ex similitudine capitis & corporis, analogia istius interpretationis. Hoc verò mihi quidem probari non potest, multis nominibus. Primùm quia Matthæus non analogiam, sed historiam hoc loco tam refert historicè, quàm antecedentes retulerat. Secundò, quia probabilius est id quod antè demonstravimus, Hoseam & de hac historia, & historicè prophetasse. Tertiò, si analogia est, aut est totius ad partem, aut partis ad totum, aut partis unius ad alteram: nam de analogia similium vel parium, quæ foris assumuntur, hic nulla est quæstio. Analogiam hic poni totius ad partem, nemo sanus dixerit; nam eodem jure oporteret omnia Ecclesiæ membra historicè, ac non figuratè ex AEgypto vocari. Neque eò magis cum ratione conveniet, si analogiam à parte ad totum hic poni dixeris, cùm inter omnes convenerit qui hanc accommodationem tradiderunt, esse institutam populi & Christi comparationem analogicam. Restat igitur, ut institui partium inter se analogiam concludamus. Hoc autem posito labitur ex sese tota accommodatio. Nam primùm à parte una ad alteram confici non potest argumentatio, & statui analogia, præterquam in iis partibus quæ similares appellantur; caput autem & corpus similares inter se dici non possunt. Secundò, etsi inter partes ejusmodi analogica accommodatio poni videtur posse; tamen non est ea propriè partium, quatenus sunt partes, sed affectionum, quatenus hæ partes agunt in illis; ac proinde analogia est non respectu partium, sed respectu causarum effectorúmque ex illis proficiscentium, & in has veluti immeantium.

Tertiò, neque verò omnes partium illarum in his operationes & affectiones omnino communes dicendæ sunt; sed eæ solùm, quæ communicationem habent inter se officiorum tam agentium, quàm patientium ex causis necessariis, liberis, ac non impeditis; cujusmodi sunt in natura quidem, à proprietatibus essentialibus singularum partium; in illo autem sanctissimo mysterio spiritualis nostræ communionis cum Christo, functiones illæ quas suprà naturam ad salutem nostram instituit Deus; ac proinde contingentium eventorum nulla constitui potest analogia, nisi quatenus verbo Dei per Prophetas fuerunt prænunciata. Hæc autem neque propterea in effectum perducuntur, quòd prædicta fuerint; neque propterea fuerunt prædicta, quòd ea futura vidisset Deus: sed eò prædicta & gesta sunt, quòd ita Deus constituerit. Postremò, ut etiam id demus, quod rei veritas postulat, communes

operationes

operationes & effecta non solùm ad totum corpus, verùm etiam ad membra singula permeare; tamen apud omnes constat, à particulari ad particulare non procedere argumentationem. Est enim particularis habenda Israëlitarum ex AEgypto liberatio in hoc argumentationis genere; prout analogiam partis unius ad alteram hoc loco statui oportere suprà demonstravimus. Cùm itaque non similarium, sed dissimilarium partium instituatur hæc comparatio; neque effectionum & affectionum naturalium, sed contingentium; idque ex particulari, quo ex argumento nihil probari potest: Ferimus quidem æquo animo, ut similitudo aliqua in utraque narratione dicatur esse, quòd & Israël olim, & Christus in plenitudine temporum ex AEgypto vocatus est; sed non propterea venturi sumus in eorum sententiam, qui hanc accommodationem accipiunt analogicè; tum quia aliam Prophetæ mentem fuisse judicamus, tum quia Matthęus religiosissimus testis & studiosissimus demonstrandi eas circumstantias quibus olim Christus fuerat designatus, hanc nobis aperuit interpretationis viam: quam religionis, ac non contentionis studio me insistere ut boni æquo animo ferant, officiosè & amanter peto, sine cujusquam invidia.

PARALLELUS VII.

Jerem. 31.	*Matthæi* 2.
15 *Vox in Rama audita est, lamentum & fletus multus amarissimus: Rachel deflet filios suos; noluit consolationem admittere de filiis suis, quia nullus superest.*	18 Vox in Rama audita est, lamentatio, & fletus, ejulatúsq; multus: Rachel deflens filios suos, & noluit consolationem admittere, eo quòd non sunt.

Finis in utroque loco unus & idem est; nempè ut certo aliquo insigni & luculento signo publicè ostenderetur, ac demonstraretur eum advenisse, in quo regnum Dei patefieri & complementum sortiri oportuit, instituta prædicatione Euangelii; atque hoc signum uterque conuenienter narrat, Jeremias quidem futurum ostendens, Matthęus verò demonstrans factum. Summa igitur est, regnum Domini nostri Jesu Christi in hoc mundo infestum esse quàm plurimis calamitatibus, & filios regni per multas afflictiones in illud ingressuros esse; sed illud maximè singulare signum adventantis illius regni & primùm exorientis in persona Christi, Regis & Servatoris summi, à Deo significatum olim, & suo tempore completum esse, cujus signi indubitatum futurum esset testimonium. Nam etsi multæ & indignæ strages post hominum memoriam fuerunt editæ, nusquàm tamen legitur (ni si me animus fallit) facinoris exemplum hujusmodi: quo soli parvuli, ne excepto quidem (si Macrobio credimus) Regis ipsius filio, contra jus & fas, in regione tota fuerint trucidati, sine quæstione ulla, ad tyranni unius voluntatem, & quidem agentis sub potestate alterius, in populo Dei. Quamobrem facilis est horum duorum locorum inter se accommodatio. Tantùm in verbis aliquid videtur esse discriminis; quia Matthæus Hebręū Prophetam non expressit verbum de verbo, aut eam interpretationem sequutus est, quæ hodiè Septuaginta vulgò appellatur; sed eam potius quæ per illud tempus obtinebat, nempe germanam (puto) Septuaginta illorum interpretationem. Hęc autem verbo-tenus inter

se differunt omnia: quandoquidem solius evidentiæ causa, in translatione Græca, facta fuisse nonnulla videtur mutatio. Nam primùm quod Propheta dicit, *Lamentum, fletus amaritudinum*, clarius apud Matthæum exprimitur, & explanatur Hebraismus his verbis, *Lamentum ac fletus, ejulatúsque multus*, mutata illa videlicet hypallage Rhetorum (ut vocant) quæ apud Hebræos est frequentissima. Deinde, quòd illa omittuntur verba, *de filiis suis*; id tantum abest, ut Prophetæ verbis vitium afferat, ut contra dignitati plurimùm conferat hæc interpretatio. Nam asseruit quidem Propheta quodammodo summam libertatem Spiritus sancti, qui ad emphasin & vehementiam apud Prophetam easdem voces inculcabat, ut rerum futurarum imaginem graviùs in popularium suorum mentibus imprimeret: hic verò apud Matthæum ad simplicitatem enarrationis institutæ eadem verba missa fecit; quia satis fuit rem narratione simplice declarari, non autem patheticè exaggerari (quò verba illa pertinent) oportuit. Nam illa apud Prophetam flagitabat rei vehementia, quæ apud Matthæum evidentiæ magis obfutura quàm profutura fuissent. Postremò quod Propheta dicit syllepticῶs, *eò quòd nullus eorum superest*, id ab Euangeliographo plurali numero exprimitur; quia forma loquutionis est ἁπλουστέρα & evidentior, quamvis eodem sensu. Atque hæc omnia (ut antè diximus in Parallelum quintum) libertatem sancti Spiritus perspicuè asserunt, eâdem quidem veritate semper utentis, at non iisdem verbis ex necessitate quadam perpetua.
2. Hunc autem locum plerique decepti Judæorum interpretationibus aliter accipiunt, quàm prout nobis est Matthæus author. Alii hunc locum torquent ad ablegationem Jeremiæ Godoliam versus, de qua Jerem. 40. Hoc verè Judæi ipsi confutarunt. Alii ad clades quas Assyrii intulerunt, 2. Reg. 16. & seq. & 1. Chron. 5. Alii ad deportationem Israëlitarum in Assyriam: Alii ad singularem aliquam historiam, sed cujus nulla exstet (quæ quidem huic Prophetiæ certò accommodari possit) in Testamento vetere mentio. viderunt enim, si de illa calamitate universi Israëlitarum regni voluisset Propheta agere, neque fuisse opus tot circumstantiis singularibus, neque fuisse has circumstantias singulas ipsi historiæ & rerum gestarum veritati responsuras. Nam primùm Rama Benjaminis est; deinde est regni Judaici, non autem Israëlitici: contrà quam Judæi docent, Ramathajim, id est, ambas Ramas, quæ in Ephraimo sitæ erant, cum Rama Benjaminis confundentes. Præterea ne fortè objiciant Ramam fuisse alteram in tribu Naphthali, cõsultò nominatur Rachel, quæ Josephi solùm fuit & Benjaminis mater. Adhæc matres de filiis tantùm in hac calamitate dicuntur luxisse: in illa omnes ordines Israëlitarum de omnibus fuerunt in luctu. Tum hæ matres non de eo quòd deportabantur filii, sed de eo quòd non erant, affirmantur ejulasse. Postremò res futuras Propheta prænunciat toto illo capite: non autem narrat præteritas. Illa verò quæ Judæi de sua deportatione fabulantur, jam antè nonaginta annos minimùm effluxerant. De illorum autem interpretatione, qui particularem aliquam historiam, sed incompertam & incertam hîc notari putant à Jeremia, non est cur dicamus pluribus. Nam certam, compertámque historiam nobis Matthæus affert: quam historiam accommodationémq; nos certa fide amplecti satius est, quàm in historiis incertis oberrare. Deinde quorsum incerta hujusmodi historia in elegantissimas prædictiones de regno Christi inferta esset? Nam propterea in alterum quoque scopulum

Jos. 18. 25.
Isa. 10. 11.
1. Sam. 1. 1.
Jos. 19. 36.

pulum

pulum impingitur, quum respondetur prophetias Jeremiæ promiscuè, & sine ordine, judicióque congestas esse; quod dictum nemo facilè probaturus est, qui librum primò à Jeremia scriptum, deindè quum mandato Jojakimi Regis igni fuisset traditus, de integro perscriptum à Barucho fuisse meminerit, Jerem. 36. Restat igitur ut hanc Prophetiam ad designanda principia regni Christi, & quasi digito commonstranda, dicamus pertinere; quò certè & antecedentia apud Jeremiam & consequentia omnia pertinent. Id autem tribus argumentis satis est confirmari: primùm ab adjunctis omnibus, de quibus modò dicebamus; secundò à natura loci; nam quid novi fuisset Propheta dicturus? & quorsum ista inter Euangelicas promissiones adducturus? postremò à circumstantiis omnibus; quæ nusquàm alibi (ut antè diximus) quàm in hac ipsa Matthæi historia recognosci possunt, ut Matthæus exponit fidelissimè.

PARALLELUS VIII.

Esaiæ 11.

1 *surculus e radicibus Jesse efflorescet.*

Esa. 60.

21 *ut surculus plantarum mearũ opere manuum mearum glorietur.*

Zachar. 6.

12 *Sic edixit Jehova exercituum dicere me, Ecce virum, cui nomen est* GERMEN, *qui è loco suo progerminet, ædificétque templum Jehovæ.*

Matthæi 2.

23 habitavit in civitate quæ dicitur Nazareth, ut impleretur quod dictum est per Prophetas, quòd Nazoræus vocabitur.

ETsi de fine & summa horum locorum, quos diximus inter se comparari oportere, facilis futura est explicatio; quia tamen variè cum harum appellationum, tum verborum Matthæi interpretationes & accommodationes ad hoc usque tempus prolatæ sunt; id priùs videndũ est, ut de his duabus rebus certi aliquid statuamus, antequàm dicamus de singulari hujus loci interpretatione. Priùs ergò de vocum homonymia, tum de multiplice explicatione dicturi sumus: His demùm positis, expositurì Matthæi verba. Nazaræorum appellatio apud Latinos tam est homonyma quàm quæ maximè: apud Græcos, minus; apud Hebræos & Syros, minimè. Animadvertimus enim quatuor esse in libris nostris Nazaræorum genera; ut Latini quidem authores hac voce communi denotant. Primum est eorum, qui legibus illis à Mose scriptis Num. 6. tenebantur: Secundum, eorum qui a Nazareth opido Galilææ dicti sunt: Tertium, eorum qui pro authoritate interscide-runt, aboleverúntque Testamentum vetus: Quartum, eorum qui duo prima genera inter se confundentes, Christianos teneri docuerunt legalibus Testamenti veteris ceremoniis. Quorum primum genus est Veteris Testamenti; secundum, Novi; tertium verò & quartum, Historiæ Ecclesiasticæ.

Ad primum genus quod attinet, appellatur Hebræis *Nazir* in locis Scripturæ quàm plurimis; quam vocem Græci interpretes plerumque appellativè, interdum verò quasi propriè reddiderunt. Appellativè

Jud.13.5.& 7. & 16.17. Lament.4.7.
Euseb.li.7. Demonst. Euang. Nazianz. orat. Funebri in Patrem, & in Basilium, & εἰρηνικῷ primo. Epiphan. contra Hæres. li.1. Tom.2.
Act.22.23.

reddentes Septuaginta dixerunt ἅγιον, ἁγιάζοντα, ἡγιασμένον, ἢ δοξασθέντα, id est, sanctum, sanctificantem, sanctificatum, aut glorificatum: pro eorum videlicet locorum, in quibus occurrit, ratione. Aquila ἀφωρισμένον, id est, separatum: Symmachus verò ἄθικτον, id est, intactum sive illibatum reddidit. Quasi propriè verò ubicunque expresserunt Græci (fecerunt autem, si bene observavimus, in quatuor omninò veteris Testamenti locis) Ναζιραῖον fuisse scriptum testantur Eusebius, Gregorius Nazianzenus, & Epiphanius, quorum locorum tres hodierno die habent Ναζηραῖον, & ultimus Ναζαραῖον. Quamobrem Naziræos quoque Latinis fuisse dictos minimè dubitaverim; posteà ex affinitate vocum errorem in vulgus abiisse, & obtinuisse, ut Nazaræi pro Naziræis dicerentur. Etsi observandum illud est, nusquam in Testamento Novo hanc vocem exstare, quomodocunque legeris: sed tantùm periphrasticè à Luca dici τοὺς εὐχὴν ἔχοντας ἐφ' ἑαυτῶν: ne quis fortè hoc imperitè cum secundo illo Nazaræorum genere confunderet. Hoc itaque primum Nazaræorum genus, discretionis causâ, in his Parallelis ad originem, scripturámque priscam revocaturi sumus, & Naziræos dicturi convenienter Hebrææ voci.

Secundum Nazaræorum genus non duxit à ceremonia (ut illud antecedens) appellationem suam, sed à proprio nomine loci, qui in Galilæa est: prout cùm hîc ab Euangelista, tum locis aliis compluribus in Testamento Novo confirmatur. Ac in vetere quidem Testamento legi hoc nusquam meminimus; quia ne opiduli quidem ipsius certa fit nominatio, ex quo Nazaræi nomen habuerunt. Quòd si disertè opidi illius nomen in contextu Hebræo minimè legitur, non continuò tamen veterum tam Christianorum, quàm Judæorum repudianda est scriptura atque authoritas. Iudæi enim quique vetustissimi Nazaræos appellaverunt Notzerim, sive Notzeriim: quam vocem ad nostra usque tempora retinent; Christiani verò ex eodem fonte vocaverunt, Syri Notzerajaë, Arabes Notzarajaun: nempe ab opido quod Syrè Notzerath, id est, Nazareth vulgo appellatur. Græci Euangelistæ semper distinctionis ergò scripserunt Ναζωραῖος, aut etiam Ναζαρηνός; literámque Tzadi, quia stridula est (inquit Hieronymus) suo more per simplex Zeta expresserunt, sed Ναζιραῖος aut Ναζηραῖος scripsisse non comperiuntur usquam. Latini verò modò, sine ullo discrimine, Nazaræos dixerunt; modò adhibita distinctione aliqua, Nazarenos. Sunt autem hæc omnia à Notzera, sive Notzerath, aut etiam Natzerath, Syro vocabulo; Syrum verò ducitur ab Hebræo Netzer, quo significatur surculus è trunco succiso, atque intermortuo repullulans, & quasi asservato intus succo sobolescens, si appellativè placeat reddere. Propriè verò nomen est illius opiduli, cujus situm in Galilæa describit Lucas cap.4. Atque hinc Christus Ναζωραῖος & Ναζαρηνὸς est denominatus, itémque per circumloquutionem dictus ὁ ἀπὸ Ναζαρέθ, ne quisquam præcedentes voces aliter posset exponere. Et Christiani quoque, ex professione fidei suæ in Jesum Christum Nazarenum, Nazoræi olim vocati sunt. Quapropter Hieronymus Latinè scribens, etsi nulla litera distinxit à Nazoræis Naziræos, idem tamen in Isaiam apertis verbis ostendit peritos Hebræorum ita accipere, ut modò diximus; & Syrum vocabulū Notzerath, tum scribens ad Marcellam, tum etiam alibi passim interpretatur florem Galilææ (sic enim reddit ubique Hebræum Netzer, accipiens florem pro efflorescente & pullulante

Act.24.5.

germine)

germine) ut omnem dubitationis ansam eximeret hac sua interpretatione.

Tertium Nazaræorum genus, & origine, & scriptura differt à superioribus. Nam cum primum genus per zeta scribi oporteat, secundum verò per tz, qua litera carentes Græci id saltem curaverunt, ut discrimen in vocalibus poneretur: hoc tertium per simplex ſ scribi necesse est, quemadmodum νασαραίους per σῖγμα scripsit Epiphanius, id est, (ut ipse interpretatur) ἀφανιστάς, à verbo Syro Nesar, quod est rescindere atque abolere. Istis enim ex eo nomen est inditum, quòd libros Mosis & reliquam scripturam Testamenti veteris confictos fuisse confirmarent. *Epiph. li. 1. contra hæreses, tom. 1.*

Vltimum genus eorum est, quos Eusebius inter Ebionæos, vel Ebionitas refert: alii verò separatim ab Ebionitis recensent in hæreticorum numero. Hi autem in Jesum Christum ita crediderunt, ut legalium ceremoniarum observationem simul cum Euangelio Christianis esse necessariam prædicarent; & factum illud, erroremque Petri, quo Antiochiæ lapsus est (quamvis palàm à Paulo reprehensum) pertinaciter defendentes, oppugnaverunt libertatē Ecclesiarum Christi. Quod impium dogma quum Antiochiæ primùm invaluerit, fortasse occasionem Antiochenæ Ecclesiæ dedit, ut viri boni se non ampliùs Nazoræos aut Nazarenos; sed Christianos potiùs appellarent. Ac postremum quidem hoc Nazaræorum genus (qui primi sive imperitia, sive malitia, fuerunt authores, ut Nazoræorum vel Nazarenorum appellatio cum Naziræis confunderetur, quemadmodum ritus & officia eorum confundebant) maximum habuit sententiæ suę hyperaspistem defensorémque Symmachum, celebrem illum Testamenti veteris interpretem, qui ex hoc ipso Matthæi loco sic exagitavit Patres, & suos in isto errore ita confirmavit, ut iidem posteà Symmachiani appellarentur, Augustino teste: quod ipse quoque Eusebius his verbis innuit, καὶ ὑπομνήματα δὲ τοῦ Συμμάχου εἰσέτι νῦν φέρεται ἐν οἷς δοκεῖ πρὸς τὸ κατὰ Ματθαῖον ἀποτεινόμενος εὐαγγέλιον τὴν δεδηλωμένην αἵρεσιν κρατύνειν. Hæc de quatuor illis Nazaræorum generibus satis: quorum postrema duo cùm ad hunc locum minimè pertineant, sed historię sint Ecclesiasticæ (ut ante diximus) placet jam de superioribus illis duobus agere, & quid huic loco maximè conveniat expendere. Ex prima Nazaræorum forma, quos Naziræos dici propriè docuimus oportere, exsistit triplex interpretatio. Prima ortum habet à votivis illis & legalibus Naziræis, de quibus Num. 5. Secunda à Naziræis natis sive effectis divinitus; cujusmodi fuerunt Samson & Joannes Baptista: Tertia, ab utroque genere conjunctim petita est. Prima interpretatio est ejusmodi: quæ de votivis Naziræis in lege dicta sunt, ea quoque ad Christum anagogicè referri oportere. Hanc interpretationem si tam firmam certamque putarem esse quam promta & facilis est, acciperem animo æquissimo: sed multa sunt impedimenta; scriptura, ritus, accommodatio, & alia ejusmodi. Nam in scribendi ratione, sive literas Hebræorum, aliorúmque Orientalium spectes; sive Euangelistarum Græcorúmque omnium; scriptura sanè ubique diversa est, ut antè demonstravimus. Quam rem quisquis non attendit, fallitur; & qui parvi æstimat, is mea sententia ad rei veritatem non satis attendit. Ad ritum verò quod attinet, cùm Christus (ut ait Apostolus) fuerit factus sub lege, non potuit profectò legitimè, nisi post consummatam redemtionem, eximi ab illis Nazirȩatus ceremoniis

Euseb. li. 6. Histor. Ecclesiast. cap 17.
August. li. 7 de baptismo contra Donat.
Epiphanius lib. 1. contra hæreses tom 2.
Gal. 2. 11.
Act. 11. 26.
August. li. 19. contra Faustū Manichæum cap. 4. & 18.
Gal. 4. 4.

ceremoniis quas Lex imperabat, si fuit Naziræus: ac proinde non debuit Christus Jesus quicquam de vite attingere, non comam radere, non mortuum accedere: quas res singulas postremi illi Nazaræi, de quibus antè dicebamus, aut (si ita placet) Symmachiani ex hoc Matthæi loco voluerunt confirmare. Atqui de coma quidem, quod certò statuam non habeo: quamvis ex verbis Pauli, & communi Judæorum usu Christum non aluisse eam verisimilius videatur. De vite autem & bibit ipse, & bibendum aliis ministravit, & Christianos in sacra cœna mandavit bibere: quod procul dubio, si Naziræus fuisset ex isto genere, minimè fecisset omnium. De mortuorum verò accessu & contactu, quid pluribus est opus? Plenæ sunt exemplis sacræ Euangeliorum paginæ. Postremò autem, si accommodationem spectes, Deus bone, quàm multa desunt, ut ille Naziræorum ritus Christo Nazareno, & illa appellatio nomini opiduli proprio aptari possit! Quæ omnia ut enucleentur accuratissimè, tamen neque pios docebunt solidè, neque revincent impios. Etenim nullum hic probationis genus à rebus disparatis & minimè cohærentibus futurum esset: neque verò exemplum simile ex Matthæo ullum afferri potest, studiosissimo inprimis Euangelista Testamentum vetus cum Novo comparandi. Cùm itaque neque ad probationem, neque ad illustrationem illud pertinere possit: non fuisse hoc sensu à Matthæo allata hæc verba statuimus. Jam igitur videamus, utrùm meliùs sibi constare possit altera interpretatio. Secunda interpretatio hujusmodi est: quæ de Samsone, veluti indictivo & nato Naziræo Dei, jam olim dicta sunt, ea apud Sanctos Patres præfiguravisse veritatem completam in Christo, & anagogicè ad Christum pertinere; quod Matthæus hoc in loco indicavisse creditur. Ac mihi quidem, si unum aliquod istarum ceremoniarum genus ex hujus loci interpretatione Christo accommodari oporteret, probabilius hoc videretur, indicti potiùs quàm legalis, & nativi quàm votivi Nazirçatus typum attribui Christo: idque permultis nominibus, imprimis autem quia hic typus magis expressus est, quàm ille sit, & propinquior veritati Christi. Sed tamen multæ sunt rationes quæ hanc interpretationem evertunt, & planè me deterrent æquè ab hac, atque ab illa explicatione. Nam primùm diversa est scriptura: tum ceremoniæ à Christo nunquam observatæ: deinde difficilis accommodatio: præterea typus involutus; qui tamen nisi proprius est, & ad eam rem de qua agitur, destinatus, neq; probat necessariò, neq; ad illustrationem hujus loci tantillum facit, ut in antecedente Parallelo modò ostendimus. Accedit etiam quinta causa, quam prudenter Hieronymus in hunc ipsum locum observavit, *Si fixum*, inquit ille, *exemplum de scripturis Matthæus posuisset, nunquam diceret, quod scriptum est per Prophetas: sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam. Nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de scripturis sumsisse, sed sensum.* Nemo autem Prophetarum ullam Samsonis mentionem facit, præterquàm author libri Judicum.

1.Cor.11.

Sequitur ergò, ne hunc quidem Samsonis typum (quem tamen communem typum cum Joanne Baptista habuisse antè docuimus) his verbis à Matthæo accommodari Christo. Ac propterea, dixerit fortasse quispiã, tertia interpretatio videtur adhibenda esse; nempe ut ex utrisque Naziræis composita intelligatur hæc Christi appellatio. Audio illud quidem: sed tamen, bona omnium pace dixerim, quàm benè ad utrumque genus conjunctim referatur, neque ipse adhuc observare potui,

potui, neque ex illorum scriptis, qui ita senserunt, cognoscere. Nam exstant, fateor, communia in utroque Naziræatu quædam; ut sunt capillamentum, rerum vineaticarum abstinentia(de Lege enim ad mortuos pertinente nulla planè in Samsonis historia mentio) & si qua sunt ejusmodi. Sed illud votivum est; hoc indictivum sive imperatum: illud temporarium; hoc perpetuum: denique illud commune omnium volentium; hoc autem singulare. Quapropter inter hæc etsi aliquid commune est, suis tamen modis inter se differunt, nec satis commodè confunduntur, ut aptentur uni Christo Servatori nostro. Deinde, quis non videat superiores causas singulas ad hoc etiam genus interpretationis pertinere, & ipsum una eademque opera refellere? Nam sublata hac utráque specie, genus quoque oportet intercidere. Quę cùm ita sint, omnino statuo non agi hoc loco de ulla inter Naziræos ceremoniales & Christum Jesum, qua Nazaręnus est, convenientia: cujus specie olim Nazaræi illi vel Symmachiani turpiter decepti sunt. Hęc ita se habere videbat olim Hieronymus, ut iis verbis demonstravit quę antè adduximus. Videbat etiam Chrysostomus: qui animadvertens scopulum inesse in hac interpretatione, in alterum maluit imprudens ruere, dicendo, *Quis igitur hoc asseruit Prophetarum? nequaquam scruteris ista; neque in rebus ejusmodi esto curiosus. Multa enim ex Propheticis periere monumentis*, &c. Et Theophylactus in eamdem sententiam, aut libros intercidisse respondet per Hebræorum incuriam, & perpetuum successum deportationum: aut ore tenus agraphōs id olim fuisse à Judęis dictum. Ex iis quæ hucusq; a nobis dicta sunt, certo videtur certius, non respexisse Euangelistam ad priscos Naziræos legis, aut ad Samsonis typum, aut ad utrosque simul; sed aliunde potiùs aliquam interpretationem alteram conquirendam esse, quæ Matthæi verbis convenientiùs aptari possit. Quapropter summi viri olim & Hebrææ linguæ peritissimi (teste Hieronymo) verbis sancti Matthæi propiùs insistentes, abjecta illa de Naziræis interpretatione, alteram amplexati sunt; & Christum ab opido Nazareth appellatum fuisse Nazarenum non solùm eventu, quem Matthæus narrat, verùm etiam antecedentibus jam olim Prophetiis statuerunt confirmari. Atque hanc illius interpretationem nunc quasi è pulvere excitaturi sumus, & quàm simplicissimè fieri poterit, Deo authore, exponemus. Finis igitur est hujus loci, ut quemadmodum Christus à gente, conceptione, ortu, & loco, tam nativitatis quàm exsulii, adjunctisque omnibus fuit in Ecclesia demonstratus: ita etiam a loco educationis, ubi vixit donec ad vocationem suam capessendam à Patre missus est, quasi digito indicetur, & cognoscatur in Ecclesia Dei.

Homil. 9 in Matth.

Summa est, etiam a loco educationis, ubi Christus transegit vitæ suæ partem, confirmari posse Jesum esse Christum, quum in opido Nazareth fuerit educatus, quem locum Prophetæ jam olim ipsi assignaverant. Hæc omnia facilè bonos omnes confido mihi daturos esse, si unum tantùm exceperis: nempè quòd diximus hunc locum per Prophetas Christo ad educationem fuisse assignatum. Hoc si demonstremus, confecta erunt omnia. Verùm id ut commodè possimus obtinere, ponendum est illud quod extra controversiam videtur esse, quędam à Prophetis clarè exprimi, quędam obscurè innui, & ænigmaticè. Nam ænigmata in lege aut Prophetis poni non magis est admirandū, quàm adhiberi typos aut allegorias, de quibus suprà Parallelo septimo dicebamus:

Lib. 15. de trinit. cap. 9. & in Psalmum 48. bamus: cum ænigma nihil ſit aliud (ut Auguſtinus loquitur) quàm obſcura Parabola ſeu allegoria, quæ difficiliùs intelligitur. Ex quo fit, ut non omnis parabola aut allegoria pro ænigmate habeatur; ſed omne ænigma ſit allegoria. Adhibetur autem hoc docendi genus duobus modis. Nam aut in rebus ea eſt obſcuritas, quæ ſine tropis nec tradi poſſit, nec percipi: aut ex conſilio eorum qui dicunt, adhibentur tropi atque ænigmata, etiam in iis rebus, quæ poſtea-quam declaratæ ſunt maximam habent evidentiam; prout de typis & allegoriis antè dicebamus. Ac fuerunt quidem Prophetiæ de Chriſto & regno ipſius ænigmaticæ, tum propter obſcuritatem rerum, tum propter longinquitatem temporum. Sed quoties certo conſilio Deus ænigmaticè res obſcuras expoſuit per Prophetas ſuos, hoc verò & gratiam in dicendo docendóq; habet, & dignitatem maximam. Fuit autem hoc ipſum in ſingulis fermè prophetiis obſervatum, quibus perſona Chriſti fuit adumbrata. Verbi gratia, in perſonis ſpectantur iſta; genus, genitura, natio, ſexus, educatio, habitus, animi conſtitutio, conditio, bona, converſatio, ſtudia, res geſtæ, nomen, mors, & ſi qua ſunt ejuſmodi. Hæc autem ſingula de Chriſto ænigmaticè, allegoricè, aut typicè Prophetæ enunciaverunt. Genus ac tempus Patribus ænigmaticè, καθ' ὅμοιον proponebat

Eſa. 11. 1. Eſaias dicens, *Prodibit virgula e trunco ſucciſo Jeſſe*: quæ quidem verba jam non videntur noſtris, ſunt tamen fuerúntque tempore ſuo ænigmatica. Similiter genitura, quàm eſt ænigmatica in boni illius po-

Gen. 49. 10. triarchæ Jacobi verbis! *Non deſiſtet ſceptrum à Juda, neque Legiſlator è medio pedum ejus, uſque dum venturæ erunt ſecundæ ejus*; nimirum Judæ, ut maſculinum genus pronominis in Hebræo ſermone oſtendit. Sunt enim ſecundæ à natura non virorum, ſed mulierum: is autem quem ſecun-

Eſa. 7. dæ unæ progenuerunt, idque ſine viro, Is unus eſt Chriſtus, ſemen promiſſum mulieris. Quod ænigma ſuccedente tempore Eſaias commodiſſimè declaravit, dicens, *Ecce virgo concipiet*, &c. Quinetiam hodierno die hoc ipſum verè ænigma eſt, ſi quis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſecundas viri vocaverit: Neque verò ſi tenemus alicujus dicti obſcuri interpretationem, continuò ænigmaticum nihil ineſſe putandum eſt. Conſimiliter autem multa de his aliiſque rebus exſtant ænigmata, cùm alibi, tum per totum caput 53. Eſa. ad perſonam Chriſti pertinentia, à quibus hoc loco brevitatis ergò ſuperſedebimus. Eodem igitur jure eodémque modo hic à Propheta judicamus pariter attingi educationis locum, ut poſteà demonſtrabimus. Sunt autem duo genera ænigmatum: unum majus, ut ita dicamus; quod totam ſententiam complectitur, eámque obſcurat vocibus compluribus: alterum minùs ſive anguſtius; quod ſententiam quidem integram obſcurat, ſed obſcura vocis unius tantùm aut alterius tranſlatione. Illud Grammatici quidam ſimpliciter ænigma vocant, hoc verò ὑπαίνιγμα ſive ὑπαίνιξιν. horum autem neutrum pro allegoria propriè haberi poteſt: quia obſcuritatem aut in voce ſolùm, aut in ſenſu habet allegoria; ænigma verò in utroque ſimul. Ac poſterioris quidem generis (hic enim de illo potiſſimùm à nobis agitur) quod apud Hermogenem ſuo caret nomine, ſex modos memini apud bonos authores obſervari, nempè κατὰ τὸ ὁμοιώνυμον, κατὰ τὸ συνώνυμον, κατὰ τὸ σύζυγον, ἢ παρώνυμον, κατὰ τὸ παρηχοῦν, κατὰ τὴν ἱστορίαν, καὶ κατὰ τὴν γλῶσσαν. Etſi autem horum modorum omnium exempla in ſcripturis exſtant, hoc tamen in exponenda educatione Chriſti uſurpari maximè oportuit, propter eam cauſam quã poſteà

dicturi

dicturi sumus. Itaque statuimus Esaiam διὰ τῆς ὑπαινίξεως excoluisse alterum ænigma illud, quod antè eodem versu posuerat. Dixerat enim fore, ut prodeat Christus è genere desolato Jesse & Davidis, tanquam virgula è succiso trunco ac penè intermortuo: deinde verò hoc ipsum ænigma exornat διὰ τῆς ὑπαινίξεως, quum ait, eam fore virgulam Netzer, id est, surculum, aut Nazoræum, Nazarenúm-ve, id est, surcularium, qui è radicibus Jesse efflorescat: quam paronymiam ænigmaticam Zacharias ἐν τῇ ὁμωνυμίᾳ interpretabatur, dicens futurum ut efflorescat e loco suo; quem locū sedémve surculi, Hebręi Netzer, Syri Natzerath vel Notzerath appellarunt. Esto sanè, dixerit quispiam: at quibus in locis Prophetæ ænigmatis & hypænigmatis fuerunt usi? Respondeo, in iis certè argumentis usi sunt, quæ aut per se naturáque rei obscura sunt, pro amplitudine ipsius & tenuitate captus nostri, aut circumstantiis, ut antè monuimus. Non enim μυθίζει ἐν τοῖς φανεροῖς Deus, sed τυπίζει τὰ σκοτεινά. Quid ita? hoc verò malim Hermogenis verbis, quàm meis ipsius exponere. Postquàm enim περὶ δριμύτητος cœpit agere, his verbis utitur, *Alterum verò præter hoc sive acumen, sive acrimoniam dixeris, genus est acuminis, de quo est difficile statuere, utrùm in dictione versetur, an verò in sensu: quia de toto non potest confirmari, inesse aut non inesse ἐννοίας. Nam consideratur quidem in dictione acumen illud vel acrimonia; sed illa ipsa dictio quæ acumen habet, nihil per seipsam habet acuminis, si quis illam ab ea sententia, ubi est, subduxerit, aut ab iis rebus quæ antè dictæ fuerint. Hoc autem non accidit aliis orationum formis: sed pura dictio ubiq; pura est, ut gravem sententiā per seipsam exprimat, quamvis non præcedat quicquam: & gravis quóq; dictio gravis est, quamvis neq; sententiam gravem aliquis expresserit, neq; verbum ullum antè posuerit: & aliarum denique formarum orationis similiter constans est ratio. Verùm dictio hæc quæ per seipsam nihil habet ejusmodi, sensum quendam tamen significat, quem propriè non potest obtinere, nisi ex consequentia adjunctarum vocum; ac proinde tanquam lepore quodam acuta est ipsa, & acumen jucundum efficit*, &c. quæ deinde confirmat ille exemplis illustribus e Xenophonte, Sophocle, Euripide, & Euphorione sumtis. Atque hoc quidem dictionis genus veteres ipsi, modò serii in rebus gravibus, modò ludibundi per ironiam usurparunt. Exempli causa: Ironicum est, quum mendicum hominem ἐξ Αἰτωλίας vocat Homerus, teste Eustathio, & quum dicit Comicus, τὴν μὲν χεῖρ᾽ ἐν τοῖς Αἰτωλοῖς, ὁ δὲ νοῦς ἐκ Κλωπιδῶν. Quo dictionum genere abundat Plautus. Grave autem illud est, & religionis speciem habens, quum in Odyssea Pallas μάντις τερῶν ἡγήτωρ appellatur, id est, potens rerum admirabiliū præses; quo sermonis genere prisca simplicitas plurimùm delectata est. Quòd si usquā hoc genus dictionis adhiberi potest, id in futurorum prędictionibus fit cōmodissimè, judicio meo. Itaq; si quam ironicam ὑπαίνιξιν ex scripturis petimus, ecce Esaiam Prophetam gravissimum, qui clamosam Edomæam, & verbo populóque Dei illudentem, appellat *Dumam*, quasi silentem dicas, artificiosissima ὑπαινίξει, κατὰ τὸ παρήχησιν, eademque operā κατὰ τὴν ἱστορίαν, pro eo quòd clamosa fuerat insolentissimè, pręnunciat irruente judicio Dei silentem fore; & lugubrem illius statum una vocula εἰρωνικῶς ὑπαινίττεται. En sanctissimum illum Jeremiam, qui etsi Babylonem disertè nominare nusquam dubitavit; tamen acutè alteram vocem succedaneam duobus locis adhibet ad exponendum pręcipitem Babylonis casum, quo tempore celebrandis diebus festis incumbebat. *Deniq;*, inquit ille *Rex Sesac bibit*

Zach.6.12.

περὶ ἰδεῶν τόμῳ β.

Esa.21.11.

Jerem.25.26. & 51.41. *bibet post eos*: & alibi, *quomodo capta est Sesac, & occupata laus totius terra*, &c. Nam Sesac vocabulum est ortu Babylonicum, quo diem illum Babyloniorũ festum presignificavit Jeremias κτ̓ τὴν γλῶσσαν; qui dies Babylonis omnibus repentè funestus a Deo effectus est, prout describit Daniel. Sin autem seria & gravia ὑπαινίξεως exempla volumus. Jacob κτ̓ τὸ ὁμώνυμον Sichemitanum agrum assignat Josepho: Esaias κτ̓ τὴν ἱστορίαν Babyloniam, desertum maris: Judæam, vallem visionis vocat. Micheas κτ̓ τὸ παρήχησιν Aegyptum appellat Matzor. Verùm, ut aliena exempla omittamus, nihil est quod gravius, acutius aut elegantiùs Prophetæ expresserint sermone suo, & figuris hujusmodi exornaverint, quã regnum Christi, doctrinámq; Euangelii; quemadmodum in hoc ipso argumento duo loci exstant, in quibus Christus nominatim appellatur Netzer, communi tam exterorum quàm Hebræorum appellatione. Prior locus sic habet: *Prodibit virgula è trunco succiso Jesse, & Netzer*, id est surculus, *è radicibus ejus efflorescet*: quem locum Chaldæus ipse Paraphrastes, & Judæi omnes de Messia viderunt accipi oportere. Quamvis autem Netzer surculum denotet; cùm tamen Esaias aliquid amplius hoc, quàm priore membro, dicere voluerit; non dubitamus, quin ascita hac voce, δι' ὑπαινίξεως exposuerit illius loci nomen, ubi Christus fuit educatus. Solent autem propria nomina apud Hebræos fieri patronymica sive gentilia: & quæ purè primitiva sunt pro suis deriuatis accipi. Quẽadmodum igitur nomine Israëlis & Jacob, ipse designatur, & Israëlitæ ipsius posteri: quemadmodum Hebertum de Hebero, tum de Hebræis Heberi posteris dicitur; Cenaan quoque de illo Chami filio & posteritate illius; & Sidon de urbe illa Phœniciæ & incolis illius: sic Netzer modò est Nazareth, modò Nazarenus. Qua ratione Esaias dixit Netzer, id est, Nazoræum, sive Nazarenum in opido Nazareth educatum fore eum, qui ex trunco succiso Jesse prodivisset. Sic rem unam evidenter, alteram obscurè docuit: genus quidem & generationẽ apertis verbis; educationem verò tectis & obscurioribus κτ̓ τὸ ὁμώνυμον exprimens. Posterioris loci ratio est eadem. Nam etsi videtur esse in speciem obscurior propter varias ac multiplices interpretationes; re vera tamen planus est & apertus, si Prophetæ mentem spectabimus. Postquã enim promissiones amplissimas typis & allegoriis permultis expressit Deus, tandem sermonem suum concludit his verbis, *populares tui quotquot erunt justi in seculum jure hæreditario possidebunt terram, ut Netzer*, id est, surculus, *plantarum mearum opere manuum mearum glorietur*. Hic surculus est Christus Nazarenus, cujus epitheton ab educatione sumtum Esaias iterum ὑπαινίττει. In hunc autem surculum insitę sunt animæ Christianæ, tanquam Dei plantæ, quæ ut manibus Dei, id est, vi omnipotente spiritus sunt plantatæ in Christo, inoculatæ, insitæque per fidem; ita in eodem excoluntur. Harum enim plantarum prosperitas gloria est surculi qui fert illas, non autem ab illis fertur. De hoc opere manuum Dei, Christus Nazarenus surculus plantarum Dei gloriatur.

Dan.5. Gen.48.44. Esa.21,1.& 22.1. Mich.7.12. Esa.11.1. Esa.60.21.

Zach.6.12. Tertius locus, quem ex Zacharia Propheta adduximus, nihil difficultatis habet. Nam quodcunque germen efflorescit, id è surculo suo efflorescat opus est, eaque sedes est germinis. Hanc similitudinem Propheta excolens Christum pronunciavit è loco suo, id est, è Nazareth erupturum, & se ad ædificandum domum Jehovæ è loco educationis suæ exerturum. Quam rem à Christo fuisse obseruatam omnes Euangelistæ confirmant; ut qui eo demùm tempore ex Galilæa, opidóque

Nazareth

Nazareth in publicum processerit, quo fuit obiturus vocationem suam. Hinc igitur Christus & Christiani Nazoræi sunt dicti, quòd Christus (ex quo Christiani) in opido Netzer sive Nazareth conversatus est, quod Esaias ὁμωνύμως, & Zacharias συνωνύμως pronunciaverat. Huic autem interpretationi objiciuntur ista: novam esse hanc; illam priorem esse apud omnes receptam; denique hoc ab Esaia minimè dictum videri. Harum objectionum duæ authoritatis sunt, postrema rationis speciem habet. Authoritatem ullius hominis authoritati Sp. sancti per Matthæum loquentis opponi non oportere omnes sani judicaturi sunt. Sed tamen, ut ex ordine dicamus, quòd novitas huic interpretationi objicitur, iisdem argumentis refellitur, quæ in Parallelo septimo posuimus, quem in locum brevitatis causa rejectum lectorem volumus. Illam apud omnes fuisse receptam jam antè negavimus, & documentis veterum comprobavimus: contrà verò idoneos testes produximus hujus interpretationis nostræ. Restat ut rationum caput & fundamentum evertamus paucis. Non videtur, inquiunt, hoc ab Esaia aut Zacharia dictum, nec à Matthæo illud. Respondeo, Agnoscimus Esaiam iis locis quos antè produximus de Naziræis legalibus nihil quicquam dicere: Matthæum verò hoc loco de illis agere ex ipsius verbis & interpretatione pernegamus. Cùm itaque neuter de Naziræis agere hoc quidem loco statuerit; illud probamus maximè omnium, ut altera aliqua pervestigetur interpretatio. Dicit autem Matthæus Christum venisse habitatum in civitatem Nazareth, ut impleretur quod dictum est per Prophetas, Nazoræus vocabitur. Hoc ergo per Prophetas fuisse dictum necesse est. Quòd si dictum est, aut propriè aut figuratè dictum oportuit, claris aut obscuris verbis. Propria & clara verba de hac appellatione in Prophetis legere non memini; nec verò legi puto, cùm nemo adhuc aut in Orthodoxa antiquitate, aut memoria nostra quicquam ejusmodi pervestigaverit, atque tradiderit. Restat ergò, ut figuratè & obscurè Christum a Prophetis Nazoræum dici judicemus. Jam verò ad loci Nazareth & Nazareni hominis appellationem, quid accedat apud Prophetas, nondum aliud compertum est, quàm id ipsum quod ex Esaia & Zacharia comparavimus. Atque in hanc sententiam facere videtur maximè (ut ea omnia quæ antè dicta sunt omittamus) quòd vox illa Netzer nusquam apud Prophetas Hebraicè loquentes legitur, nisi his duobus locis; ac de nemine præterea Hebraicè agendo prædicatur, quàm de Christo Servatore nostro. Quod enim prętereà semel Esaias de rege Babyloniæ agens hac voce utitur, in eo Syrissat vel Chaldaissat μιμητικῶς, prout singulis ferè versibus Chaldæas voces interspergit eodem capite. Nec obstat, quòd objiciunt à Matthæo dictum, *fore ut Nazoræus vocetur*; non autem Netzer. Nam primùm, ex Hebræorum usu, vocem unam conjugatam, altera ferè complectitur: secundò pervulgatissimum est propria nomina Hebræis usurpari patronymicorum & gentilium loco, ut antè dicebamus. Postremò hujus loci nomen Prophetæ eleganter ὑπαινίξαι, hic quidem voce paronyma, ille verò synonyma & periphrastica; tanquam si dixissent, Christi locum appellari *Netzer*, id est, surculum; cúmque propterea esse *Notzri*, id est, Nazoræum sive Nazarenum. Sic Matthęus ulla ratione non ἀλληγορίζει, sed Prophetarum sanctorum ὑπαίνιξιν disertis verbis explicat. Regerent fortasse Judæi, *Netzer* substantivum & appellativum esse, ideóque de loco Nazareth non enunciari. Sed ut hoc demus

Matth. 4. & alibi.

Esa. 14. 19.

demus ipsis nomen appellativum esse; tamen non est insolens ex appellativis propria, aut ex substantivis adjectiva & gentilitia fieri. Tum indignum est eos Prophetis figuras & umbracula verborum adimere, quibus maximè illuminata est olim Spiritus sancti oratio. Postremò, cùm *Netzer*, rara sit vox in Testamento vetere, Syris potiùs & Chaldęis quàm Hebræis recepta; eáq; de Messia tantùm Hebraicè enunciata; id illis in mentem venire oportuit, hoc singulari usu omnino singulare aliquid significari, præter communem appellativę vocis interpretationem. Quid autem illud est? Christum in Ecclesia Judæorum olim fuisse appellatum *Netzer*, id est, Nazarenum; eadem fide, qua aut David aut servus Jehovæ, aut germen, aut salutare, aut lumen dicebatur. Nam hæ quoque appellationes in novo Testamento exstant. Fuit igitur nomen istud *Netzer* providentia Dei attributum Christo, non solùm ad indicandum veritatem Dei in conservando genere Davidis; verùm etiam ad demonstrandum illum educationis locum, quem Esaias & Zacharias futurum obscurè prophetaverant, quemadmodum sanctus Matthæus optimè interpretatus est.

PARALLELUS IX.

Esai.40.	Matthæi.3.
3 *Vox clamantis*, &c.	3 Vox clamantis, *&c.*

Totus hic locus plenior est Luc.3.4. Quamobrem integram hujus loci interpretationem in illum rejecturi sumus.

PARALLELUS. X.

Deut.8.	*Matth.4.*
3 *Non e pane solo vivet homo, sed ex omni eo, quod prodit ab ore Jehoviæ vivet homo.*	4 Non è pane solo vivet homo, sed ex omni verbo prodeunte ex ore Dei.

Finis in utroque loco communis est, ut Dei voluntati accepta feratur universa ratio sustentandæ vitæ nostræ. Summa verò, à Deo utrumque esse, cùm instrumentum ad vitæ sustentationem pertinens, tum efficientem causam, id est, verbum & benedictionem ipsius. Omnia utrobique tam conveniunt, quam quæ maximè. Eleganter verò de hoc loco dicebat Hieronymus, *Adversarium vicit Christus testimoniis legis, non potestate virtutis, ut hoc modo & hominem plus honoraret, & adversarium plus puniret, cùm hostis humani generis non quasi à Deo, sed quasi ab homine vinceretur.*

PARALLELUS XI.

Psal.91.	*Matth.4.*
12 *Angelis suis præcipiet de te, ut servent te in omnibus viis tuis:* 13 *Super manus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.*	6 Angelis suis pręcipiet de te, & manibus tollent te, ne quando ad lapidem offendas pedem tuum.

Finis

FInis est in Prophetæ verbis, ut pii sancta fide & obsequio adhærentes Deo adversus omnia mala confirmentur. Summa, nullum malum piis tam grave accidere, quo everti & labefactari possint: nam omnia non solùm terrestria; sed etiam cœlestia saluti ipsorum ministrare, certa œconomia & dispensatione providentiæ Dei. Hunc locum Diabolus in Christum torquet, utens fallacia (ut vocant) divisionis. Nam cùm vias sanctorum Propheta in principio illius Psalmi accuratissimè demonstrasset, dicens, *Qui considet in latibulo excelsi, in umbra omnipotentis indesinenter pernoctat*, &c. quas vias Propheta in eodem versu consilio certo promissionibus Dei conjunxerat, dicendo, *ut servent te in omnibus viis tuis*: his omnibus divulsis, Satanas promissionem objicit Christo : conditionem verò abjicit. Quamobrem iniqua fuit hujus loci accommodatio, & huic conjuncta mutatio : cujus mutationis author fuit Diabolus. Hanc verò mutationem Matthęus bona fide narrat; ut impietatem audaciámque Satanæ ampliùs ostenderet, & personam filii Dei, & veritatem verbi uno impetu oppugnantis. De hoc autem mutationum genere supra in Parallelum quintum diximus ad institutum satis.

Parallelus XII.

Deut. 6.	Matth. 4.
16 *Ne tentate Jehovam Deum vestrum.*	7 Non tentabis Dominum Deum tuum.

FInis communis est, ut pii certa fide, quamvis pressi angustiis & difficultatibus gravissimis, abstineant ab omnibus modis adversantibus volútati Dei, & permaneant in ejus obsequio: Summa, debere pios adhærere Domino, nec ipsum antevertere, ut ea media, quæ non probavit Deus, amplectantur. Omnia sunt eadem in utroque loco; si hoc exceperis, quòd interdictum plurali numero expressum enunciat Christus singulari, hoc est, legalem thesim accommodat suę hypothesi, per applicationem atque *οἰκείωσιν* credentibus singulis necessariam.

Parallelus XIII.

Deut. 6.	Matth. 4.
13 *Jehovam Deum tuum revereberis, & ipsi servies.*	10 Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.

FInis est, ut sua gloria tribuatur Deo: Summa, pios debere operam dare, ut duo officia hæc, reverentiam & cultum, integra & inviolata constantissimè exhibeant Domino. Conveniunt omnia in verbis Mosis & Christi: si mutationes duas exceperis, quæ sanctissimo consilio per Christum factæ sunt. Prior mutatio est in priore membro, quum pro eo quod Moses dixerat, *Deum tuum metues*, vel revereberis, subjecit Christus, *Deum tuum adorabis*. Posterior in posteriore membro, cui Christus adjecit membrum *soli*. Prior mutatio, respectu hypotheseωs, seu præsentis causæ, à Christo facta est. Nam verbum generis restrinxit ad eam speciem, quam obtinere Satanas à Christo voluerat.

Genus est, timere vel revereri Deum; quo in genere continentur omnia piorum officia, interna & externa, quæ debentur majestati Dei. Quum autem Satanas unum ex istorum officiorum numero, quamvis in speciem levissimum, à Christo præstari sibi exigeret; sanctissimè Christus adversarium ad generalem legem revocavit, quæ apud Mosem exstat: & quia unam cultus speciem postulabat attribui sibi, verbum generalius ad eam ipsam speciem restrinxit Christus, ut sophisma illius argumentatione à genere ducta refelleret. Quòd autem vox, *soli*, additur, exegeticum est. Nam ostendit Christus, quòd ostentat Satanas omnia regna mundi, eorúmq; gloriam pollicetur Christo, si procidens in terram ipsum adoraverit; id nulla ratione Satanæ dari aut præstari quàm minimùm posse, quin summa illa potentia Dei in mundum & regna illius abjudicetur Deo: ac proinde duplicem impietatem fore, atque gravissimam, si quis Satanam hoc nomine salutaverit, vel adoraverit adorationis minima significatione. Primum enim impium illud esse, quòd Deo sua potentia adimitur; secundò autem non minùs vacare impietate illud, si quis ea de causa vel tantillum honorem Diabolo exhibuerit, qui Deo soli debetur universè, prout hîc solus regnorum Princeps atque donator est.

PARALLELUS XIIII.

Esa 9.	Matth. 4.
1 *Sed non obscurabitur quæ affecta fuerit angustia; "quum tempus hoc prius leviùs affecerit terram Zabulonis & terram Nephtali, ac posterius illud affecerit graviùs: viâ maris secundùm Jordanē Galilæa populosa.*	15 Terra Zabulonis & terra Nephtali *ad* viam maris secundū Jordanem, Galilæa gentium.
2 *Populus ejus, qui ambulant in tenebris, videbunt lucem magnam, super considentes in terra umbræ lethalis lux splendebit.*	16 Populus qui consedit in tenebris vidit lucem magnam; & qui consederunt in regione & umbra mortis, lux illis exorta est.

IMpudentissimam Judæorum audaciam in depravandis Scripturæ sacræ testimoniis evincit optimè omnium interpretatio, quam in hunc locum attulerunt: voces, accentus, constructio, sententia, omnia denique detorta licentiosissimè. Jonathanem verò Chaldæum Paraphrastem sententias justas ad primum versum adjungere, ut sensum aliquem utcunque eruat, mirum nobis esset; nisi reputaremus fuisse hominem cum plus æquo addictum allegoriis, tum ignorantem Christi. Sed quid ego de Græcorum interpretatione dicam? Ea certè, etsi ab Hieronymo, Cyrillo, & aliis Patribus adducitur bona ex parte, aut ab illis Septuaginta minimè profecta est (quod ego quidem sentio) aut omnes uno momento, quum ista scriberent, dormitarunt. Quamobrem, ne longiores simus, ad rem ipsam veniemus. Sic ait Esaias de verbo ad verbum: *Non erat obscuratum ei terræ Zabulonis & Nephtali, cui fuerit angustatum* (sic enim utuntur Hebræi ferè passivis verbis ἀπροσώπως, sive impersonalium lege, pro eo quod est, Non obscurabitur ea quæ fuerit affecta angustiis, *) ut tempus hoc prius leviùs affecerit terram Zabulonis & terram Nephtali*, &c. ut in capite seu diagrammate Paralleli nostri posuimus.

posuimus. Matthęus verò hic omissis rebus, quæ ad priscam historiam pertinebant, ea decerpsit solùm, quæ ad institutam suam narrationem faciunt: prout suprà fieri diximus in Parallelum quintum de hoc mutationis genere. Finis autem vel scopus Esaiæ fuit, ut judiciorum gravitate, quæ ab Emmanuele profectura in rebellem Judæorum gentem pronunciaverat, pii non dejicerentur; sed consolationem perciperent ex promissionibus Euangelicis de natura, virtute, officio, ac beneficiis Christi. Summa, etsi gravissima sunt mala impendentia & calamitates proximè sequuturæ, quibus vel constantissimæ hominum mentes deterreri possent; tamen eas ipsas calamitates proximè eventuras, signum in posteritatem fore, & argumentum ad confirmandam piorum salutem, gloriámque olim per Christum eidem loco obventuram, quem calamitátes tam graves obscuraverint: Nam incolas illius ipsius loci hunc honorem imprimis esse habituros, quòd sol ille justitiæ sit apud ipsos quasi exoriturus. Erit quidem, ait ille, memoria nostra consors Zabulonis & Nephtali Galilæa gentium, id est, frequentissima gentibus & populosissima, totúsque Israëlitarum tractus secundùm Jordanem situs duabus gravissimis cladibus per Assyrium opprimetur: primùm quidem à Tiglath Phalassare, 2. Reg. 15. 29. deinde verò à Salmanassare, 2. Reg. 17. Sed quemadmodum hanc gentem graviter oppressuræ sunt angustiarum tenebræ ante alias: sic etiam ante alias in temporum plenitudine maximum illud salutis nostræ lumen eas perlustrabit. Quod autem illud est? *puer qui natus est nobis*, &c. Retulerunt quidem Judæi verba hæc, *via maris*, ad mare Syricum atque mediterraneum; sed imperitè, nisi fortè malitiosè: cùm sequens membrum determinationem habeat evidentissimam, agi de *via maris quæ secundùm Jordanem est*: quod membrum ab antecedente divellerunt; quamvis re, consequutione, & prosodia conjuncta sint. Ut ergò meliùs appareat horum locorum inter se convenientia, hæc esto verborum Esaię analysis. Duo, inquit ille, afflictionis tempora terram Zabulonis, terrámque Nephtali hac ætate nostra graviter affectura sunt. Ac prius quidem leviori angustia afficiet Galilæam: quum Tiglath Phalassar ab Achazo Rege accitus eam depopulabitur, suisque opibus spoliabit. Posterius verò experietur angustiam longè graviorem; quum Salmanassar vastabit omnia, & Israëlem domitum in Assyriam deportabit. Hactenus metaphrasis παρενθέτου ἐξηγήσεως illius, quam Esaias versu primo de temporibus suis prędicavit, ac propterea Matthæus omisit de industria. Sequitur alterum membrum. Verumtamen hæc eadem terra, quæ postquam affecta fuerit duabus istis gravibus angustiis, jacebit horrebitque in adventum usque Christi, *Terra*, inquam, *Zabulonis & terra Nephtali Galilæa gentium*, vel gentibus frequentissima, *in via maris*, id est, maritima, adjacens mari vel lacui Genezareth, & *secundùm Jordanem* sita, non permanebit obscurata; sed *populus ille qui ambulat in tenebris videbit lucem magnam*, &c. quę omnia plana & aperta sunt, de regno Christi evidentissimè pronunciata: ac proinde à Matthæo accommodantur convenientissimè illi commorationi Christi, qui Galilæam maximè sua præsentia, dictis & factis, dum hic in forma servi esset, exornavit. Superest, ut omissis Judæorum somniis tollamus ea impedimenta, quæ dubitationem movere possent. Eam autem efficit mutatio, quæ in Matthæi verbis facta videtur fuisse multiplex. Primum dubitationis argumentum est, quòd plerique *viam maris* de mari Syrico (ut

 antè

antè diximus) acceperunt. Ineptè verò & historiam, & Prophetæ verba convellunt. Historiam, quia nusquam leguntur isti Assyriorum Reges ad mare usque Syricum pertendisse; etsi Israëlitæ fra.. i se potestati illorum dediderunt: verba verò Prophetæ, quòd determinatio (ut loquuntur) vel exegeticum superioris sermonis membrum subjicitur, *secundùm Jordanem*: quo membro ostenditur hæc pertinere ad mare Cinnéreth, ut de opidi sui nomine in Scriptura vocatur, quod posteà dixerunt Genezareth; Matthæus verò appellat mare Galilææ. Nec obstat quod πέραν interpretamur *secundùm*. Nam primùm sive trans, sive cis exponamus, neutrum sententiam Judæorum adjuvat. Deinde non dubium est, quin vox πέραν Hebrço *Heber* respondeat. Significat autem hæc vox apud Hebrços omnem tractum qui fluvio alluitur, aut interfluente aqua dirimitur, sive tractus sit ille citerior, sive ulterior. Itaque Græca vox πέραν latam significationem obtinet; modò citeriorem tractum, modò ulteriorem, modò utramque ripam cum ora adjacente denotans: Quamobrem etiam Lucas, ne quem falleret simplicis vocis ambiguitas, composito ἀντιπέραν usus est. Taceo propriam notationem vocis Hebrçæ & Græcæ, quam Grammaticis relinquo exponendam. Exempla verò in quàm plurimis Novi Testamenti locis ostendunt, πέραν eundem tractum, ac non transfluvialem denotare, maximè ubi sinuosæ sunt ripæ, ut Matthæi 14.22. & 16.5. Marci 6.45. & 8.13. Johannis 1.28. & 10.40. Jordanem autem ejusmodi esse testantur omnes; nominatim verò Plinius, amœnum amnem, &, quatenus locorum situs patitur, ambitiosum vocans. Secundum dubitationis argumentum est secundo versu; ubi pro ratione temporum quadamtenus Esaiæ verba Matthæus permutavit; nimirum ob eam causam, quam Parallelo quinto suprà ostendimus. Nam pro eo quod Propheta suo tempore Israëlitas pronunciavit *in tenebris ambulare*, eos Matthæus scribit *in tenebris consedisse*; puta propter diuturnitatem illarum, quod est ἐμφατικώτερον. Deinde quam ille *terram umbræ mortis* sive lethalis; hic *regionem mortis & umbram mortis* nominat, similiter ad vehementiam, ἐν διὰ δυοῖν. Postremò, quod ille respiciens ad magnificentissimam & augustissimam illustrationem Euangelii gloriæ Christi, χαλῶς prædixit fore ut *lux resplendeat*, hic eam *esse exortam* dicit: ἀνέτειλεν, inquit, non ἀνέλαμψεν; nempe quòd rationem habuerit suorum temporum, quibus emergebat quodammodo, & exoriebatur primùm claritas Euangelii per adventum Christi. Quamobrem non videmus, quàm bene hic locus aliter exponi possit, quam pro ut complemento Christi & Matthæi authoritate edocti sumus.

Marginal notes: Num. 34. 11. Jos. 19. 35. Matth. 4. 18. Luc. 8. 26. *Plinius lib. 5. Nat. hist. cap. 15.*

PARALLELUS XV.

Exod. 20.	*Matth. 5.*
13 *Non occides.*	21 Non occides: quisquis autē occiderit, tenebitur judicio.
14 *Non scortaberis.*	27 Non Mçchaberis.
Deut. 24.	
1 *Quum quis ducta uxore maritus fuerit ejus, fueritque si non invenerit gratiam in oculis ipsius (quia invenit in ea rem aliquam turpem) ut*	31 Quisquis dimittit uxorem suam, det ei libellum discessionis.

scribens

scribens ei libellum repudii, & tradens in manum ejus dimiserit eam è domo sua: &c.

Exod.20.

7 *Non sumes nomen Jehovæ Dei tui in vanum.*

Exod.21.

24 *Oculum pro oculo, dentem pro dente.*

Levit.19.

18 *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

33 Non pejerabis; sed reddes Domino quæ tu juraveris.

38 Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

43 Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

ETsi omnes hi loci suam habent inter se differentiam; tamen quia & fine & genere summam habent convenientiam, ac proinde communibus quibusdam regulis concludi possunt, eos duximus conjungi oportere. Finis est, ut leges naturæ ad pietatem in Deum & ad charitatem humanitatémque pertinentes authoritate Dei amplius sanciantur in populo ipsius, & corruptæ redintegrentur ex Christi Jesu testimonio. Sanctionem Deus per Mosem testificatus est; redintegrationem Christus pronunciavit & effecit coràm. Summa igitur est, quæcunque de nostro in Deum hominésque officio à natura in nostris mentibus impressa sunt, quamvis peccatum hominis ea turpissimè labefactaverit; tamen eadem omnia his temporibus ultimis repeti, vindicari, & authoritatem perpetuam obtinere testimonio legis & Euangelii: ac proinde quicunque aut secus interpretantur, quàm jus naturale à principio docuit, aut eis minimè obsequuntur; illos non naturæ solùm, verumetiam Legi & Euangelio refragari. Demonstravit ista Dominus noster & Servator Christus versibus quatuor antecedentibus, quibus finem hunc & summam proposuit accuratissimè. Sic enim Christus argumentatus est: Quales principes, tales cives; vel Qualis Rex, tales filii regni; Ego autem, qui Dominus sum regni cœlorum, *non veni ut dissolvam legem aut Prophetas*; *sed ut impleam*, vers.17. Ergò, filios regni tales esse dictis & factis, vel (si cui magis placet) doctrina & operibus, necesse est, vers.19. Utriusque propositionis, pro more usitato dicendi, suæ confirmationes, vel explicationes ordine proponuntur. Nam minori propositioni, Christum venisse ut legem impleat, sua confirmatio illicò subjicitur per asseverationem gravissimam, sive (ut alii interpretantur) juramentum, his verbis: *Nam amen dico vobis, usque dum præterierit cœlum & terra, jota unum, aut unicus apex nequaquam præteriturus est ex lege, usque dum facta fuerint omnia.* Conclusioni verò sua enarratio subditur vers.20. per comparationem his verbis, *Dico enim vobis, nisi abundaverit justitia vestra plusquam justitia Scribarum & Pharisæorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cælorum.* Hujus autem comparationis sequitur toto reliquo capite ὑπόδειξις, per enumerationem exemplorum ad hanc comparationem pertinentium, inde à vers.21. Qua inductione etsi minimo negotio singula præcepta legis percurrere Christus potuisset; id tamen satis habuit, ut sex exemplis illustribus justitiam legis, id est, quam jus naturale homini imperat, à justitia Scribarum & Pharisæorum vindicaret. His positis, nunc communes quasdam leges sive regulas à nobis poni necesse est, antequam singularem

gularem locorum instituamus explicationem. Prima regula hæc esto: hos locos singulos habere comparationem illius justitiæ, quæ lege imperata est, cum ea justitia Judaica vel Pharisaica, quæ per illud tempus in doctrina & moribus ac institutis vitæ obtinebat. Quamobrem singulis in locis membra comparationis distinguit Christus, quum justitiam illam Pharisaicam aggreditur his verbis, *Audistis fuisse dictum à veteribus*, &c. quum autem de vera illa justitia acturus est, quam Deus & natura postulant, his verbis utitur, *Ego autem dico vobis*. Ac proptereà etiam in priore membro cavit Christus diligentissimè, ne scriptum fuisse concederet; & ubique dixit, *Audistis fuisse dictum à veteribus*. Atque hoc quidem abesse videtur mihi quàm longissimè ab eo quod multi jam olim putaverunt, Legem Dei in hoc capite emendari: quam rem si Christus sensisset, non fuisset dicturus, *Audistis fuisse dictum à veteribus*, aut (si quis mavult) *veteribus*; sed potiùs his verbis fuisset usus, legistis scriptum in lege Dei. Secunda regula est, Mutationes igitur, adjectiones, & detractiones, quæ in istis verbis præter legem & contra legem factæ sunt, non à Christo, sed à Pharisæis & Scribis profectas esse; qui se alioquin impudentissimè pro certis & incorruptis legis interpretibus venditabant: Proinde hęc mala in legē Dei irrupisse iis ipsis modis, quos jam suprà Parallelo quinto docuimus. Tertia, non verborum depravationes tantummodò, sed dogmata scelerata, impias Pharisæorum sententias, impurásq; & vitiosas interpretationes à Christo reprehendi; verámque legis intelligentiam ἐξ ἀντιθέτου revocari: quemadmodum ostendunt ubique hæc verba, *Audistis fuisse dictum ab antiquis*: &, *Ego verò dico vobis*; quibus profectò verbis Christus noluit authoritati legis, id est, Dei Patris sui opponere authoritatem suam; sed inani solùm Pharisæorum larvæ, ad nundinationes suas sanctissima Dei lege abutentium. Hæc verò ut meliùs intelligantur, in singulis istis exemplis id necesse erit demonstrari quod dicimus.

1. *Non occides*. Primus hic comparationis locus vindicat veritatem Legis à fermento Pharisæorum, duobus modis: Primùm falsam præcepti intelligentiam refellendo: secundò autem additamenta illorum convellendo. Falsa interpretatio fuit, quòd verbum occidendi de cæde actuali solùm acceperunt: ac proindè neminem contra hoc mandatum venire putaverunt, nisi qui ex facto alterum occidisset. Quamobrem ostendit Christus, occidendi verbo etiam iras, convitia, & contumelias in alterum contineri. Proinde reos violati hujus præcepti esse, quicunque prolapsi eò usque fuerint, versu 22. Nam Deum spiritualem legislatorem esse, ut Jacobus loquitur. Additamentum fuit, quum dicerent, *Quisquis occiderit, tenebitur* judicio, hoc est, nemo de re in alterum gesta per injuriam in jus trahi potest legitimè; nisi qui occiderit: Sed privata opera, quisquis injurius est, potest Deo per sacerdotes satisfacere, & qui injuriam accepit, eam vindicare sine ulla cognitione judicum. Prætereà, non ita est, inquiebant, capitalis cædes, ut vulgò creditur; sed damnum quodammodo restitui & per cognitionem judicis compensari potest. Sic tum in crimine, tum in pœna criminis Pharisæi à vero aberrabant. Utrumque demonstrat Christus vers. 22. Primùm iras exercere, convitiari, contumeliam inferre, species esse homicidii: deinde nullam esse tam levem speciem, quæ cognitionem & pœnam subire non teneatur ex lege. Nam iras temerarias, cognitione Judicis ac velut Prætoris; convitia amplioris judicii: contumelias,

melias summi & capitalis judicii sententia castigari oportere. Quod autem sacrificiis, aut donariis Deum reconciliari magis procurabant; id puram putam esse hypocrisin & αἰσχροκέρδειαν demonstrat Christus, quum fratri offenso antè reconciliari jubeat charitas, & damnum restitui ei, quàm procuretur oblatione à Deo condonatio.

2. *Non mœchaberis.* Secundus hic comparationis locus veritatem Legis asserit à falsa interpretatione, qua Pharisæi utebantur. Hi enim actualem solum (ut vocant) scortationem hoc interdicto caveri judicabant. Ostendit Christus, longè aliud sensisse Deum authorem legis. Nam eum etiam qui aspicit ad concupiscendum, magis verò qui concupiscit, reum esse violatæ legis. Nam non solùm maleficium, malam voluntatem, consilium, aut cogitationem in vitio esse; verum etiam ipsas occasiones & instrumenta mali quæ sunt in nobis. Cùm autem illius aspectus, instrumentum & occasio sit oculus, vel ipsam occasionem & instrumentum (quasi hoc suo facto damnatum) potiùs amittendum esse, quàm id committendum ut ejus opera totus homo in damnationem abeat.

3. *Quisquis dimiserit uxorem suam,* &c. Tertius hic comparationis locus appendix superioris est. Vindicat autem Legis veritatem Christus à falsa Judæorum interpretatione, hoc modo. Licere viro Judæi statuebant uxorem dimittere, hac una conditione, ut libellum discessionis traderet illi: quam ad rem imperitè verba Mosis detorquebant, Deut. 24.1. Quæ verba Moses καθ' ὑπόθεσιν, καὶ κατὰ συγχώρησιν, nimirum pro duritia cordis populi illius, in Legem Dei retulerat, ut ostēdit Christus Matth. 19.8. Respondet igitur Christus falsam esse hanc interpretationem. Nam tantum abesse ut viro liceat ex Lege uxorem dimittere; ut contrà Lex eo ipso in loco ostendat, quicunque dimittit uxorem suam, eum non modò peccare ipsum; verum etiam duplicis peccati præterea authorem & instrumentum esse: Unum peccatum esse illud, quòd faciat vir iste, ut mœchetur uxor sua; cùm à lege mariti, dum vivit ne per voluntatem quidem mariti ipsius soluta sit; quia conjugale jus non solùm habet civilem contractum quemdam; verum etiam cœlestem obligationem authoritatémque ex institutione Dei. Alterum peccatum esse, quòd is mœchatur pariter, qui uxorem alterius, quamvis ab eo dimissam, duxerit. Quam rem disertis verbis eo ipso in loco expressit Moses versu 4.

4. *Non pejerabis,* &c. Quartus hic comparationis locus veritatem legis tuetur à falsa interpretatione & additamentis, quibus Pharisæi ad circumducendum vulgus utebantur. Falsa interpretatio est hæc, & angustissimè restringens præceptum Dei. Quod dixit Deus, *Non sumes vel proferes nomen Jehovæ Dei tui in vanum,* Hoc Pharisæi interpretati sunt, *Non pejerabis:* tanquam si dixissent, quocunque modo libuerit, licet Jehovæ Dei tui nomen enunciare, modò non pejeres. Additamentum fuit, *sed reddes Domino, quæ tu juraveris,* id est, Quod si fortè non poteris ea præstare, quæ tu juraveris, hoc imprudens factum tuum compensato & eluito muneribus oblatis Domino. Utrumq; reprehendit Christus; sed prius quidē disertis verbis, posterius verò (ut loquuntur) tacitè, per consequentiam. In interpretatione à Christo reprehenduntur ista. Primùm, quòd abusum nominis divini hac doctrina sua Pharisæi & Scribæ non solùm ferebant; sed etiam impiè comprobabant. Secundò, quòd obliquum abusum excusabant eorum, qui dissi-

mulato Dei nomine, per res creatas jurare se posse statuebant. Tertiò, quod utrumque hunc abusum, extra necessitatem & causam justam atque legitimam jurisjurandi, in familiari sermone patiebantur usurpari. Hoc enim propriè significatur nomine λόγος, quo Matthæus utitur vers. 37. Ac primum quidem & secundum reprehensionis caput his verbis ostendit, *Ne juretis omnino*, puta sive directè nomen Dei assumentes, sive obliquè pro Dei nomine appellationem rerum creatarum adhibentes. Quod posterius quia amplius & facilius ab hominibus excusatur, prudentissimè Christus aliquot illius exempla attulit; ut omnia ejusdem generis prohiberi quoque ostenderet, quamvis ab ipso non fuerint hoc loco expressa. Deinde verò ad tertium venit reprehensionis caput, in his verbis, *Esto autem sermo vester, Etiam, etiam; Non, non*: ut ab omni levi, temerario, & otioso sermone sanctissimum Dei nomen vindicaret, ne ab ullo sine vocatione justa & necessitate usurpari posset. Additamentum verò, his rebus positis, sua infirmitate corruit. Nam ex ea regula, quam postremis verbis hic tradit Christus, continuò iniquitas illius & falsitas convincitur, *quod autem supra hæc redundat, à maligno est*. Hinc enim assurgit hæc argumentatio: Quod à maligno est, probari Deo non potest: Pejerare autem à maligno est: Non igitur probari potest. Huic adjungenda est, authore Christo, altera argumentatio; Merces meretricis, pretium canis, sacrificium improbi, & alia hujusmodi sunt abominationi Jehovę; Pretium autem vel munus pejerantis, est munus improbi: Est igitur abominationi Domino; contra quàm Pharisæis esse videbatur, maximam licentiam cuique ad pejerandum attribuentibus ad commoditatem sui καπηλεύματος.

5. *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quintus comparationis locus veritatem Legis asserit à falsa Scribarum, Pharisæorumque interpretatione. De verbis convenit. Legis mens fuit hæc, ut quale damnum alter alteri intulisset, tale subiret is, qui intulerat damnum; sed tamen ex cognitione judicioque legitimo. Hæc enim Lex judicialis fuit, ac non privatæ administrationis. Hac autem lege abutebantur Pharisæi duobus modis: Primùm enim omnem justam judiciorum formã voluntati Dei & naturę legibus respondentem funditus convellebant, & authoritatẽ judicum, quum ad privatos eam derivarent. Secundò autem maximam januam aperiebant privatę vindictæ & maleficiis, in quam homines ultionis privatę cupidi facilè prolabuntur. Itaque justam Legis intelligentiam restituens Christus, primùm omnes privatos revocat eò, ut non resistant malo, id est homini injurio atque malefico per malum. Secundò ostendit id potiùs videndum esse, ut omne malum subeatur, maxilla prębeatur, vestis, &c. quàm ut malo ulciscamur malum. Postremò ostendit quod ait Apostolus ad Rom. malum bono vincendum esse: quas res Deus jam olim lege imperaverat singulas.

6. *Diliges proximum tuum*, &c. Sextus comparationis locus Legem Dei asserit tùm à falsis interpretationibus, tum ab additamentis impiis Judæorum. Falsa interpretatio fuit, quòd in his verbis, *diliges proximum tuum*, appellatione proximi aut amicum intelligebant; aut certè si qui ampliùs sapere videbãtur, eum intelligebant qui inimicus non esset. Additamentum fuit, quum dicerent contra authoritatem legis, *habebis odio inimicum tuum*. Utrumque evertit Christus commodissima Legis interpretatione ὕστερον πρότερον. Nam primùm affirmat illud adversari legi, quòd dicitur, odio habebis inimicum tuum; quia tum

justitiæ

justitiæ legis & naturali juri, versu 44 tum naturæ exemplóque Dei ipsius adversatur, versu 45. Deinde verò apertè docet κατ' ἔλεγχον, proximi appellatione omnes homines intelligendos esse, ac proinde omnes diligi oportere: quod exemplo suo, in omni tempore demonstravit Deus, & Christus narratione evidentissima docuit Luc. 10. His ergo omnibus exemplis puritatem divinæ legis Christus ab impuro fermento Scribarum Pharisæorúmque vindicavit.

Parallelus XVI.

1. Reg. 3.	Matth. 6.
13 *Quod non petiisti, do tibi divitias & gloriam, adeò ut non sit par tibi ullus inter reges omnibus diebus tuis.*	29 Sed dico vobis, ne Solomonem quidem in universa gloria sua sic amictum fuisse, ut unum ex istis liliis.

ETsi non videtur propriè horum locorum instituì comparatio, cum tamen aliquid utrique loco commune sit, & discrepare aliquid videatur, placuit referre in Parallelorum numerum. Commune est, quòd gloria Solomonis utroque in loco commendatur; sed quod universè in primo Regum pronunciatur, accommodatur ad hypothesim de vestibus, in sermone Christi. Ut autem in hac ipsa hypothesi quam Christus instituit subsistamus; videntur discrepare ista; quòd Christus negat Solomonem in universa gloria sua sic amictum fuisse ut lilium, & quòd Testamento vetere affirmatur non fuisse ullum regem gloria Solomoni parem. Conciliantur ista verbis Chrysostomi dicentis. *Quanta veritatis ad mendacium, tanta vestimentorum & florum est differentia,* &c. Ergo (ut paucis absolvamus,) antecessit Solomo omnes reges gloria secundum idem; lilia verò antecedunt Solomonis gloriam vestimentariam diversis modis. Primò secundùm qualitatem: nam (ut ait idem Chrysostomus,) *Quando tu vestimentis decorem florum poteris vincere?* sive ut Hieronimus, *quod sericum, quæ purpura regum, quæ pictura textricum potest cum floribus comparari? quid ita rubet ut rosa? quid ita candet ut lilium? violæ verò purpuram nullo superari murice, oculorum magis indicium quàm ullius sermonis est.* Secundò κατὰ τὸ πῶς ἔχειν: nam vestimentaria Solomonis gloria commodata & adventitia est; liliorum verò innata, propriáque gloria. Tertiò denique ratione temporis, & modi. Est enim Solomon (ut idem Chrysostomus inquit) *superatus à florum decore, non semel tantùm, neque bis; sed per totum tempus regni ipsius; neque una solum in re; sed in omnibus ad victum & amictum pertinentibus.* Nulla igitur est horum locorum inter se discrepantia.

Parallelus XVII.

Levitici 19.	Matth. 7.
18 *Diliges proximum tuum sicut te.*	12 Quæcumque volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.

CUm illis Jesu Christi verbis summa Legis Prophetarúmque dicatur contineri, ea autem disertè (si benè observavimus) non exstent in

in Testamento vetere; hos duos locos visum est ἐκ παραλλήλου committere, ut convenientes argumento. Nam ea est divinorum mandatorum authoritas & vis, ut dum causas imperant, effecta complectantur ex illis causis proficiscentia, per eam synecdochen quam Donatus Metalepsim vocat: & contrà effectis comprehendantur causæ. Lex ergò quum ita sancit, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, synecdochicè dilectionis illius officia imperat proximo exhiberi eadem fide, qua,si eodem loco essemus, ea conferri in nos cuperemus. Quo modo accipiendi sunt loci Matth.19.18.& Rom.13.10.E diverso autem ἰσόῤῥοπος huic est illa propositio Christi, *Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines*,&c.Nam quemadmodum metalepticè prior locus in Levitico dilectionis officia continet, tanquam rivos è dilectione profluentes, quum dilectionem imperat: sic posterior tacitè revocat ad dilectionis fontẽ per rivos ipsius, quia ex eo fonte officia fundi necesse est. His autem accedit illa sententia ex contrario enunciata, *Quod tibi non vis,alteri non feceris*. Quam sententiam ab Alexandro Severo plurimi fuisse habitam testis est Lampridius.

PARALLELUS XVIII.

Matthæi.8.4.

Abi,ostende teipsum sacerdoti,*&c.*

Hic locus est planior Marci primo:Quamobrem in quinquagesimum primum Parallelum hujus explicationem rejecturi sumus.

PARALLELUS XIX.

Esa.53.	Matth.8.
4 *Morbos nostros ipse pertulit,& dolores nostros bajulavit.*	17 Ipse invaletudines nostras accepit,& morbos portavit.

Utriusque loci finis communis est, ut Christus, quamvis in speciem abjectissimus & contemtissimus esse videatur, tamen demonstretur reipsa potentissimus & dictis & factis: Summa, Dominum Jesum Christum verum Deum & verum hominem in unitate personæ, potentiam divinam exseruisse ad salutem nostram, dum ambularet in forma servi, cùm morbos & infirmitates humanas,tum earũ causas gratiosè ex hominibus eximendo, easque in se recipiendo & appropriando sibi, ut complementum Legis Prophetarúmque exhibitum in sese fuisse ostenderet. Mutationes aliæ non sunt, quàm ἐκ συνωνύμων. Nam morbum ἀσθενείας, dolores νόσων vocibus expressit Matthæus, quæ omnia eòdem pertinent.Quòd autem aliò spectavisse Prophetam Judæi statuunt,impium simul, atque ineptum est: quod & Jonathan Chaldæus Paraphrastes, & doctissimi quique ex Judæorum gente animadverterunt. Quamobrem cùm illi,neque ullam historiam proferre possunt, in qua vel minima species cõplementi exstet eorum quæ Propheta prædixerat; neque authoritatem, neque rationem etiam verisimilem possunt adducere, cur aliò transferant Esaiæ verba: omissis illorum nugis ad alia transibimus.

PARAL-

PARALLELUS XX.

Hoseæ 6.

6 *Benignitate delector, non autem sacrificio.*

Matth.9.

13 Misericordiam volo & non sacrificium.

Finis hujus loci est, ut Deus gloriam suam illustret explicatione suę misericordiæ: Summa, Deum Patrem miserationum esse, & proinde miseros potiùs adire, quibus faciat misericordiam, quàm eos qui inscii miseriæ suæ putant se justitiæ illius facturos satis. Hoc argumentum olim à Propheta dictum, Christus hypothesi accommodat, quum Pharisæi objicerent familiarem ipsius cum peccatoribus conversationem. Optimè igitur per αἰτιολογίᾳ respondet Christus, argumentatione ducta à genere ad speciem, vel sigularem hypothesin & præsentem causam, ut etiam Matthæi 12.7. factum est.

PARALLELUS XXI.

Esa.35.

5 *Tunc aperient se oculi cæcorum.*

Malach.3.

23 *Ecce ego missurus sum vobis Eliam Prophetam, &c.*

Matth.11.

5 Cæci visum recipiunt, *&c.*

Matth.11.

14 Iohannes est Elias ille, qui venturus erat.

De his locis, quia ampliùs ac evidentiùs exponuntur, prior quidem Matth.15.30: posterior verò Matth.17.10.& 11. nos posteà dicturi sumus in eos locos de horum interpretatione.

PARALLELUS XXII.

1.Sam.21.

6 *Tum respondens David sacerdoti, dixit ei,* &c.

7 *Itáq; dedit ei sacerdos sanctũ panem, eò quòd non esset ibi panis, nisi panes faciei, qui amovebantur à conspectu Jehovæ, ad apponendum panẽ calidum, quo die tollebatur ille.*

Num.28.

9 *Die autem Sabbathi bini agni anniculi integri, & binæ decimæ similæ in munus mistæ oleo cum libamine suo,*

10 *Holocaustum Sabbathi esto sabbatho suo præter ipsum holocaustum juge,* &c.

Hoseæ 6.

7 *Benignitate delector, ac non sacrificio,*

Matth.12.

3 Non legistis, quid fecerit David, quum esuriret ipse & ii qui erant cum ipso.

4 Quomodo introierit domum ipsam Dei, & panes illos propositionis ederit, quibus vesci non erat ipsi licitum, neque iis qui cum ipso erant, nisi iis solis, qui sacerdotes essent?

5 Aut non legistis in Lege, Sabbathis sacerdotes in templo sabbathum ipsum profanare, & sine crimine essent?

6 Dico autem vobis quemdam templo majorem hic esse.

7 Quod si nossetis quid sit, Misericordiam volo & non sacrificium, hos non condemnassetis, qui insontes sunt.

Horum

HOrum locorum finis eſt, ut miſericordia Dei illuſtretur, & hominibus in exemplum ſtatuatur; quam imitari & ex qua judicare diſcant: Summa, eſſe quidem permagnam ceremoniarum authoritatem, quas Deus inſtituit in Eccleſia ſua:neque temerè committendum, ut pro voluntate hominum ab eis diſcedatur; ſed eas tamen ceremonias ſic à Deo poſitas & mandatas eſſe,ut cum dilectione proximi non pugnent; quia externæ ceremoniæ propter aliud; dilectio verò proximi propter ſe,à fidelibus debet obſervari. Demonſtrat hanc interpretationem occaſio illa,qua Chriſtus ad ſermonem hunc adductus eſt :nempe quòd diſcipuli Chriſti in die Sabbathi cœperunt vellere ſpicas, eóque nomine apud Phariſæos in reprehenſionem incurrerunt, tanquam violatores ſabbathi.Hanc reprehenſionem confutat Chriſtus duobus modis; exemplis, & authoritate. Hoc igitur Phariſæorum argumentum eſto: Dies ſeptimus,dies ſanctus eſt, ſabbathum quietis Jehovæ, Exod.35. 2. Iſti quietem non ſervant; neque igitur diem ſeptimum ſanctificant. Reſpondet Chriſtus; Primùm, res quas inſtitutione ſanctificavit Deus, ſi aut altera Dei inſtitutio, aut proximi dilectio ad alios uſus adhiberi ipſas poſtulaverit, eæ ſine offenſa in eos uſus adhiberi poſſunt; quia noluit Deus ulla ceremoniali inſtitutione aut aliis ſuis inſtitutis, aut dilectioni derogare, & neceſſitati humanæ obſiſtere. Eſt autem hic locus dilectionis,ne eſurientibus præripiatur facultas capiendi cibi, & levandæ famis ſuæ. Ergò,hi inſontes ſunt ab illa veſtra criminatione. Majoris propoſitionis membra duo ſingulis exemplis probat; nempe aut inſtitutione,aut neceſſitate & dilectionis lege fieri licitum, quod extra hanc cauſam non eſſet liciturum. Prius exemplum neceſſitatis eſt; David, qui fuit homo ſecundùm mentem Dei, inquit Chriſtus,non dubitavit eſuriens res ſanctas, à ſacerdotib. ſolis & in loco ſancto cōedendas, in uſum ſuum vertere:aut ſi quis obtendat(quod vulgò dici ſolet)durum telum neceſſitatem eſſe,qua David eò devenerit; non dubitavit Sacerdos Achimelech panes ſanctos,in loco ſancto à ſanctis ſacerdotibus comedendos,conſulto Domino ei tradere.Ergò neceſſitati proximi,ex authoritate Dei,& ſacerdotis Davidiſque exemplo,ſanctas etiam ceremonias oportet cedere: cujuſmodi eſt illa ceremonia panum propoſitionis, Levit 24. 9. Poſterius exemplum eò allatum eſt,quod Phariſæi potuiſſent illicò reclamare,exemplum ſingulare & diverſum eſſe; ac proinde nihil in hac argumentatione efficere Præterea legibus,non exemplis vivendum eſſe. Utrique objectioni medetur Chriſtus providentiſſimè,exemplum juris legitimi,non autem facti (ut prius erat)afferens : & argumentatur in hunc modum: Inſtitutio una ceremonialis cedit alteri ex præſcripto Legis: Pluris autem eſt apud Deum miſericordia, dilectio & neceſſitas proximi,quam ſacrificium aut ceremonia: Multo igitur magis ſacrificium & inſtitutionem ceremonialem quamque miſericordiæ, neceſſitati,& dilectioni erga proximum oportet cedere. Cedere unam inſtitutionem ex lege alteri demonſtrat his verbis. *Nonne legiſtis in Lege, ſabbathis ſacerdotes in templo ſabbathum profanare,&c.*quaſi dicat:eſt quidem ſabbathi quies imperata Lege;ſed ſuus labor ſacerdotibus eſt ſabbatho imperatus: non ergò ſimpliciter; ſed certa quadam ratione quies imperata eſt. Quod ſi à quiete illa diſceditur, propter imperatam aliquam ceremoniam alteram; quanto æquius eſt diſcedi propter dilectionem & miſericordiam?

Sic

Sic etiam Christus alibi adducit legem de circumcisione in die sabbathi facienda:& in hoc ipso capite proximè sequente historia solvit hác quæstionem totam, & impudens Pharisæorum os retundit per comparationem minoris, quum illi ovem quæ in foveam ruisset prehendi & erigi,asinum aquari permitterent in die sabbathi;hominem verò curari ferrent indignissimè. Alter modus confutationis ab authoritate est. Ea est duplex;prior à persona Christi, posterior à Prophetæ Hoseæ testimonio. A persona sua comparationem instituit Christus in hunc modum,quod sabbathis sacerdotes profanant sabbathum,id sanctificatur templo; est autem hic quidam major templo: hic ergò, magis quam templum, discipulorum suorum factum sanctificaturus est. De Hoseæ loco jam antè diximus Parallelo proximè præcedenti.

PARALLELUS XXIII.

Esa.42.	Matth.12.
1 *En servus meus quem sustento, electus meus, quem benignè accipit anima mea: indam spiritum meum ipsi, judicium gentibus proferet.*	18 En servus meus,quem assumsi, dilectus meus, in quo acquiescit anima mea:imponam spiritum meum ei,& judicium gentibus annunciabit.
2 *Non vociferabitur,neque attollet vocem, neque faciet ut audiatur foris vox sua.*	19 Non litigabit,neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus.
3 *Arundinem quassatam non franget, & ellychnium ipsum fumigans non extinguet, ad veritatem proferet judicium.*	20 Arundinem quassatam non cōfringet, & linum fumigans non exstinguet,donec proferat ad victoriam judicium.
4 *Non faciet ut fumiget, neque quassabit, donec disponat in terra judicium, & in doctrina ejus regiones exspectationem habebunt.*	21 Et in nomine ejus gentes sperabunt.

HI duo loci (quod ajunt) ab uno sunt diagrammate,vel potiùs unum omnino sunt fine atque argumento. Finis est, ut Christus servus electus Dei, dilectionis filius, in quo patris anima acquiescit,non solùm ex materia donorum & administrationis ipsius; verum etiam ex forma & ratione illius in Ecclesia certò cognosci possit. Summa est, Jesum Christum Dominum nostrum,administrationem illam suam plenitudinémq; spiritus à patre acceptam sic explicavisse in oculis totius mundi, ut testatam fecerit in majestate summa humilitatem summam:& omnium hominum quamvis infirmissimorum,rationem habuisse,ut spoliatis potestatibus de restituta suorum salute triumpharet, quos ex Judæis gentibusque collegerit. Totus ergò hic locus tribus summis capitibus concludi potest: quorum primum est de persona,vocatione,donis,& administratione Christi versu 1. secundum, de modo administrationis,versu 2.& 3. postremum denique de fine vel eventu administrationis illius versu 4. Optimè autem à Matthæo accommodatur hic locus illi interdicto Christi, quo usus fuisse dicitur versu 16. *Sanavit*,inquit Matthæus,*eos omnes & interminatus est eis,ne ipsum palam facerent.* Cur autem? *ut impleretur quod dictum erat per Esaiam*,&c. Sensus

sus est, quod signum Esaias prædixit de modo administrationis Christi, id Christus reipsa prę̨stitit. Dixerat autem Esaias hunc fore administrationis modum, ut neque contentiosè cum ullo ageret, sed humilitate maxima, vers. 2. neque infirmis ad regnum Dei venturis offensionis præberet argumentum; sed potiùs lenitate, prudentiâque maxima infirmitatem suorum præsentem levaret, futurámque præcaveret, vers. 3. Hoc igitur Christus reipsa præstitit, & tanta quidem religione præstitit, ut dignitatem personæ suæ, majestatem vocationis, amplitudinem beneficiorum, & salutis (quam omnibus exhibet) veritatem maluerit sensim instillare in mentes hominum infirmorum, quàm permittere, ut intempestivo clamore ac prædicatione sui nominis infirmis daretur occasio pedem referendi a schola ipsius, vel adversariis in ipsum irruendi; sive (ut dicamus breviùs) misertus infirmitatis humanæ, maluit ab effectis, id est, ab operibus suis, homines ipse docere leniter, & beneficiorum infinitate ad se perducere, quàm sinere ut horum persequutione, aut illorum prædicatione intempestivè offenderentur & percellerentur qui ad regnum ipsius erant perventuri. Ac mihi quidem videtur hic Esaiæ locus ad quàm-plurimos alios pertinere locos qui apud Euangelistas exstant; ubi Christus vetuit suum nomen, sermonem, aut beneficium, sive a diabolo, sive ab hominibus prædicari; sed id Matthæo visum fuit satis, si hoc tantùm loco Esaiæ verba adduceret, quæ a piis hominibus ad consimiles narrationes accommodarentur. Hîc verò quæstiones duæ afferri possunt: Una de mutationibus, quæ hîc frequentes exstant: altera de rei ipsius interpretatione. Primùm ergò ut de mutationibus ordine dicamus, nulla versu primo comparet mutatio. Nam quod sustentandi verbum Matthæus interpretatur *αἱρετίζειν*, factum est convenientissimè. Non enim (ut plerique omnes interpretati sunt) significatur hoc verbo eligere, sed potiùs (ut Varinus exponit) *πρὸς λαμβάνειν καὶ εἰς ἑαυτὸν αἱρεῖν*, id est, sibi asciscere atque assumere; quod ipsum Hebræi infinitis locis dixerunt, sustentare, ut Genes. 48.17. Exod. 17.12. Psal. 41.13. & 63.9. & alibi passim. Secundo versu illa Prophetæ verba, *non vociferabitur*, metalepticè a Matthæo redduntur, *non litigabit*, puta vociferando: ut rixosi homines, atque importuni vocem inter litigandum solent contendere. Quemadmodum & ex efficiente causa effectus intelligitur atque exprimitur, quum pro eo quod Propheta dixerat, *non faciet ut audiatur vox sua*, substituit Matthæus, *non audiet quisquam vocem ejus*. Similiter in versu tertio nihil mutationis est, si hoc exceperis, quod eventum vel finem administrationis Christi, quem Propheta aggressus est, sub finem hujus versus & sequente explicavit, Matthæus conjungit simul, & in pauciora verba contrahit: nimirum quia enarratio eventus, hoc quidem in loco, ad consilium Matthæi, & ad exemplum, de quo agitur, non perinde pertinebat. Quæ cum ita sint, nulla hic exstat mutatio, quæ jure, aut ulla juris specie reprehendi possit. De interpretatione autem confirmanda, cur laboremus hoc loco, nihil est; cùm veteres quique Hebræorum & aliorum populorum interpretes hę̨c omnia accipi de Christo viderint oportere. Nam etsi de Jacobo impuri quidam interpretati sunt, & de Ecclesia Judę̨orum alii; id tamen clamant Prophetæ verba, veteres historię̨ docent, & eventus confirmat manifestissimè, neminem unquam hominem exstitisse, cui hæc verè attribui possint, præterquàm Christum: quòd si de altero homine ullo prædicari non potest, multo

minùs

minùs de toto Ecclesiæ corpore, (cujus caput est Christus) enunciari oportere: hæc enim propria esse opera, effectiones, & attributa capitis, non autem corporis, aut membri particularis ullius de toto corpore.

PARALLELUS XXIIII.

Ionæ 1.

17 *Paraverat autem Jehova piscem magnum, qui absorberet Jonam; fuitque Jonas in visceribus illius piscis tribus diebus & tribus noctibus.*

Matth. 12.

39 Natio mala & adulterina signum requirit, sed signum non dabitur ei, nisi signum ipsum Jonæ Prophetæ.

40 Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes: ita erit filius hominis, &c.

Antequam de justa horum locorum comparatione sententiam nostram afferimus; necessarium esse ducimus, ut certa quædam capita de typis præmittantur; quibus positis transibimus ad singularem loci hujus explicationem. Typos in Ecclesia Dei & in sacra scriptura esse, nemo sanus dubitaturus est. Quid autem sint typi, jam antè in Parallelum sextum docuimus. Sunt enim typi expressæ rebus imagines rerum, ut allegoriæ sunt imagines quasi expressæ verbis. Typorum autem duæ sunt species, communis, & propria sive singularis. Communis typus est, qui ad res varias communiter pertinet, eisque accommodari potest. Hunc Græci non modò τύποι; verum etiam ἔνδειγμα, παράδειγμα, ὑπόδειγμα, & ὑπογραμμὸν nominarunt. Sic enim Paulus, *Hæc autem typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas*, &c. Item, *Hæc autem omnia typi, typi inquam eveniebant ipsis, scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos seculorum fines occurrerunt.* Idémque Timotheo præcipit, ut *sit typus fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu*, &c. & Tito, ut *per omnia seipsum præbeat typum bonorum operum.* Quo sensu Christus *se dedisse nobis* ὑπόδειγμα, & Petrus *Christum reliquisse* ὑπογραμμὸν dixit. Proprius verò aut singularis typus est, qui propriè & singulariter ad unam certam personam aut factum, aut rem aliquam demonstrandam atque exprimendam institutus & destinatus est. Quemadmodum Paschalis agnus, proprius typus est & destinatus Christi: panis & vinum in sacramento cœnæ Domini, proprius typus est corporis illius fracti, & fusi sanguinis pro nobis ac nobiscum verè communicati ad vitam æternam, & similia. Ac illud quidem omnium typorum commune est, quòd sunt πρός τι, & ad aliud aliquid respiciunt. Sunt enim omnes typi ex personis, rebus, aut factis effingentibus: Respiciunt autem ad personas, res vel facta τυπωθέντα, id est, efficta typis. Verùm illud communis typi, quem priore loco posuimus, proprium est, quòd in quæstione justi & injusti necessariam planè conficit argumentationem: in quęstione verò singularis facti, non necessariam, sed contingentem solùm. Nam ex particulari in hoc genere nihil concluditur: sed juris regula ad omneis hypotheseis semper & ubique universalis est. Verbi gratia, hæc oratio *typus esto bonorum operum*, complexionem efficit, mortalibus omnibus ex æquo necessariam; quia typus est ætiologicus, sive de justo & injusto agens. Illius autem propositionis; *Patres concupiverunt, fuerunt idololatræ, scortati sunt,*

1. Cor. 10. 6. & 11.

1. Tim. 4. 12.
Tit. 2. 7.
Joh. 13. 15.
1. Pet. 2. 21.

sunt, tentaverunt Christum, &c. non est consectarium ex necessitate illud. Ergo & nostri homines concupiscent, erunt idololatræ, &c sed contingens tantùm. Etenim si non ex contingente; sed ex necessario illud concludendum esset, non fuisset dicturus Apostolus, *typi sunt, ut ne concupiscamus res malas*, &c. Ergò in hoc typorum genere quod est ætiologicum, concludit necessariò; quod historicum, contingenter solùm. Proprii verò & singularis typi proprium illud est, quòd atque in historia, atque in ætiologia, id est, tam in quæstione facti, quam in quæstione juris necessariam conclusionem efficit ad rem, quæ adumbratur, pertinentem. Exempli causa, *non confringetur ullum os ipsius*, quod a Johanne in historia perpessionum Christi adducitur, hoc quidem de typo, nimirum Paschali agno, a Mose dictum est, & a Deo institutum; sed cùm ille typus proprius Christi ac singularis fuerit, & hoc institutum Dei inter alia significata historiam perpessionum Christi præsignificaverit; omnino idem quoque factum fuisse eventurum Christo hic legalis typus & necessariò demonstravit: ac proinde non interpretatur Johannes legem allegoricè; sed typum legalem explicat, & in Christo, qui complementum est illius effectum fuisse docet. Similiter, quòd Matthæi 27.9. de Christo prædicatur, *ipsum triginta nummis æstimatum, eósque nummos ad emendum figuli agrum collocatos esse*, id quidem typicè Zacharias gesserat ex mandato Dei, sed necessariò in Christo cōplendum fuit: quia proprius ille typus erat Christi, ac proinde illud propriè fuit effectum in Christo, quod Dominus typo per Zachariam adumbraverit. Nec refert, utrùm hic typus, sive proprium eum, sive destinatum dicas, imperatus fuerit, aut datus: faciendus, aut factus. Nam in utroque genere satis est, si id quod imperatum aut factum dicimus, ad certam rem aliquam præfigurandam Dominus adhibuerit. In omnibus autem typis prudenter & piè considerandum est, quid typi effingentis sit proprium, quid rei effictæ. Nam si omnis similitudo aliqua tantùm ex parte, ac non καθόλου convenientiam habet cum ea re, qui cum intercedit convenientia: profectò typos non καθόλου; sed ex parte solùm rebus effictis oportet respondere. Sunt enim typi genus similitudinis. Quicquid ergò proprium est rei effingentis, id quodammodo secerni opus est; ut illud solùm cum ea re, adhibito judicio comparetur, quo convenientiam cum re effictа habet; & consimiliter, quicquid rei effictæ proprium est, hoc ita oportet subduci, ut cum typo minimè confundatur. Hoc modo priscum illud pascha fuit agnus; nostrum, est Christus verus Deus, verus homo; ille typus, hic autem veritas; & Pascha illud Patres comederunt ore (nam erat typus) ut nos ore panem, (est enim ἀντίτυπος) at Christum utrique fide. Idem in cæteris judicium fieri necesse est. Demonstrat illud, quod modò diximus, evidentissimè egregia illa quam Apostolus ad Hebræos instituit, Melchisedeci cum Christo cōparatio; in qua, nisi quod proprium est Melchisedeci, ab eo scitè distinxeris quod proprium est Christi, in gravissimos & periculosissimos errores collabêris. Quid enim aliud est, si proprietates figuræ cum veritatis proprietatibus confundantur: quam ex figura facere veritatem, & veritatem figura commutare, imperitè: denique per confusionem utrumque simul e medio tollere? His ita positis, jam de hoc loco nostro videamus. Igitur utriusque loci finis communis est, ut hominibus infidelibus exprobretur & obsignetur sua incredulitas: & quia homines ejusmodi ultrò prælucentem verbi divini

facem

facem certatim extinguere tentant, singulari Dei miraculo ponatur ipsis ob oculos sua condemnatio. Hoc enim Deo videbatur, quum Jonam, subterfugientem officium sibi imperatum, Deus contineri in ventre ceti triduum voluit: similitérq; Christo, quum Scribis & Pharisæis objecit futurum resurrectionis miraculum. Fuit quidem alter in liberatione Jonæ, & resurrectione Christi finis ad bonos pertinens, nempe ut bono essent credentibus; sed non eo minùs hic alter finis adversus incredulos, judicio Dei fuit constitutus, prout complures ejusdem rei fines optimè Dei sapientia novit conjungere. Summa autem est, eos quibus nec Dei verbum, nec signa verbo accedentia propter ipsorum incredulitatem utilia esse possunt ad salutem; sed contrà qui ampliùs irritantur vitiositate sua, ut tentent Dominum & ludificentur administrationem ejus, nō propterea omni signo cārituros esse: Id enim futurum, ut ejusmodi signa ipsis objiciat Deus quibus irritetur ampliùs, convincatur, & justissimè condemnetur ipsorum pertinacia. Sic olim fuisse factum Israëlitis, quum Jonas ex ipsorum conspectu sublatus est, & quasi sepultus in ventre ceti triduum, ac posteà demùm restitutus. Sic etiam Christum Judæis facturum esse, quum Christus resurrectione sua ægrè illis faciet, & lapis offensionis erit. Hic verò quæritur ad utrum genus typi hæc pertineat accommodatio : ad communem typum, an ad proprium atque destinatum ? Ad communem si retuleris, hæc futura est verborum Christi interpretatio: Signum non dabitur ei, nisi signum illud Jonæ Prophetæ : id est, dabitur signum simile illi quod in Jona Propheta fuit editum. Atque hoc genus loquutionis Scripturæ sacræ, authores profani & sermo vulgi semper frequentarunt. Sic enim propter peccata Manassis Joachimum Regem sublatum fuisse a Deo legimus, pro eo quod est, propter ejusmodi peccata, cujusmodi fecerat Manasses. Sic Judæi dicuntur populus Sodomæ, principésque eorum principes Gomorrhæ, & similia multa. Sic etiam (ut ad res communes & populares veniamus) aurum Tholosanum, æs Dodonæum, pro iis quæ Tholosano & Dodonæo similia sunt eventu: item Sylozontis imperium, Draconis leges, Thessalicum saltum vel numisma, Thuscum jurgium, pro similibus usurpamus. Hanc verò interpretationem sequens versus videtur confirmare, quum eo dicitur, *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit filius hominis*, &c. Altera interpretatio est, non simplicem hic esse exempli similitudinem, aut comparationem communis typi; sed proprium (ut appellavimus) & singularem afferri typum cum eventu Christi comparatum. Quam quidem interpretationem a veteribus plerisque & nostris hominibus observatam, nolim, ut planè alienam ab hoc sermone Christi, repudiare, sed meo tamen judicio altera anteponenda est ; primùm, quia plus simplicitatis habet, & laboris minùs ad explicationem: secundò, quia melius cum verbis Christi videtur convenire, quæ apud Matthæum & Lucam exstant : postremò, quia videtur magis respondere toti argumentationi & fini illius. Non enim argumentatur Christus se resurrecturum, quia specie quadam Jonas resurrexerit, neque hunc finem habuit propositum, ut demonstraret se resurrecturum ad implendum typum qui in Jona antegressus esset; quin potiùs argumentatio est hæc, Deum olim Israëlitis incredulitatem ipsorum gravissimo Jonæ signo exprobravisse, atque obsignasse: jam verò idem quoque se Judæis denunciare a persona sua; nimirum fore, ut qui tentant ipsum, miraculo

2.Reg.24.5.
Esa.1.10.

 supernaturali,

ſupernaturali, de ſua infidelitate, & ſeveritate venturi a Deo judicii evincantur, & damnentur omnes palàm, niſi propediè reſipiſcant. Quapropter etiam Chriſtus hunc ſermonem totum poſteà exemplis communibus adductis non ſingularibus typis perſequitur; puta Ninivitarum & Reginæ Sabæ. Non eſt igitur hic typus proprius, judicio meo; ſed exemplum purum, ut ante nos ſenſit Ambroſius; quod ea omnia, quæ Chriſtus continuato ſermone Phariſæis tentantibus ipſum denunciavit, videntur oſtendere. Parallelam autem ſequentium locorum de Ninivitis & Regina Sabę comparationem hic inſtituere foret ſupervacaneum, cùm loci aperti ſint verbis ſententiáque ſua, & cum hiſtoria veteris Teſtamenti planè conſentiant.

PARALLELUS XXV.

Eſaiæ 6.	Matth. 13.
9 *Audite audiendo, at ne intelligatis: & videte videndo, neque cognoſcatis.*	14 Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis.

Finis communis eſt utriuſque loci, ut juſtitia Dei in obfirmandis & caſtigandis iis qui pietatem omnem ultrò abjecerunt, apertè oſtendatur. Summa verò eſt, non eſſe infidelibus datum ut myſteria regni cœlorum noverint; ſed illud ipſum quod habent lucis reliquum, tam ineptum eſſe ad percipienda illa myſteria, ut res quamvis auditas non poſſint aſſequi, aut percipere oculis expoſitas, præ ſtupore & cæcitate ipſorum. Eſt igitur accommodatio ætiologica, vel in quæſtione juſti & injuſti poſita in hanc ſententiam: Ad juſtitiam Dei pertinet, ut quorum cor pinguefactum eſt, aures graves, & oculi tenebricoſi, eorum cor, aures, & oculos afficiat ad obſignandam, non corrigendam vitioſitatem ipſorum. Sunt autem ejuſmodi, ait Chriſtus, illi quibuſcum in præſentia agimus: Illos igitur hoc pacto opus eſt affici. Priorem propoſitionem confirmat Chriſtus ab authoritate divina in exemplo conſimili verſu 14. Sic enim (inquit) olim Deus per Eſaiam in Judæos fecit: cujus quidem juſtitiam hoc quoque tempore nos æquiſſimum eſt imitari. Secundam verò propoſitionem, ſive aſſumptionem confirmat 15. verſu, dicens, *Pinguefactum eſt enim cor populi hujus*, &c. Sunt igitur omnia hoc loco evidentiſſima, ſi hoc exceperis, quòd mutationes nonnullas adhibuiſſe videtur Chriſtus, & ab Eſaiæ verbis diſceſſiſſe. Omnino tamen unum eſt mutationis genus, nempe quod Eſaias hæc imperandi modo enunciavit; quia populum ipſum compellabat Domini Dei verbis: Chriſtus verò ſimplice indicandi modo eamdem ſententiam enunciat; quia cum Apoſtolis ſuis ipſum hac de re interrogantibus, non autem cum populo ſermonem habebat. Itaque rei nulla eſt mutatio, ſed tantùm modi, reſpectu earum perſonarum, quibus cum agebatur; quæ mutatio non derogat de veritate verbi; ſed oſtendit applicationis modum, ut in Parallelum quintum docuimus. Atque eadem quoque videtur eſſe ratio ſequentis verſus: ubi aſſumit quidem Dominus Eſaiæ verba, & illis utitur, quum ſermonem de conſtitutione populi Judæorum, qui tum aderat, apud ſuos Apoſtolos habet. Sed non propterea putandum eſt Eſaiæ locum ex profeſſo in eo verſu adduci: quia loquitur Chriſtus de populo qui tum erat; non autem de populo, qui olim temporibus

temporibus Esaiæ fuerat. Itaque versus 15.non est authoritatis (ut ita dicamus) necessariò de facto & eventu concludens allegatio; sed tantùm sermonis conformatio: quam propterea necesse fuit adhiberi, ut illustrior esset totius hujus argumentationis veritas, quam veritatem superioribus satis explicatam esse ducimus pro instituto nostro.

PARALLELUS XXVI.

Psal.78.	Matth.13.
2 *Aperiam per parabolam os meum, eructabo occulta inde ab antiquitate.*	35 Aperiam per parabolas os meum, eructabo occulta a jactis fundamentis mundi.

FInis est, ut mirifica Dei sapientia in ratione docendi sit Ecclesiæ exposita, qua bonos instituit, & destituit magis magísque malos & impios. Summa, Deum non solùm propria & simplice oratione uti, sed figuratam etiam ac parabolicam sapientissimè adhibere in Ecclesia sua, qua hos & illos commodè afficiat ex animi sui sententia; bonos quidem & trepidantes ad verbum ipsius de salute informando, malos verò de perditione ipsorum futura a cæcitate ipsorum evincendo. Accommodatio non omnibus videtur esse eadem. Nam quia duo sunt typorum genera (ut antè in Parallelum vigesimum quartum diximus) duplex quoque nata est hujus loci interpretatio. Prior est, quæ authorem Psalm.78. constituit proprium fuisse typum & singularem Christi in canendo hoc Psalmo; ac proinde historicè hunc locum accipit, tanquam si dixeris, authorem illius Psalmi de seipso hæc verba typicè enunciavisse: Matthęum verò jam anagogicè historicam veritatem illius typi demonstrare. Posterior accommodatio non historica; sed ætiologica est: quæ typum statuit non in persona, sed in docendi ratione: hoc est, similem esse communémque ponit æquitatem in illa Prophetę enunciatione, atque in hac Christi; unámque & eamdem cùm doctrinæ, tùm modi in docendo analogiam. Nobis probatur magis posterior interpretatio in hanc sententiam: Qua ratione Deus Pater per Prophetas suos in omni tempore populo mysteria regni cœlorum enunciavit, eádem me quoque (ait Christus) qui sermo Dei sum, uti necesse est. Est autem usus ratione parabolica, &c. hæc autem posterior propositio authoritate scripturæ ostenditur. Itaque figuram judicamus non esse in voce πληρωθῇ statuendam; sed in altera illa, τὸ ῥηθέν: quasi dicas, ut impleretur a Christo quod simili exemplo olim Propheta impleverat. Quam figuram vel loquutionis modum esse frequentissimum Parallelo 24. antè commonstravimus. Mutatio unica est, quòd pro illis verbis *ab antiquitate*, subjecit Christus, *a jactis fundamentis mundi*. Sed nulla ex eo difficultas nascitur, cùm alterum sit alterius interpretamentum. Gravius illud est, quòd objicere aliquis hoc loco possit, At non est eadem parabolarum ratio in utroque loco; nam Propheta res gestas eo Psalmo narrat, & Christus fictas, quæ vulgò μυθώδεις καὶ ἀλληγορικαὶ appellantur. Respondeo, Contrà verò primùm communem rationem habent generis, sive quà generi uni subjectæ sunt. Nam & vera & ficta exempla, id est, historiæ atque Apologi continentur parabolarum genere: quemadmodum etiam theses vel pronunciata generalia, & res contingentes ad idem genus referri possunt. Secundò, ne hoc quidem

parabolarum genere, quod in thesibus positum est, carere Psalmum septuagesimum octavum vel finis illius ostendit evidentissimè. Postremò, ne ea quidem ipsa, quæ hic narrat Christus, negaverit quisquam (si modo sanus est homo) inter mortales contingere; cùm omnes hæ narrationes parabolicæ, sive historias, sive apologos dixeris, non ex abstrusis atque incognitis, sed ex rebus maximè communibus, notis, ac popularibus depromtæ sint.

PARALLELUS XXVII.

Exod.20.

12 *Honora patrem tuum & matrem tuam.*

Exod.21.

17 *Qui maledixerit patri aut matri, morte plectitor.*

Matth. 15.

4 Deus mandavit dicens, Honora patrem tuum & matrem. Item, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

HIs duobus locis cum Legis præscripto omnino convenit verbis atque sententia. Quia verò Christus comparationem instituit legalis doctrinæ cum Pharisaica, ut in caput quintum suprà ostendimus; id tantùm afferemus, quod videtur esse opus ad argumentationis hujus evidentiam. Finis hujus argumentationis est, ut evincatur præpostera Pharisæorum conscientia, quòd suas traditiones curent, & præcepta Dei negligant vers. 3. Summa verò, quòd confirmat Christus hoc utrumque membrum instituta comparatione unius argumenti: ex cujus exemplo alia quoque voluit intelligi. Comparatio est divini illius precepti de honore parentibus exhibendo, vers. 4. cum Pharisaica dispensatione (ut vulgò loquuntur) id est, liberatione à legitimo filiorum erga parentes suos officio, vers. 5. Mandatum Dei per gradationē duplex à Christo adducitur: unum, quo officium erga parentes præcipitur: alterum, quo pœna contravenientibus statuitur. Hoc utrumque mandatum unico Pharisæorum dogmate labefactari ostendit Christus: primùm, quòd docerent filios satis habere honoris parentibus, si donum aliquod Deo in Ecclesia parentum causâ obtulerint: secundò, quòd dicerent donum illud usque adeò meritorium esse, ut & parentes percipiant illius commodum, & filii de reliquo soluti sint planéque liberi ab adjumento aut honore parentibus ampliùs prestando. Hæc ita se habere, ut evidentiùs ostendamus, grammaticam verborum explicationem afferemus. Ac primùm quidem verba illa, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ tractationem (ut appellat Varro) sive trajectionem habent in scripturis sacris frequentissimam, pro eo quod est, quodcunque donum à me fuerit; deinde in voce ὠφεληθῇς, ellipsis est pronominis ἐν τούτῳ; quasi dicas, hoc dono juvaberis, vel, hoc donum profuturum est tibi. Postremò autem illa verba καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ, per enallagen modi videntur dicta, in hanc sententium: Qui donum suum Deo obtulerit & fructum illius in parentes à se dixerit derivari; non est cur laboret ampliùs de honore alio parentibus suis insuper exhibendo: ac proinde tum a præcepto illo legis de honorandis parentibus, tum etiam a pœna, quam lex in contravenientes statuit, solutus est, etiamsi eos ampliùs non honoraverit. Hanc interpretationem Marcus confirmat evidentissimè, quum
Marc.7.12. his verbis Christum usum fuisse narrat; *ac non permittitis amplius eum quicquam*

quicquam præstare patri suo aut matri suæ. Cætera sic videntur plana, ut opus non habeant ulla à nobis explicatione.

Parallelus XXVIII.

Esaiæ 29.	Matth. 15.
13 *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis honorant me: cor autem suum procul amovet a me, estque reverentia eorum erga me præcepto hominum edocta.*	8 Quum appropinquat mihi populus iste, ore & labiis me honorat, cor autem eorum procul à me amovet. 9 Sed frustrà me colunt docentes doctrinas, mandata hominum.

Finis est utriusque loci, ut Judæorum impietas & infidelitas revincatur: Summa, speciem quidem habere illos pietatis, sed veritatem ejus pernegare, tum intus animo, tum etiam foris doctrina atque institutis; cùm mandata hominum substituant in divinæ doctrinæ locum. Accommodatio est (ut mihi quidem videtur) historica; quia Christus dictum suum antecedens confirmat, non solùm ab exemplo uno doctrinæ, de quo in Parallelo precedente diximus; verùm etiam ab authoritate Prophetica, in hanc sententiam. De toto Judeorum populo Deus per Prophetam suum hanc impietatem & infidelitatem vaticinatus est; vos autem hypocritæ, estis de numero istius populi: hæc igitur Prophetia de vobis pronunciata est. Sic argumentatio est valentissima, ducta à toto in tempore, ut vocant, ad partem illius. Quod si qui maluerint argumentationem esse ab exemplo, per me licet. Verumtamen videtur prior interpretatio plus habere ponderis, & magis ad Christi consilium pertinere. Mutationes quidem nonnullæ videntur esse: ut in priore apud Matthæum versu futura est, si verbum ἀπέχειν intransitivè acceperis: quod verbum non minùs commodè etiam transitivè exponi videtur posse, ut Prophetæ verbis respondeat, quemadmodum nos in Parallelo diagrammate, reddidimus. Posteriore autem versu synonyma sunt, vel ὁμόσημα omnia, & apud Matthæum expressa Esaiæ verba evidentiùs. Quamobrem hæ mutationes remorari neminem jure possunt, quum aliæ voces aliis idem significantibus exponuntur. Adjectio una est particulæ, *frustrà*, quam sive Christum de suo adjecisse dixeris, quia justa est & ad rem pertinens adjectio; sive ex antecedente apud Esaiam similitudine adhibuisse; non est injusta, aut perissologica; sed exegetica & maximè commoda adjectio ad rei quæ agitur explanationem.

Parallelus XXIX.

Esa. 35.	Matth. 15.
5 *Tunc aperient se oculi cæcorum, & aures surdorum patefient.* 6 *Tunc saliet claudus, velut cervus, & cantabit lingua muti.*	30 Tunc adiit eum turba multa habens secum claudos, cæcos, mutos, mancos, & alios multos, quos abjecerunt ad pedes Jesu, & sanavit eos. 31 Adeò ut turba mirata sit, *&c.*

Finis est utriusque loci, ut regnum Dei in Christo agnoscatur atque prædicetur: Summa, ex manifestissimis eventis & effectis illius

qualia hæc divina opera fuerunt ab Esaia prænunciata, & a Christo completa) etiam ab imperitissimis quibusque hominibus illud fuisse agnitum,& magnificè prædicatum. Quamobrem optima est hujus, & aliorum Esaiæ locorum, accommodatio ad hanc historiam atque consimiles. Unum tantùm fortasse pios morari possit: quòd Esaias in locis ejusmodi typicè potiùs loquutus esse videatur quàm historicè ; ac proinde non possint hi loci propriè comparari, si aliud Esaias senserit. Respondeo, verum quidem hoc consequens futurum esset, si antecedens poneretur & pro confesso certóque haberetur : sed non debent loci ejusmodi typicè potiùs quàm historicè accipi, ubi demonstratur historicum eorum complementum. Hoc autem demonstratur hic & locis aliis quàmplurimis. Sic ergò accipi necesse est. Historicam verò potiùs quàm typicam interpretationem, ubicunque exposita est commoda utriusque ratio,adhibendam esse, demonstrat primùm justus interpretationis modus.Nam prior semper est propria & simplex interpretatio; neque ad figuratam transvolandum est temerè, ubi propriæ est locus. Secundò confirmat idipsum Prophetarum consilium in locis ejusmodi. Nam etsi hyperbolas,typos, & allegorias promiscuè adhibent ; simplices tamen historias certo consilio interserunt, ut hæ sint illarum indices ; quia dubiæ omnes Prophetiæ futuræ essent, si nihil nisi hyperbolas, typos, & allegorias continerent. Tertiò, evincit ipse Prophetiarum typicarum modus. Nam typicæ quidem illæ sunt, quæ aut de Deo humanitus, aut de rebus creatis secus prædicantur quàm aut ex natura ipsarum est, aut ex dispensatione gratiæ, aut ex justi & injusti regula : Sed quæ de operatione Dei & Christi in rebus creatis prædicantur secundùm eam dispensationem gratiæ, quæ aut jam completa, aut deinceps complenda est in Christo, & per Christum, ea verò typicè accipi non debent ; quia omnino non possunt sine atrocissima in Deum & Christum ejus contumelia: Est autem hic locus ejusmodi. Propriè igitur hunc & consimiles accipi necesse est.

PARALLELUS XXX.

Matth.16.

4 Natio mala & adultera signum requirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum illud Jonæ Prophetæ.

Hic locus jam antè Parallelo 24 fuit explicatus.

PARALLELUS XXXI.

Malach.3.	*Matth.17.*
23 *Ecce ego missurus sum vobis Eliam Prophetam*,&c.	11 Elias quidem veniet primùm, & restituet omnia: 12 Sed dico vobis Eliam jam venisse,*&c.*

Finis utriusque loci unus est, ut regnum Christi ex præcursore vel anteambulone ipsius cognoscatur: Summa, Johannem Baptistam Christi præcursorem esse ; cujus ministerio fuerunt pii in populo Dei ad instaurationem,quæ per Christum facta est,percipiendam comparati. Tantùm eo discrimen est, quòd Malachias venturum præmonstrabat,

strabat, Christus demonstrat advenisse. Nec obstat, quòd Elias utroque in loco appellatur. Nam Eliæ nomen his quidem in locis non tribuitur propter identitatem personæ (ut loquuntur scholæ) hoc est, eò quòd Elias aut redivivus per illud tempus fuerit, aut Eliæ spiritus secundùm Pythagoricam illam μετεμψύχωσιν (quam Judæi plerique credunt) in corpus alterum humanum, puta Joannis Baptistæ transiverit; sed propter identitatem spiritus & virtutis, quam Angelus explicavit Luc.1.17. hoc est, eò quòd paribus donis, vocatione, administratione, & operationibus instructus est; ut paria tempora pari virtute ad bonam frugem revocaret. Quamobrem Christus hoc in loco his verbis utitur, *Elias quidem venturus fuit primùm, & restituturus omnia; sed dico vobis,* &c. ut ea ratione Christus ostenderet, non stetisse per ipsum, quo minùs ea præstaret quæ in mandatis acceperat; sed incredulitatem Judæorum administrationi ejus obstitisse, versu 12. ut olim Israëlitarum pervicacia impedimento fuit, ne ministerium Eliæ, pro ut debuit, fructuosum apud ipsos esset.

PARALLELUS XXXII.

Deut.19.	*Matth.18.*
15 *Ex sermone duorũ testium, aut ex sermone trium testiũ stata res esto.*	16 In ore duorum aut trium testium stabile sit omne verbum.

LOcus est ætiologicus: ac proinde constantissimam & semper necessariam regulam juris complectitur, quæ in rebus privatis, publicis, civilibus, ecclesiasticis, omnibus denique locum semper obtinere debet. Nam ætiologiæ natura semper est eadem, & sibi constans, ut in Parallelum sextum ostendimus.

PARALLELUS XXXIII.

Genes.2.	*Matth.19.*
22 *Costam illam quam desumserat Jehova Deus ex Adamo extruxit in mulierem, & adduxit eam ad Adamum.* 24 *Propterea relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eruntq́ in carnem unam.*	4 Non legistis, opificẽ ab initio fecisse masculum & fœminam? 5 Et dixisse, Propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ, & qui duo *fuerant,* in carnem unam futuri sunt.

VTriusque loci finis est, ut naturalis ratio sancti conjugii in genere humano integra & inviolata teneatur. Summa, conjugii humani legem non ex unius conjugis, aut utriusque arbitrio pendendam esse; sed tum ex ipso creationis opere, tum ex primorum parentum exemplo, tum denique ex sancta Dei institutione constare, unam esse perpetuámque legem conjugii; ut tantisper dum vivunt, alter sit atque permaneat caro alterius. Facilis ergò est hujus loci accommodatio. Nam primùm creationem his verbis adducit Christus. *Qui fecit ab initio marem & fœminam,* non, mares fecit aut fœminas: hoc est, unum cum una conjugandum fecit. Deinde verò primorum parentum exemplum hac voce innuitur, *Propterea*; tanquam si dixisset author,

 quia

quia ex Dei institutione & facto mulier convenit in manum viri, & à Deo ipso ad virum adducta est; hoc Dei factum vim legis apud homines æquum est obtinere: quia æquitas non in Adamo & uxore ipsius subsistit, sed totam posteritatem & speciem ex æquo obligavit. Postremum verò & potentissimum est Dei institutio; qui non solùm facto creationis, aut singularis illius conjugii inter Adamum & uxorem ejus, hanc legem confirmavit; sed etiam institutionem perpetuam in omnem posteritatem pronunciavit: nempe cùm ut conjugia ineantur, tum ut vis conjugiorum teneatur observetúrque, velut sanguinis vim & necessitudinem superantium. Nec obstat illa quæstio, quę vulgò agitari solet: sint ne hæc Dei, an Adami, an Mosis historiam conscribentis verba. Nam sive Adami, sive Mosis fuisse statueris, omnino tamen Dei sunt; cujus spiritus per Adamum & Mosem hæc & alia eloquutus est: sive Dei verba immeditatè esse putaveris (quod ex historia Mosis non potest colligi) id tamen certum est, ea ipsa verba per Mosem duce Dei Spiritu literarum monumentis consignata esse. Quamobrem simpliciter Christus hoc loco narrat Deum opificem hęc verba dixisse, ut authoritatem eorum ampliùs ostenderet, quocunque tandem instrumento ad ea proferenda uti placuerit.

PARALLELUS XXXIIII.

Matthæi 19.

7 Cur ergo Moses mandavit dare libellum discessionis, & eam dimittere? *&c.*

Hic locus jam antè in Parallelum decimumquintum segmento tertio fuit expositus.

PARALLELUS XXXV.

Matthæi 19.

18 Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non dices falsum testimonium.

19 Honora patrem & matrem; & diliges proximum tuum ut teipsum.

HAEc omnia per συναθροισμὸν sive congeriem à Christo, tanquam apud hominem non ignarum, dicta sunt: &, si ad rei substantiam, non ad ordinem congeriei promiscuum attenderis, summam habent cum lege convenientiam. Quamobrem his missis ad alia perrecturi sumus.

PARALLELUS XXXVI.

Zach. 9.	Matth. 21.
9 *Exsulta valdè filia Sionis, clange filia Jerusalē; ecce Rex tuus venit tibi, justus & salute præditus, pauper, & insidens asino, & pullo filio asinarū*	8 Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, & insidens asino ac pullo filio subjugis *asinæ.*

FInis utrobique est, ut Christi notę & insignia certa demōstrentur, quę in ipso exstiterunt sub illud tempus, quo ad redemtionem humani generis proximè faciendam sese accingebat. Summa autem; quo

quo tempore Christus servator noster ingressurus fuit Jerosolyma, ut opus mirificum liberationis nostræ perficeret, regnúmque suum capesseret parta liberatione; eum non fuisse cum apparatu maximo & humana specie venturum ad suos; sed mansuetudinis documentum ante omnium oculos fuisse ipsum cum toto instrumento suo oblaturum. Hæc prædixisse Zachariam, quum futura essent, Matthæus narrat, & ostendit justo suo tempore fuisse facta. Atque hanc quidem fuisse mentem Zachariæ, & consilium Dei, tum ipsa verba quæ in hoc versu exstant, adjunctaque omnia antecedentia & consequentia, tùm Prophetiæ illius argumentum demonstrat evidentissimè. Nam (ut de adjunctis dicamus paucis) quæcunque in ea Prophetia extant cap. 9. & duobus sequentibus, ita circumscribunt adventum Christi in regnum illud amplissimum, quod ipsi dedit Pater; ut non potuerit illustriùs eo tempore figurari; sive ab effectis in adversarios, sex versibus capitis noni; sive à piorum defensione, versu 7. & 8. quę duo ne quis humana specie & carnali modo accipi putet oportere, usus est Propheta eâdem arte, quam suprà Parallelo 7. in Jeremiæ locum annotavimus. Nam repentè per Apostrophen ad Ecclesiam Dei exponit piis Zacharias, non esse cur potentissima illa effecta Christi cogitent fore speciosa in oculis mundi & magnifica secundum rationem carnis, quando Christus ad suos venturus est, & oblaturus facem Euangelii, promissionumque Euangelicarum complementum in ipso; sed potiùs oportere ut de conditione totius regni in his terris, & de effectis illius, ex conditione Regis regnum obtinentis judicium faciant. Regis verò conditionem alio ex tempore edisci meliùs non posse, quàm ex eo tempore, quo primum aditurus est certamen, & regnum suum, insigni victoria (quam nobis sanguine suo per crucem peperit) ordinaturus. Hoc autem sic facturum esse Christum, ut cùm his regni initiis, quamvis potentissimi, tenuissimam & abjectissimam humilitatem præ se laturus sit. Nam regni quidem & dominationis documentum in eo fore, quòd asinum inequitaturus esset, ingrediens civitatem magni Regis, ut Jerusalem in Scripturis appellatur: Quem morem prisci illi Judices sanctis & incorruptis illis seculis tenuerunt: Humilitatis verò documentum in omnes partes exstiturum, quòd neque in se ipso, neque in comitatu suo, neque in actionibus aut sermonibus suis fastum ullum majestatis regię & gloriam hujus mundi ostentaturus sit; sed omnia quàm humillimè perfecturus. His positis per anticipationem à Propheta, sequitur ἀνάβασις, vel regressio ad sermonem institutum de effectis Christi erga Ecclesiam ipsius, versu 10 & seq. in qua id unum typis elegantissimis Propheta fore pronunciat, ut Ecclesia debellatis per Christũ hostibus, & defensione constituta, pacem summam habeat & colat beneficio Christi. De argumento autẽ quid opus est dicere? cùm tria illa capita, inde ab eo tempore quo pronunciata sunt, priscæ Judæorum Ecclesię luculentissimam consolationem & spem regni Christi; nostrę verò certissimam probationem atque multiplicem de complemento promissionum Dei in Christo semper exhibuerunt. Quæ cùm ita sint, restat ut illud cùm Matthæo statuamus, quod jubet Spiritus sancti authoritas, & docet rei veritas, hęc verba convenientissimè à Matthęo adducta esse; neque aliô sine gravissima in Deum & Christum ejus blasphemia referri posse. Quòd autem incidunt mutationes quædam, id neminem bonum remorari potest; quia non fuit Matthæi consilium, ut singula Zachariæ verba

Jud. 5. 10. & 10. 4.

verba quasi librata exponeret; sed tantùm ut rem digito commonstraret, piósque ab his veluti rivis ad fontem Testamenti Veteris deduceret. Veruntamen videamus, quænam hæ mutationes sint. Primùm omittuntur illa verba Zachariæ, *Exsulta valdè filia Sionis*, quia hæc propriè ad priscæ Ecclesiæ consolationem spectabant, non autem ad præsens Matthæi institutum. Pro illis verò, *clange filia Jerusalem*, substituit Matthæus, *Dicite filiæ Sionis*, hoc est, incolis Jerosolymorum synecdochicè. Utrumque loquendi genus eòdem pertinet: Nam qui clangunt sive intonant sermone, ii dicunt alii aliis & dicta sua significant: quod item Matthæus intellexit suis illis verbis, Nam filiam Sionis, jubet dicere filiæ Sionis, hoc est, alios aliis prædicare. Quod epitheton *justi & salute præditi* Matthęus reticet, non eo fit quòd expungi illud ex Zachariæ verbis oporteat; sed quia non est hujus argumenti: ubi satis fuit Regis adventantis signa exprimi, & quasi digito (ut antè diximus) indicari pleniorem locum. Appellationem pauperis explicari nomine πραέοντος, & eumdem mansuetum dici, non est insolens: tum quia mansuetus & pauper apud Hebræos rami sunt ex eodem trunco paronymi, vel conjugatæ voces: tum quia paupertas illa Regis nostri non est alia, quàm mansuetudo & abjectio voluntaria ipsius, qui pauperem seipsum fecit, ut nos ditaret. Postremò quòd illa Prophetę verba, *Insidens asino & pullo filio asinarum* (in quibus posterius membrum prioris est exegeticum) Matthęus explicat *asino & pullo filio subjugis asinæ*, omnium commodissima est Hebraismi illius explanatio. Nam Hebręi filium armenti vocant lactentem juvencum aut vitulum: filium caprarum, hœdulum; filium gregis, agnum: cum tamen vitulus, hœdus, agnus sint unius solùm bovis, caprę, aut ovis partus; quia in armento aut grege versantur, etsi lac tantùm unius sugunt. Hic autem asinus hærens ad matris latera, & lac sugens illius, filius asinarum dicitur, quia duę subjuges asinæ in agro adhibebantur, quarum alteram, puta lactantem, asellus sequebatur. Quamobrem optimè loquutionem illam *filio asinarum* expressit Euangeliographus, quum filium subjugis asinæ, id est, cum altera jugo copulatæ eum esse diceret.

PARALLELUS XXXVII.

Psal. 118.	Matth. 21.
25 *Obsecro, Jehova, serva nunc; obsecro, Jehova prospera nunc.* 26 *Benedictus est qui venit in nomine Jehovæ.*	9 Turba clamabat, dicens, Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna qui *es* in altissimis.

ETsi in tantis umbraculis priscę Ecclesiæ; & in tanta illorum temporum, quibus advenit Christus, cæcitate, credibile est non ita multos exstitisse, qui elegantissimum illum Psalmum, unde hæc verba sumta sunt, commodè intellexerint; tamen minimè dubitamus, quin singularem actionem hanc Spiritus Dei fuerit moderatus sapientissimè: qui & piorum eruditiorum mentes adduxit, ut pręirent imperitioribus faustæ hujus acclamationis verba, & imperitiorum ardentem zelum inflammaverit ut præeuntes sequerentur in sancta acclamatione hac, quamvis mysterium illius planè non intelligerent. Cùm itaque prisci illius cantici, & hujus acclamationis, author fuerit unus & idem

idem Spiritus; pro certo illud statuimus, quod olim fuerat pronunciatum, idem hoc ipso tempore, quum Christus ingrederetur Jerosolyma, impletum esse, & piæ illius turbæ mente, corde, & sermone agnitum, perceptum, atque prædicatum. Ac propterea communem esse loci utriusque finem, & argumentum esse commune statuimus; si hoc exceperis, quod illa Prophetia de re ventura loquebatur, hęc indicavit pręsentem. Finis igitur est, ut justus Ecclesiæ Rex ad suos veniens, & regni sui administrationem per mortem crucis initurus, piis acclamationibus & gratulationibus excipiatur, prædicetúrque. Summa, Jesum Christum, Davidis filium, justúmque Regem in populo Dei, ex promissione illius & in nomine Jehovæ, sive (ut rem exponamus clariùs) authoritate, mandato, & potestate ejus instructum, adire Ecclesiam suam; ac propterea pia quæque Ecclesię membra precibus instare apud Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui est in cœlis, ut salutem perficiat Ecclesiæ suæ, eámque ex promissione tradat in manus Jesu Christi, quam ex æterno beneplacito voluntatis ejus cum electis singulis Ecclesiæ membris communicet. Hæc omnia propositione illa comprehendi sic demonstramus paucis: Persona Christi demonstratur his verbis, *filio Davidis*: adventus ex Dei Patris consilio, illis, *Qui venit in nomine Domini*; finis hujus adventus, illa repetitione, *Hosanna*, id est, serva nunc: author hujus salutis, Deus, adjectione hac, *ô tu qui es in cœlis altissimis*: Ecclesiæ denique totius acclamatio, quum dicitur, *Benedictus*, &c. Atque hęc quidem omnia disertè quoque in Psalmo, unde hæc sumta sunt, exprimuntur; ac propterea non possunt alteri ulli rei commodè applicari. Sed quia tamen variat illius loci interpretatio, sententiam nostram collatis primùm aliis, quæ quidem videntur probabiliores esse, afferemus. Triplex igitur est loci illius, qui in Psalmo centesimo decimo octavo exstat, interpretatio. Prima Judęorum est: qui absolutè contendunt illa Prophetæ verba de Davide accipi oportere; sed hanc evertit ipsa natura loci, quam Paraphrasi paulo pòst explicabimus. Secunda est nostrorum hominum: qui secundum relationem typi & veritatis adumbratæ typo totum hunc locum accipi putant oportere. Quam interpretationem, ut piam & ab hominibus piis uno consensu receptam, ut damnemus, aut repudiemus, absit. Nam suo etiam loco potest constare, & ad ædificationem Ecclesiæ adhiberi: sed servatis semper, in utroq; relationis membro, typi & veritatis illius proprietatibus. Sed tamē haud scio an tertiam quoq; magis probari oporteat, & adversariis veritatis Euangelicæ opponi, ut convincatur illorum pertinacia. Est autem hęc tertia interpretatio, illa Davidis verba nō anagogicè de Christo hoc loco prędicari; sed tantùm historicè simpliciterque attribui ei, pro ut simpliciter & citra omnem rationem typi de Christo à Davide prædicta sunt; hoc est (ut paucis dicamus) in Psalmo historiam fuisse Propheticam a Davide (nam eum autorem puto) exaratam: hîc verò apud Matthęum historiam esse διηγηματικὴν, sive narrativam complementi earum rerum quas David prædixerat. Hoc autem, ut melius assequamur, tenendum est illius Psalmi quatuor esse partes: Primam, propositionem laudativam quatuor primis versibus; secundam narrationem particularis argumenti ad propositam laudem pertinentis ex assidua Prophetæ experiētia, ad versum usque decimum quartum: neque solùm ipsius; verùmetiam totius Ecclesię & piorum cœtus, inde ad versum decimum nonum usque: Tertiam, narrationem

causæ,

causę,ex qua ad particularia membra & totum Ecclesię corpus laudatissima illa salus pervenit, inde ad versum vigesimum octavum. Quartam denique, conclusionem laudativam exordio respondentem, duobus versibus ultimis. Quum autem à secunda parte ad tertiam Propheta transsilit, optimè conjungit membrorum & totius Ecclesię votum, ut veniat ad causarum explicationem; *Aperite mihi*, inquit pius, *portas justitiæ, ingressus per eas celebrabo Jah.* Huic petitioni subjicitur sua responsio; tanquam si Ecclesia mater singulos suos filios institueret de causis salutis ipsorum. Portas, inquit Ecclesia, desideras? *hac illa est porta Jehovæ, qua justi ingressuri sunt*; nimirum Christus, qui via est, veritas, & vita. Hoc aditu explicato, gratulantur pii, dicentes, *celebrabo te*, &c. tanquam si dicerent, Quum aditum hunc, quem nobis patefecit Deus, aspicimus; quo testatur nobis, fore ut nos porrò exaudiat & salute donet, non possumus non prædicare singularem ipsius beneficentiam: præsertim cùm omnia divinitus data & oblata esse animadvertamus generi humano, quicquam ejusmodi ne per somnium quidem cogitanti. Nam quæ est hæc porta, obsecro? *lapis est, quem reprobaverunt ædificantes*; *ea facta est ἀκρογωνιαία*, antam ædificii & portam ipsam constituens; denique idem lapis & columen est ædificii, & aditus in ædificium. Quam rem omnino necesse est fateamur à Jehova factam esse; non autem ab ullo homine proficisci, cùm mentis captum superet; quanto magis hominis artificium? Deinde, quanto tempore? hoc die fecit Jehova, non diuturno labore aut artificio. Quapropter æquum est, ut gaudium lętitiámque nostram in ipso uno statuamus, & gloriantes certa fiducia de liberatione nostra, in hoc ipsius aditu proclamemus, *obsecro Jehova, serva nunc*, &c. id est, plenam salutem dato membris Ecclesiæ tuæ, & secundato viam Christi tui; quem excipimus omnes hac fausta acclamatione, *benedictus est qui venit in nomine Domini*; neque solum in seipso, aut persona (ut loquuntur) sua benedictus; sed voce Euangelii benedictionem divinam in eos transfundens, qui credunt verbo ipsius dicentis, *benedicimus vobis è domo Jehovæ*, id est, è cœlis sive è locis altissimis, ut in Scriptura passim domus Jehovæ definitur. Cùm itaque David ab effectis singularibus communibusque in Ecclesiam, assurgat ad celebrationem efficientis causæ in tertia hac Psalmi hujus parte, eámque omnibus numeris & tanta accuratione describat; quam descriptionem non solùm Apostoli, verum etiam alii in hoc adventu Christi certissima fide agnoverunt, sanctóque officio prædicaverunt; omnino judicamus hanc interpretationem teneri à nobis oportere; sive Psalmum ipsum respiciamus, in quo fluunt omnia commodissimè, si hæc servatur interpretatio; sive hanc Apostolorum, discipulorumque, Christi, & Judæorum quoque ipsorum applicationem, quam Spiritus Dei fidelibus dictavit quum Christus ingrederetur Jerosolyma. Novimus quidem Judæos de Davide accipere, ut antè diximus: sed nullus ferè versus est in tota illa tertia parte, cui non faciant vim, lacerantes verba, & sententiam torquentes turpissimè. Novimus etiam typicam afferri interpretationem: sed iis, quæ antè diximus, expensis studiosè, cum bona omnium pace judicamus historicam narrationem, quæ simplicior est, & aliquid prophetici magis videtur sapere, typicæ atque implicatæ præferendam esse. Quamquam ego quidem minimè negaverim occasionem Davidi ex typo datam, quum arca Dei importaretur Jeruschalaima, ut ad veritatis ipsius narrationem virtute Spiritus

ritus Dei in fide transſcenderet; eóque nomine hunc Pſalmum jam tum Eccleſiæ datum, ut ad veritatis contemplationem ſinguli revocarentur: Sed illud quod in umbraculo fiebat, Davidem cenſeo de veritate pronunciaviſſe, & ad hunc Domini & Servatoris noſtri diem propriè reſpexiſſe, ut hiſtoriam propheticam de ea conſignaret in Eccleſia Dei, cujus hiſtoriæ certam in Euangelio habemus declarationem. Mutatio propriè nulla eſt; ſi hoc exceperis, quòd Hebræum & integrum verbum corrupta forma à populo pronunciatum eſt: neque ſingulæ Pſalmi voces in acclamatione fauſta propoſitæ, ſed tantùm eæ quæ in uſu erant populo; & quarum mentionem pii jam olim frequentaverant, ut ſuos etiam pueros imbuerent certis prophetiarum formulis, quæ de adventu Meſſiæ communi omnium conſenſu intelligebantur.

PARALLELUS XXXVIII.

Eſa. 56.
7 *Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus populis.*
Ierem. 7.
11 *An ſpelunca effractorum eſſe videtur hæc domus*, &c.

Matth. 21.
13 Scriptum eſt, domus mea domus orationis vocabitur; at vos feciſtis eam ſpeluncam latronum.

FInis horum locorum eſt, ut ſanctimonia domus Domini aſſeratur, & ab omni humana labe vindicetur: Summa, Deum poſt omnem hominum memoriam ſanctificaviſſe Eccleſiam ſuam, & voluiſſe, ut in ea quicunque verſantur, incumbant ſanctificationi ſuæ verbo & precibus; ac proinde quicunque domo Dei in res alias abutuntur, eos latrones, effractores, & ſacrilegos eſſe, divini juris contemtores. Duo autem ſunt loci quos conjunxit Chriſtus. Prior eſt ætiologicus; poſterior, hiſtoricus, ſed tamen implexam habens ætiologiam vel quæſtionem juris. Aetiologiæ autem cõſtans & perpetua eſt regula, ut antè Parallelo ſexto diximus. Juſta igitur eſt prioris loci accommodatio, & neceſſariam concluſionem efficit. Poſterior locus eſt tanquam aſſumtio vel propoſitio minor, in hunc modum: Qui domo Dei non utitur ad orationis domum, is eò devenit ut ſpeluncam latronum efficiat eam: Vos autem non ſic utimini; ſed vendentes, ementes, numularios, inſtitores denique omnis generis promiſcuè in eam recipitis adhibetiſque: Ergo latronum ſpeluncã facitis, & Dei mandatum evertitis traditione veſtra. Itaque hic locus partem habet ætiologiæ, partemque hiſtoriæ. Quæſtionis hiſtoricæ, ſive de facto, eſt illa propoſitio minor; Judæos non uti domo Dei, ut mandavit Deus. Atque hanc partem ex facto reprehendit & correxit Chriſtus, quum inſtitores illos e templo ejiceret, apud Matthæum proximè præcedente verſu: Sic enim probationem ex re præſente attulit. Ad alteram quæſtionis partem probatio adhibetur ab authoritate Jeremiæ, & exemplo Judæorum, qui ſeculo illius vixerant. Nam ſic ait Chriſtus, Judæos Domo Dei ita abutentes ita reprehendit Jeremias; Vos igitur in reprehenſionem eamdem incurritis. Tam enim juſtum eſt, hæc tempora ſui abuſus nomine a me nunc, quàm illa olim reprehendi a Propheta illo.

PARAL-

PARALLELUS XXXIX.

Psalm.8.	Matthæi.21.
3 *Ex ore infantium & lactentium fundatam disposuisti laudem.*	16 Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

FInis est utriusque loci, ut doceamur quibus instrumentis Deus gloriam suam testatam faciat: Summa, tam admirabile esse Dei nomen, ut ex ore etiam infantium atque lactentium, id est, ex rebus minimis, & quæ ad eam rem videntur ineptissimæ, exhibeat documenta gloriæ suæ inde a primo illarum ortu: vel nihil esse tam parvum & abjectum in rebus creatis, quin enarret gloriam Dei, sitque laudationis illius instrumentum. Itaque duplex hic inest argumentatio. Prima est, a toto (ut Logici vocant) universali: Omnia vel tenuissima prędicant laudem Dei; & hos igitur oportet hujus prædicationis esse instrumenta. Secunda est ex comparatione minoris: Si infantes & lactentes prædicant, quid hos æquum est facere? In verbis nonnulla videtur esse mutatio duobus modis: primùm enim Hebræum illud verbum quod sonat fundare, exponitur καταρτίζειν: deinde nomen roboris, ut vulgo redditur ab interpretibus, hoc loco dicitur αἶνος. Prior mutatio exegetica est: Nam verbum, *fundare*, accipitur metalepticè, pro eo quod est rem fundatissimam & compositissimam (ut ferè fundamenta fiunt) solidissimè statuere. Atque hoc Græca voce καταρτίζειν propriè designatur. Sunt enim Græcis ἄρτια propriè dicta, quæcunque perfectam & absolutam constitutionem habent citra omnem labem; Vnde etiam in sermonibus ἀπαρτιλογίαν vocat Herodotus τὸν διαρμόδιον, ἢ ἡρμοσμένον λόγον. Quod autem altera vox aliter, quàm vulgò, redditur; factum est jure optimo. Nam etsi nomen Hebræum, quo Psaltes utitur, propriè significat robur; non dubium est tamen, quin pro locorum ratione (quod alioqui vulgus Grammaticorum fugit) eadem vox metonymicè robustam, id est, vehementissimam laudationem significet: quam exegesim non solùm huic loco tribui oportere ostendit Christus; verùm etiam omnino flagitant alii prætereà loci in quibus conjungitur nomen gloriæ vel celebrationis, ut Exod.15.2. *Robor meum & canticum meum Jah.* Item Psalm.29.1. *Cedite Jehovæ gloriam & robur.* Itémque Psalm.96.7.& 118.14. & aliis locis. Quæ cùm ita sint, hæ mutationes nemini bono graves esse debent; cùm eæ magis pertineant ad justam hujus & aliorum similium locorum intelligentiam.

PARALLELUS XL.

Psalm.118.	Matth.21.
22 *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est caput anguli.* 23 *A Jehova factus est hic, qui mirabilis est in oculus nostris.*	42 Quem lapidem reprobaverunt ędificantes, is factus est caput anguli: a Domino factus est iste, & est mirabilis in oculis nostris.

FInis est utriusque loci, ut pii discant de ædificio Ecclesiæ consulere Deum, neque ab hominum authoritate pendeant; sed quia mirabilis est, & summè quidem mirabilis, Ecclesiæ ædificatio, Dei solius

solius authoritatem, opus, effectáque in argumento hoc suspiciant ac revereantur. Summa, Iesum Christum, qui nobis factus est a Deo Patre sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio, fundamentum Ecclesiæ ipsius esse: atque hoc quidem fundamentum ab iis fuisse reprobatum, quibus mandata fuerat a Deo suæ Ecclesiæ ædificatio: Sed eo esse admirabilius Dei opus, qui omnibus etiam procuratoribus ædificii aut repugnantibus, aut dormientibus, quasi medicam manum sua salutari gratia adhibuerit, ut fundamentum hoc poneretur: cui fundamento superædificata Ecclesia tam solidè fundata est, ut ne ipsæ quidem inferorum portæ ei prævalere possint. Est igitur optima verissimáque hujus loci accommodatio; quum Christus hunc lapidem, hunc angulum, hanc admirabilitatem operis divini ad se unum, tanquam filium Dei, hæredémque omnium, docet pertinere. Quo sensu illam Psalm. 118. partem accipi oportere suprà ostendimus trigesimo septimo Parallelo, & ipsa vetus Judæorum Ecclesia tam certò & vulgò agnovit, ut ipsi quoque Principes Sacerdotum, Senioresque adversus hujus testimonii productionem ad interpretationis & accommodationis hujus eversionem mutire ausi non fuerint. Est autem (ut in transcursu dicamus) hic locus ab authoritate: quem propterea adduxit Christus, quòd universi hujus argumenti assumtionem sive propositionem minorem (ut vocant) opus fuerit confirmari, ad Judæos contumaces graviùs verberandos. Fuit enim in antecedente Parabola propositio major, hoc argumento posita: Quæ operæ omni injuria, etiámque morte administros, & filium ipsum hæredémque omnium afficiunt, ex vestra ipsorum, ô Sacerdotes, confessione malè perituræ sunt, & vineam suam Deus aliis est elocaturus. Hanc propositionem, quæ in confesso est, altera sequitur, hoc modo: Vos autem ii estis operarii, homicidæ, & perfidi. Hanc propositionem confirmat antecedens Spiritus sancti authoritas. Atque hic assurgit conclusio sequente versu, Propterea dico vobis, fore ut tollatur a vobis regnum Dei, &c. Mutatio nulla est planè, si quis ad rem propiùs attenderit. Unum est, quod Lectorem fortè remorari possit, nempe, vulgò illa Prophetæ verba quæ habentur versu 23. neutro genere explicari. Hoc verò (quod bona omnium pace mihi liceat dicere) cum verbis Prophetæ & Christi non satis convenit. Nam utrobique relativum pronomen fœminini generis est. Cùm autem apud Hebræos nomen lapidis fœmininum sit, relativum quidem accommodari ad illud posset, nisi obstaret sanctissima Christi interpretatio, aut etiam Matthæi λίθον masculino genere pronuntiantis. Deinde, quum apud Græcos fœmininum sit κεφαλὴ, huc quoque relativum spectare videretur, nisi masculino genere apud Hebræos fuisset dictum. Restat igitur, ut pronomen istud relativum statuamus ad proximè antecedens nomen anguli (quod Hebraicè & Græcè fœmininum est) pertinere. Nam relativum αὕτη apud Græcos neutro genere acceptum, non memini observare. Sanè omnium est convenientissimum, & cum hac allegoria conjunctissimum, ut ad angulum referatur. Nam Deus Pater, cùm ædificatore; Judæorum Sacerdotes cum operis ædificantibus; Christus, cum petra ἀκρογωνιαίῳ: principium Ecclesiæ, quod jam tum in Christo ædificabatur, cum angulo comparatur; in quo angulo Christus utrosque dicitur conjungere, ut optimè interpretatur Apostolus Ephes. 2. 20. & seq.

PARAL-

Parallelus XLI.

Deut.25.

5 *Si habitantibus fratribus pariter, moriatur primus ex iis cui filius non sit, ne nubito uxor mortui foris viro extraneo; levir ejus congreditor cum ea, & ducens eam sibi uxorem leviri officium præstato ei.*

6 *Erit autem, ut primogenitus, quē pariet, succedat in nomen mortui. &c.*

Matth.22.

24 Moses dixit, Si quis mortuus fuerit, non habens filios, ejus frater ducet affinitatis jure uxorem ejus, & suscitabit semen fratri suo.

QVia de hujus legis intelligentia Sadducęi controversiam nullam commoverunt, neque ad hanc hypothesios ipsorum partem quicquam à Christo regeritur; qui procul dubio non fuisset dissimulaturus, si argumentum veritatémque legis oppugnassent: non putamus hoc loco laborandum esse, ut consensum partium, quibus in rebus consentiunt, demonstremus. Fuit quidem alius Sadduçęorum finis; qui ex hypothesi hac quęstionem novam texuerunt, quam Christo obtruderent; sed de ea quæstione dicendi commodus erit in Parallelo sequente locus. Unum in transcursu dicendum est, vel hunc ipsum locum unicum apud omnes bonos sufficere ad ea confirmanda, quæ de mutationum legibus Parallelo quinto suprà docuimus. Hic enim res eadem; sed diversis & decurtatis verbis proponitur; qua in mutatione verborum non esse vitium, quando a consilio Spiritus sancti minimè disceditur, silentio Christi confirmamur.

Parallelus XLII.

Exod.3.

6 *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.*

Matth.22.

32 Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.

FInis utriusque loci est, ut Dei fidem, id est constantiam atque veritatem perpetuam in federe & promissionibus federis doceamur: Summa, Deum ex quo Ecclesiam & singula illius membra federe adjunxit sibi, nunquam committere, ut fedus illud sanctissimum in Ecclesia aut aliquo illius membro intercidat; sed omnipotente virtute sua fedus in federatis suis, & federatos propter fedus suum conservare. Hic autem (ut de argumento ipso aliquid dicamus) primùm tenendum est, quid docerent & quid captarent Sadducęi: deinde, quę sit refellentis eos Christi argumentatio. Tres fuerunt errores, quos Sadducæi docebant in hoc argumento: Primus, non esse spiritus, id est, substantias spirituales ullas: ac proinde animas humanas (ut cum Scholasticis loquamur) qualitavitas esse vel puras potentias & facultates corpori velut subjecto suo inherentes, statuebant: Secundus, mortuum hominem non ampliùs esse, quia exstincto corpore, substantiam illius ad elementaria sua principia reduci cogitabant, neque ampliùs coalescere. Tertius, ex his rebus omnino consequi; quòd nulla sit futura resurrectio, ut testatur Lucas Act.23.8. Atque hoc sensu accipiendum est illud

illud moriendi verbum, quo in sua propositione usi sunt, pro eo quod est, omnino desistere esse. Ex his principiis id captabant isti, ut doctrinam resurrectionis ludificarentur palàm ludicra hypothesi, quam objecerunt Christo, dicentes, *In resurrectione, cujus e septem erit uxor?* &c. Refellit autem ludicram istorum hypothesim Christus sapientissimè quum ait, *erratis*, &c. & ostendit ipsorum hypothesim peccare dupliciter: primùm quidem in authoritatem Scripturæ; deinde verò in omnipotentiam Dei. Quæ duo sequentibus versibus ὕστερον πρότερον a Christo demonstrantur. Nam omnipotentiam Dei dogmate ipsorum oppugnari demonstrat 30. vers. Scripturæ authoritatem, sequentibus. Unico autem hoc scripturę loco evertit Christus tres illos errores quos antè enumeravimus: & confirmat spiritus esse: homines, quamvis mortui sunt, esse tamen; & resurrecturos esse; sumta argumentatione ab efficiente causa, ex authoritate Scripturæ; & quidem ejus ipsius Scripturæ; cujus authoritas ne ab ipsis quidem Sadducæis in dubium vocabatur: Nam libros Mosis probabant, cæteros ex Testamento vetere impiè expungebant. Quæ vera est & unica ratio, cur Christus ex Mose potiùs quàm ex aliis Prophetis authoritatem ad refellendos illos adhibuerit. Sic ergò est argumentatio: Deus non est Deus mortuorum, sed viventium: Est autē Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Sunt igitur. Sed nondum videtur probata esse his verbis resurrectio. Probatur quidem confutatio duorum errorum, quos primo loco enumeravimus; omnino tamen sequitur resurrectionem fore, postquam duo illi errores convicti sunt; nempe sumta argumentatione a toto ad principales ipsius partes: nam (ut vulgo Dialecticorum placet) toto posito & principales illius partes poni necesse est. Hoc igitur posito, Deum esse Deū Abrahami, Isaaci, & Jacobi, id sequi necesse est, quòd Deus sit ipsorum Deus secundùm animam & secundùm corpus; quę duę sunt principales ipsorum, ut omnium hominum cæterorum, partes. Quòd si objiciat Sadducæus, Atqui jam corpus esse desiit: Responsionem Christus contrà suggerit, dicens, *nescitis potestatem Dei*; hoc est, hominis pii corpus potentia Dei, fœdere, promissione, & veritate ipsius est, etsi non est humana specie. Quā rem ut probemus, non aliunde probatio sumenda est quàm ex ea ipsa argumentatione a toto ad principales partes, quam modò de homine toto dicebamus. Sunt enim adhuc non solùm principales, verum etiam singulares quæque partes & minutissimæ, Domino expositæ; ut eas adunet inter se, & omnes adunet spiritui animanti ipsas, ut totus homo ex fœdere Dei instauratus æternùm vivat in Christo.

PARALLELUS XLIII.

Deut. 6.	Matth. 22.
5 *Diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex totis viribus tuis.*	37 Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.
Levit. 19.	
18 *Diliges proximum tuum, sicut te.*	38 Diliges proximum tuum, ut teipsum.

CONveniunt omnia; si unum exceperis, quòd pro illis vocibus, *ex totis viribus tuis*, has suffecit Matthæus, *ex tota cogitatione tua.* Hic autem *cogitationem* accipio generaliter pro omni actione interna

agente in utroque illo subjecto, id est, in corde & in anima nostra: cujus actionis sive energiæ fons est illa δυώαμις vel ἰχὺς, quæ apud alios Euangelistas adjicitur. Sic ex consequente intelligitur antecedens; eadémque opera etiam natura virium illarum magis explicatur, quas in utroque dilectionis genere Deus mandavit occupari.

PARALLELUS XLIIII.

Psal. 110.	Matth. 22.
1 *Dixit Jehova Domino meo, sede ad dextram meam, usque dum ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.*	44 Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam usq; dum ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.

FInem Davidi fuisse propositum, ut Christi regnum prophetaret, personámque & officia illius circumscriberet, non solùm Christi, demonstrat authoritas; verum etiam Pharisæorum partim confessio, partimque silentium, quo usi sunt illi ad quæstionem hanc quam adduxit Christus. Quare, cùm inter omnes conveniat de horum locorum convenientia, & de interpretatione constet; ad alios locos properabimus.

PARALLELUS XLV.

Daniel. 9.	Matth. 24.
27 *Per alam abominationum desolantem, & quidem usq; ad consummationem, eámque præcisam, effundetur ad desolationem.*	15 Quum ergo videritis abominationem illam vastatricem, quę dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, &c.

FInis Danieli Prophetæ in singulari illa narratione propositus hic fuit, ut Ecclesia de severitate judiciorum Dei informaretur, quæ propter impietatem summam Judęorum, post mortem Christi, ipsis & metropoli ipsorum maximè erant superventura; eorum fiducia patienter calamitates perferrent; & veritatem Dei in eventu illorum recognoscerent: Summa verò, non ita multo post quàm Judęi Christũ crucifixerint, Deum supplicia gravissima de ipsis sumturum esse; ac propterea facturum ut potens exercitus, (quem alam vocat ex Hebręorum usu & castrensi voce) udęam invadat; cujus exercitus ea conditio futura sit, tum ut sit abominandus, & abominationi ac idololatriæ serviat, tum ut reipsa desolet ac perdat eas regiones, in quas involaverit: Denique in hoc exercitu eam obfirmationem animi & obstinationem ingeneraturum esse, ut nunquàm pedem è loco dimoturus sit, donec quasi inundatione diluvióque rapidissimo omnia sursum deorsum verterit, & consummationem pręcisam effecerit. Ex his autẽ omnibus eam solùm particulam excerpit Christus, quæ ad judiciorum descriptionem pertinet, prout sex sequentibus versibus exponitur. Præcisè verò istis judiciis eam notam adhibet, quam Daniel Propheta olim illis verbis expresserat, quæ in diagrammate Paralleli nostri posuimus; ut Judæis omnibus denunciet eos signum excidii atque ruinæ Jerosolymorum esse habituros, quum primùm exercitus justus ad obsidionem urbis se comparaverit. Appellatur enim exercitus omnis infidelium ad subversionem

versionem desolationémque populi Dei comparatus, ea appellatione quam hic retinuit summus noster Propheta Christus, τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, id est, abominatio desolationis, ad verbum: abominatio quidem, propter naturam & constitutionem ipsius; quia totus ex hominibus abominandis & infidelibus conflatus est: desolationis verò, ab effectu, quia horridam desolationem fuerat importaturus loco in quem irruerit. Sic enim idem Propheta in diversa quoque historia accipit, puta de regibus Syriæ, cap. 11.31. & 12.11. & Lucas disertè interpretatur, his verbis, *Quum autem videritis Jerusalem cingi ab exercitibus*, &c. Sic omnino id statuit Christus: primum exercitum, qui *stabit*, id est, consistet obsidionis causa *in loco sancto*, id est, in circuitu Jerosolymorum, vel ad Jerosolyma, quem locum Deus olim elegerat & sanctificaverat promissione, instituto, præsentiáque sua; Eum exercitum fore indubitatum signum de evertendis Jerosolymis, templo subruendo (quod antè dixerat Christus 2. versu) & Judæa gente profliganda. Itaque facillima est utriusque loci accommodatio. Nam cujus rei narrationem propheticam Daniel exposuerat, ejusdem complementum prophetavit paulo antè Christus, & quasi digito tempus illius indicavit; ut boni præmonerentur, & evincerentur mali. Non sumus nescii aliter hunc locum vulgò explicari, quem alii ad idola quædam in templo collocata, Neronis, Caligulæque temporibus, referri volunt: alii ad depravationem sacræ doctrinæ in Judæorum Ecclesia. Sed qui priorem interpretationem malunt, eo maximè adducuntur, quòd abominationem illam fore in loco sancto Christus pronunciat. Hi autem non mediocriter falluntur, qui locum sanctum ita accipi putant oportere. Etenim ubicunque locus sanctus in Scriptura dicitur, per relationem dicitur, sive comparatione loci alterius. Itaque adytum vel pars intima tabernaculi, ubi arca federis erat, dicitur locus sanctus, reliquorum omnium comparatione: similitérq; anterior pars tabernaculi, comparata cum atriis, pronais, vestibulisque domus, locus sanctus erat, hoc est, omnibus illis sanctior. Rursum septum universum & ambitus templi, comparatione urbis locus erat sanctus: & urbs sancta, comparatione totius Judææ: ipsa denique Judæa sancta, si cum regionibus cæteris compararetur. Hic autem circumstans regio intelligitur: quæ quia montosa fuit, nomine montium sanctitatis appellatur, Psalmo 87. & alibi. Denique nobis omnium interpretum loco est Lucæ authoritas. Deinde, quod nam illud, obsecro, signum futurum esset, quod pronunciat Christus? *Quum videbitis abominationem illam*, &c. *Tunc qui in Judæa fuerint, fugiant in montes*, &c. quum tempus Caligulę proximè sequutum sit post mortem Christi, nec ita multo pòst Nero imperium tenuerit, & aliquot anni inter institutionem Aquilæ aliorúmq; signorum in templo, & obsidionem urbis intercesserint. Christus autem; ex quo primùm visa fuerit hæc abominatio, Judęos imperat fuga sibi consulere. Non potest igitur hoc signũ de illis statuis & sigillaribus accipi: quum hoc à Danielis mente, a Christi verbis expressis, a signorum usu, & ab historiæ veritate absit. Qui autem de impia doctrinæ depravatione accipi putant oportere; id quidem boni assequuti sunt judicio meo, quòd alteram illam interpretationem, de sigillis in templum importatis, stare non posse animadverterunt. Sed tamen hi incertiorem multò (nisi me animus fallit) interpretationem produxerunt. Nam quis neget doctrinam jam diu fuisse depravatissimam? aut quis non videat hic a Christo, & illic a Daniele

Luc. 21.20.

agi de signo aliquo aspectabili & in omnium oculos incurrente? Quæ cùm ita sint, illud potiùs, vestigiis Christi & verbis Lucæ insistentes, simplicissimum & convenientissimum esse judicamus; ut totus hic locus de Vespasiani copiis in Judæam irruituris & Jerosolyma eversuris intelligatur, prout per Titum Vespasiani filium perfectum est.

Parallelus XLVI.

Matth.26.

24 Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo.

54 Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quæ docent sic oportere fieri.

56 Hoc autem totum factum est, ut implerentur Scripturæ Prophetarum.

Hi tres loci promiscuè authoritatem Prophetarum appellant. Sed magis distinctè in toto hoc argumento, quod est de morte Christi, in Euangelio Joannis adducuntur: Suntque omnes ex Esaia, Daniele, & Zacharia sumti potissimùm. Quamobrem de his in Euangelium Johannis dicturi sumus.

Parallelus XLVII.

Zach.13.	*Matth.26.*
7 *Gladie, evigila contra pastorem meum, & contra virum proximum meum; dictum Jehovæ exercituum; percute pastorē, & dispergentur oves.*	31 Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves.

Finis hujus loci apud Prophetam fuit planè idem, quem etiam Jeremiæ fuisse propositum in Parallelo 7. docuimus; nempe ut certo aliquo insigni & luculento signo publicè demonstraretur Jesum Christum eum pastorem esse, qui in ipso perpessionum suarum certamine oves suas dispersas curaverit; quas postea in unum ovile manu sua erat reducturus. Hunc finem Jesus Christus ad se ostendit respicere. Itaque summa est, quum propè fuit ut Christus pateretur, ipsum a Deo Patre percussum esse, & traditum in manus inimicorum: discipulos verò & comites ipsius singulos gravitate ferulæ istius offensos huc illuc abivisse, tanquam errantes oviculas: Sed ipsos a Christo Servatore nostro cùm perpessionis illius tempore conservatos esse; tum verò postquam resurrexit, curatos & reductos ipsius manu, quemadmodum Propheta prædixerat. Est igitur perfacilis hujus loci accommodatio. Nam cùm Propheta de admirabilibus Christi beneficiis in Ecclesiam, typum elegantissimum, & documenta evidentia eo capite posuerit; visæ fuissent admirabili huic operationi incredibiles illius perpessiones adversari, nisi Deus sapientissimus per occupationem adjecisset locum de cruce & scandalo crucis; ut præmonitæ piorum mentes, & adversus offensionem hanc armatæ ex eo ipso Christum recognoscerent, ex quo solet caro percipere offensionis argumentum: quam rem totam pleniùs exposuimus in illum Jeremiæ Prophetæ locum. Mutatio in verbis aliqua videtur esse: res tamen unica est. Nam pro eo quod Zacharias verbis

Dei

Dei compellat gladium, dicens, *Evigila gladie, percute*, &c. Christus omissa loquutione illa figurata rem propriis verbis, & simplicibus enunciat, *Percutiam pastorem*, &c. nimirum gladio, qui officium hoc in mandatis a Deo habuit, ut a Zacharia figuratur. Quæ cùm ita sint, omnino illum locum de Christo accipi necesse est; quemadmodum sanctissimè Christus de seipso interpretatus est, non analogica accommodatione, sed historica & necessaria interpretatione.

PARALLELUS XLVIII.

Zach. 11.

12 *Et expenderunt mercedem meam triginta siclos argenteos.*

13 *Dixitque Jehova mihi, Conjice istam ad figulum, magnificum pretium quo æstimatus sum ab illis. Itaque accipiens triginta illos argenteos conjeci eam* pecuniam *a domo Jehovæ ad figulum.*

Matth. 27.

9 Tunc impletum est, quod fuerat dictum per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta siclos argenteos, pretium æstimati illius qui fuit æstimatus à filiis Israëlis.

10 Et dederunt eos in agrum figuli, sicut cõstituit mihi Dominus.

VTriusque loci, quorum alter rem gerendam olim; alter gestam narrat eadem planè est ratio. Finis est, ut narratione prophetica certissimum signum præmonstretur, & hac quoque Euangelica Matthæi narratione demonstretur exhibitum, ex quo palàm omnibus innotescat Jesum Christum eum fuisse demùm, qui pastor a Deo populo suo datus, minimi fuerit æstimatus: Cujus rei perpetuum signum & documentum exstare voluit Deus, quum pecuniam æstimationis illius in agellum figuli voluit collocari. Itaque summa est, Quemadmodum olim per Prophetam Deus futurum prędixerat, ut Judęi mercedis loco pretium proditionis vile numerarent, & illud pretium specie sanctimoniæ à domo Jehovæ abjicientes ad figulum transportarent: Ita hoc tempore omnia ex ordine fuisse gesta. Nam pro mercede pretium proditionis appenderunt Judę, nempe triginta siclos argenteos, Matth. 26. 15. Hanc verò pecuniam, vel sacerdotum ipsorum testimonio, noluit Deus in domo sua collocari, Matth. 27. 6. Quapropter ex authoritate ipsius, quamvis imprudentes, agellum emerunt a figulo ad sepulturam hospitum: Cujus rei signum, perpetuum fuit institutum, quòd ager ille est inde ab eo tempore ager sanguinis appellatus, versu 7. & 8. Sic ergo habent singula hæc maximam inter se convenientiam. Hic verò occurrunt quæstiones duæ. Prior, qui Prophetæ locus sit cum hoc Matthæi comparandus? Posterior, si Zachariæ est, quomodo in contextu legatur nomen Jeremiæ. De priore paucis hoc modo statuimus. Triplex est ab hominibus nostris adducta responsio. Prima; non unius, sed duorum potiùs Prophetarum locos hic a Matthęo conjunctos esse, puta Jeremiæ 18. atq; Zachariæ 11. Sed non sequitur, si figuli nomen apud Jeremiam eo in loco legitur, propterea ad hunc locum illud pertinere, neque argumentum illius videtur cum hoc conjunctum esse. Secunda; Jeremiæ quidem locum esse: hunc verò non extare in authenticis libris; sed in illis apocryphis, quos Nazoræi olim habuerunt; & quorum exemplum Hebraicum narrat Chrysostomus a se fuisse visum, ubi hæc verba disertè legebantur: Sed Nazoræorum libris in hoc argu-

mento non magis quam in aliis placet habere fidem; quum indignum sit Matthæû Euangelicę narrationi suæ fidem a libris illis accersere, aut fidem nostram librorum ejusmodi authoritate niti. Tertia denique est, quam omnino sequimur, non esse Jeremiæ, sed Zachariæ Prophetæ locum, prout in parallelo diagrammate nostro posuimus, & modò explicavimus. Hinc nascitur altera quæstio, qui ergo fuerit factum ut Jeremias pro Zacharia adscribatur? Ad hanc quæstionem solvendam animadvertimus hactenus septem afferri responsionum genera, quorum duo ex præcedentibus desumta sunt. Primum conjungi unum Jeremiæ locum, & alterum Zachariæ: secundum; esse Jeremiæ ex libris Apocryphis. Sed neutrum horum jam antè probavimus: nec verò probari potest ex authenticæ ullius Scripturæ testimonio. Tertium; esse μνημονικὸν authoris (ut vocant) ἁμάρτημα, quod Matthæus noster imprudens pro Zacharia scripserit Jeremiam: Quem errorem (ut videtur esse) multis excusat Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 7. Sed mihi quidem religio est hunc errorem aut ullum alium consimilem, in hoc scriptionis genere ulli Euangelistæ, id est, publico notario Christi & Ecclesiæ ejus tribuere. Quartum; esse γραφικὸν ἁμάρτημα, hoc est, errorem calami & librariorum indiligenter oscitanterque exemplaria sibi proposita aut legentium aut exscribentium: Legentium, ut si quis hîc Ἰȣ̃ pro Ζȣ̃ legerit, id est, Ἰερεμίȣ pro Ζαχαρίȣ: Exscribentium, ut si cui imprudenter illud nomen pro hoc (quod non rarò contingit) exciderit, aut nomen per errorem adjecerit; quum non exstaret ullum in Matthæi scripto: quam postremam sententiam Syrus & Arabs videntur confirmare. Sed vetustas ipsa, & consensus omnium exemplarium, quæ jam olim versata sunt in Patrum orthodoxorum manibus, videtur nobis meritò hoc defensionis genus extorquere; quod etiam agnovit memoria sua Hieronymus. Quintum; esse συγχωρητικῶς sive κατὰ τὸ δοξαστικὸν positam Jeremiæ pro Zacharia appellationem; nempe quòd Judæorum mentes opinio illa jam olim occupasset obtinuissetque, Jeremiam Prophetam aut ipsum fuisse Zachariam, qui ex Ægypto rediens populo reduci de integro se exhibuerit, sumta Zachariæ appellatione, (Quam rem Danielis exemplo volunt confirmare, quòd principium & exitum deportationis unus & idem viderit, ut alii multi:) Aut certè Prophetas illos qui post reversionem prophetaverũt, maximè verò Zachariam, a Jeremia fuisse institutos: Aut denique redivivum esse Jeremiam per Pythagoréam deliriámq; illam μετεμψύχωσιν. Qua ratione videmus 2. Machab. 2. & 15. singularem Jeremiæ Prophetæ fieri mentionem: & Matthæi 16. roganti Christo, *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Responderunt discipuli, *Alii quidem Joannem Baptistam, alii verò Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum aliquem Prophetam.* Putabant enim illi, hos Prophetas suo tempore ad institutionem populi Dei, recepta vita, reversuros. Sextum & ultimum; Zachariam Prophetam fuisse binominem; cujusmodi exempla in Scripturis occurrunt multa; ut Achimelec, & Abjathar; Jochanan & Joachaz; Penuel & Chareph; Jochanan & Jojada; Joach & Ethan & alia innumera. Ex his omnibus duæ mihi probantur præ cæteris: Una ut Zachariam in disciplina Jeremiæ quasi per manus a majoribus tradita, dicamus vixisse; ac proinde hanc prophetiam a Jeremia ad nos per Zachariam discipulum ipsius pervenisse: Quam Prophetiam illius argumento verè Euangelicam tribus capitibus 9. 10. & 11. contineri jam antè ostendimus Parallelo 36.

Altera,

Altera, ut duo nomina fuisse hujus Prophetæ statuamus: quæ res apud Hebræos non fuit insolens, maximè quum nomina duo inter se haberent convenientiam, aut vocum etymologia, aut rerum significatione: ut Jonathan, Elnathan, & Nethaneel: Huzzija, & Hazaria: & similia quamplurima. Est autem commune utriusque nominis Jirmejæ & Zecarjæ, significatum unum: tanquam si dixeris virum qui exaltat Deum aut commemorat celebrátque professione sua. Nam ut Jeremiam post reversionem populi adhuc fuisse putemus superstitem impedit temporum ratio, quum anno 13. Josiæ cœperit Prophetare; quo tempore, ut demus viginti quinque annos fuisse natum, oporteret annos excessisse viginti quinque supra centenarium: quantò minùs igitur ad Darii usque tempora vixerit? Atque hæc, bona omnium pace, de accommodatione hujus loci sententia nostra.

PARALLELUS XLIX.

Psal. 22.

11 *Partiantur vestimenta mea inter se, & pro indumento meo projiciunt sortem.*

Matth.27.

35 Postquam autem crucifixerunt eum, partiti sunt vestimenta ejus, jacientes sortem; ut impleretur quod dictum est a Propheta, Partiti sunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam jecerunt sortem.

FInis hujus loci, quemadmodum etiam totius Psalmi, hic fuit, ut Ecclesia Dei propheticam narrationem haberet olim, & diebus singulis recoleret luculentissimum documentum earum omnium rerum, quæ Jesu Christo Domino & Servatori nostro acciderunt, dum in forma servi ambulavit, & pro nobis in cruce passus est. Hujus verò temporis singulare documentum hoc versu continetur: cujus summam verbis tam perspicuis Matthæus enunciat, ut si quid præterà addamus, fœnerare soli lucem videamur. Accommodatio est evidens & necessaria: Mutatio nulla. Tantùm hic quæstio una est, utrùm illius Psalmi argumentum simplex sit, id est, simplicem narrationem contineat propheticam, historiámque Christi; an verò compositum ex typo Davidis, & historia Christi adumbrata. Ac plerisque videmus quidem placuisse, ut composito sit argumento: Quam sanè interpretationem tolerabilem esse judicamus. Sed quia extant in eo Psalmo quamplurima quæ Davidi commodè non possunt tribui: multa verò prætereà non figuratè aut typicè; sed ita propriè de Christo prædicata sunt, ut non nisi violentia quadam Davidi aptari possint; & simplicem de Christo interpretationem implicare: maximè cùm ipsa propria Psalmi inscriptio ostendat Psalmum Ecclesiæ fuisse datum, ut diluculo uno quoque caneretur; quando statuebatur matutinum juge sacrificium in conspectu Domini; quemadmodum ampliùs id ipsum in caput 2. epistolæ ad Hebræos sumus explicaturi: Omnino statuimus hunc Psalmum & singulas propositiones illius de Christo agere, & Psalmum hunc in prisca Judæorum Ecclesia Euangelicum fuisse habitum. Quamobrem primas illius voces quasi sanctificavit Christus, & aptavit ipsi momento passionis suæ, infrà versu 46. & Euangelistæ non paucos ejus Psalmi

versus docuerunt ad Christum pertinere. Omnes deniq; Apostoli sententias ex Psalmo eodem frequentissimè desumserunt, quibus complementum gratiæ in Christo ex prædictionibus Testamenti veteris exhibitum fuisse docuerunt.

EX EUANGELIO MARCI.

PARALLELUS L.

Malach. 3.	Marci 1.
1 *Ecce ego missurus sum angelum meum, qui expediat viam ante me.*	2 Ut scriptum est in Prophetis, Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.
Esa. 40.	
3 *Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovæ, adæquate in solitudine semitam Deo nostro.*	3 Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.

FInis propter quem a Marco hi duo loci adducti sunt, evidentissimè in versu 1. exponitur, quum ait, *Principium Euangelicæ prædicationis de Jesu Christo filio Dei*, planè ita se habuisse, ut per Prophetas his locis antè fuerat pronunciatum. Voluit ergò Spiritus sanctus docere, æquè in hoc argumento atque in cæteris Vetus Testamentum fuisse prædictionem Novi, (ut Augustinus loquitur) & Novum veteris complementum. Summa, quemadmodum jam olim Deus per Prophetas significaverat se corruptissimis & desperatis Ecclesiæ Judæorum temporibus facturum esse, ut angelus vel nuncius suus prodeat in tanta solitudine vias Domini Jesu Christi preparaturus maxima voce & clara proclamatione (ut ita dicamus) Euangelii: sic precisè per Joannem Baptistam, angelum Dei, & præcursorem Christi, fuisse factum, quod versibus quinque sequentibus amplius exponitur. Est igitur facilis hujus loci utriusque accommodatio. Ac de posteriore quidem, quia fusior exstat Lucæ 3. in eum locum rejecturi sumus. De priore videamus. Omnino duplex illius afferri potest interpretatio. Una, quæ angeli vel nuncii appellationem accipit syllepticè, pro nunciis & prophetis omnibus, quos Deus inde ab illo tempore in Ecclesia sua excitavit. Altera; quæ propriè & singulariter de uno aliquo Propheta explicat. Priorem Judæi quidam attulerunt; etsi alii videntes infirmiorem esse, coacti sunt ad singularem unum aliquem Prophetam referre, puta eum qui posteà ornatur nomine Eliæ, sub finem ejusdem prophetie. Ad eam verò convellandam nihil multis opus est. Nam etsi nomen Angeli vel nuncii per se generale est; ea tamen est, adeóque turpis fallacia divisionis (ut vocant) ut non indigeat confutationis. Nam primùm singulare aliquod tempus definitur, quum dicit Deus, *Ecce ego*, &c. Secundò, singularis actio, non autem communis Prophetarum omnium; quum dicit,

dicit, *Expediet viam ante me*: Tertiò, personæ Christi ad Ecclesiam suam venientis circumscriptio, quum dicit, *Repente veniet in templum suum Dominus quem quæritis*: Neque persona Patris, aut Spiritus Sancti; sed persona Filii, cujus notationem continent sequentia verba, *Angelus federis, quo vos delectamini*, &c. Postremò, finis capitis hoc planè postulat: quod Judæi ipsi quamvis a Christo alienissimi, animadverterunt. Restat igitur ut illa Prophetæ verba de uno aliquo explicemus. Cùm autem indè a temporibus Malachiæ illius nemo Propheta exstiterit fermè in adventum usque Christi; & nemo, nisi Christus Deus patefactus in carne, Dominus ille dici possit, ante cujus faciem Propheta ambulaverit, paraturus vias illius: denique nihil horum de aliis personis aut temporibus demonstrari possit: justissimam esse hujus Euangeliographi & aliorum accommodationem statuimus; qua Christus confirmatur ille Dominus esse, & Joannes Baptista ille anteambulo de quo Prophetæ olim uno ore prophetaverant.

PARALLELUS LI.

Marci 1.

44 Vade, ostende teipsum sacerdoti, & offer pro purgatione tui, quæ imperavit Moses, ut hoc sit eis testimonio.

Ritus ceremonialis hujus institutio finem hunc summum habuit; ut post legitimam cognitionem a Sacerdotibus & Ecclesia Dei habitam, solennis professio palam ederetur de curatione à Deo præstita, & gratiæ Deo agerentur. Hanc institutionem voluit servari Christus, ut ea ratione Sacerdotibus testatam faceret curationem à se, velut Deo in carne patefacto, præstitam; & toti Ecclesiæ materiam exhiberet gratias agendi de accepto singulari hoc beneficio. Quod igitur mystico & sacramentali modo fieri lex præcipiebat, ad veritatem gratiæ divinæ prædicandam; idem fieri ex lege imperavit Christus, ad demonstrandam veritatem gratiæ suæ, & hujus gratiæ hostes sacerdotes ampliùs convincendos. Ac proinde quod in lege historicè imperatur ad typicam vel sacramentalem significationem, idem hoc loco narratur factum historicè ad testificandum veritatem Christi.

Marci 2.24. Ex Davidis historia sumta argumentatio, fuit explicata in Matthæi 12.

Marci 4.12. Esaiæ locus fuit explicatus in Matth. 13.

Marci 7.10. Mosis loci fuerunt explicati in Matth. 15.

Marci 9.12. Malachiæ locus explicatus est in Matth. 17.

PARALLELUS LII.

Levit. 2.	*Marci 9.*
13 *Omnem oblationem muneris tui sale salito, neque cessare finito salem federis Dei tui a munere tuo: cum omni oblatione tua offerto salem.*	49 Omnis oblatio sale salietur.

Etsi hic non adducit Christus disertis verbis locum illum Legis, unde hæc desumta sunt, cùm tamen ex instituto Legis à Mose con-

scriptæ petita sint, visum est necessarium ut ἐκ παραλλήλων institueremus hanc locorum comparationem. Finem autem hujus institutionis adeò perspicuè demonstrat Moses, ut nemini dubius esse possit: nempe ut profiteantur homines se in federe Dei constanter permanere. Quem eumdem finem à Christo hoc loco servari, paulò pòst demóstrabimus in ipsius accommodatione. Summa verò est, ex quo homines gratiosè in Dei fedus recepti sunt, teneri eos constanter atque incorruptè in eodem federe permanere: ipsum sanctissimè colere in seipsis, ac sese ab omni vitio (quod cum federe pugnat) tanta religione integros conservare, quantam adhibere solent, qui carnem aut aliud quippiam infestum putredine condiunt, & sale injecto ab ea vindicant. Nam pium hominem in Christo sanctam esse victimam vel oblationē; fedus autem Christi salem esse, quo pius quisque cōstantissimè permanet à corruptione & interitu vindicatus. Huc autem spectare Christum ut perspicuè demonstremus, videnda est hujus sermonis accommodatio. Hæc fuit hypothesis, quam discipuli proposuerunt Christo: fuisse quendam, per nomen Christi ejicientem dæmonia, qui non sequeretur ipsum, visum itaque fuisse discipulis, ut prohiberent ipsum. Respondit Christus, eum prohiberi non oportere. Ratio, nam qui non est contra nos, pro nobis est: hoc est, qui nō adversatur federi Dei, cujus mediator est Christus, is neque a Christo, neque a federe alienus habendus est: sed potiùs ex federe alendus est in federe omnibus pietatis & humanitatis officiis. Hanc propositionem enarrat Christus inde a versu 41. per oppositionem quàm familiarissimam officiorum atque eventorum, quæ ferè ex officiis illis præstitis aut negatis consequuntura sunt. Ac præstitorum quidem officiorum adeóque minimi cujusque officii, ut (exempli causa) si quis poculum aquæ dederit in nomine Christi, eventum declarat Christus vers. 41. His verbis, *Amen dico vobis nequaquam perdiderit mercedem suam.* Non præstitorum verò officiorum qui eventus futurus sit, exponit primùm quidem generaliter versu 42. deinde verò speciatim, posita nonnullarum corporis partium, quæ certa officia ministrare debent singulæ, enumeratione: ut sunt manus, pes, oculus, versu 43. & sequentibus. Duplex autem eventus in posteriore hoc genere ponitur: quorum unus imperatur; alter denunciatur, nisi imperatum fiat. Imperatur enim, ut, quicquid offendit, abscindatur, hoc est, tanta religione abstineant pii ab omni offendiculo, ut quodvis potiùs damnum sive corporis sive membri ultrò subeant, quàm committant ut ulli parvulo offensioni sint; & si quando ipsos titillaverit ullius rei, quæ offendere potest, studium vel cogitatio, id perinde a se abjiciant, atque si res illa igni traderetur. Denunciatur verò, nisi hoc pii præstiterint, futurum esse, ut cum suis illis offendiculis & offensionum instrumentis in ignem æternum detrudantur, quicunque res illas tradere igni noluerint. Hujus rei ætiologia versu 49. affertur in utramque partem; idque adhibita per-quàm elegante metaphora in saliendi verbo. Quum enim dicitur, *omnis homo salietur igne*, sive (ut Syrus & Arabs vertunt) *omnis res salietur igne*; horum verborum sensus est judicio meo, non posse aliter fieri ut homo a putredine offendiculorum vindicetur, quàm si ipse resecuerit & amoverit a se quicquid est ipsi vitio & aliis offensioni; & quidem ita amoverit, ut si candente ferro aut igne adhibito repente cōsumeret quicquid sentit adesse vitiosum. Quo facto ita est homo, ac si resecta putredine salitus esset, ne amplius

ab

ab ea, veluti gangrena quadā depascatur. Quum autem dicitur, *Omnis oblatio salietur sale*, hæc demum sententia plana videtur esse, quam antè attulimus, nempe hominem quemvis pium victimam esse Deo gratam, & conditam sale in fœdere ipsius. Sed hoc ipsi imprimis videndum esse, ut tanquam igne a se rescindat vitium, si cujus est conscius cum animo suo, ut ab eo repurgatus, hostia sancta, accepta, & grata Deo esse possit. Et huic interpretationi optimè convenit illa argumentatio & exhortationis locus, quo Christus utitur sequente versu.

Marci 10. 4. & sequentibus. Mosis loci fuerunt explicati in Matthæi 5.

Marci 10.19. De hoc diximus in Matthæi 19.
Marci 11. 9. De his Phophetæ verbis in Matthæi 21.
Marci 11.17. De his diximus in Matth.21.
Marci 12.10. De his diximus in Matth.21.
Marci 12.19. De hoc Mosis loco diximus in Matth.22.
Marci 12.26. & 29. & 36. De his diximus in Matth.22.
Marci 13.14. De hoc diximus in Matth.24.
Marci 14.21. & 49. De his in Euangelium Johannis dicturi sumus.
Marci 14.27. De hoc Zachariæ loco diximus in Matthæi 26.

PARALLELUS LIII.

Esa.53.	*Marci* 15.
12 *Et cum iniquis numeratus est.*	28 Et impleta est Scriptura quæ dicit, Et cum iniquis numeratus est.

QUemadmodum Esaiæ Prophetæ hæc verba scribenti ex Spiritus divini testimonio hic finis fuit propositus, ut narraret perpessiones Christi, & beneficia ex eis ad corpus ipsius perventura, quibus etiam convenientissimè sua quædam signa per Prophetam fuerunt addita: sic non dubitamus, quin Marcus hoc loco historicè doceat hanc certissimam esse illius prophetiæ consummationem, quam iisdem verbis Esaias prænunciaverat. Est autem summa illius loci apud Esaiam, Jesum Christum multos cohæredes sibi comparaturum esse, facta redemtione nostri per mortem crucis, & deletis peccatis nostris per intercessionem ipsius. Cujus rei signum illud futurum sit, quòd idem homo, qui justus est & justus pronunciatus sententia judicis, fuerit perpessurus in numero criminosorum; prout factum esse narrat evidentissimè historia Euangelica. Itaque non est obscura hujus loci accommodatio. Sed quia de totius illius capitis intelligentia & fine, certo consilio agitur Actor.8.32. & seq. præstat ut ampliorem capitis illius interpretationem in locum illum differamus.

Marci 15.34. De illo Davidis loco in Matthæi 27. diximus.

Ex

EX EUANGELIO LUCÆ.

PARALLELUS LIIII.

Psal.132.
17 *Ibi faciam ut floreat cornu Davidis, aptans lucernam Christo meo.*
18 *Inimicos ejus induam pudore; super ipsum vero florebit coronamentum ipsius.*

Luc.1.
69 Erexit cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui,
70 Prout loquutus est per os sanctorum, qui a seculo fuerunt Prophetarum suorum,
71 Salutem ab inimicis nostris, & à manu omnium qui oderunt nos.

ETsi totum hoc Zachariç canticum fermè verbum de verbo transscriptum est ex variis Prophetarum locis: cum tamen aut ipsi per se plani sint, aut ex professo minimè adducantur; non videtur necessarium esse, ut cum singulis ipsius vocibus singulos etiam comparemus Prophetarum locos. Hic verò locus (cui alii quoque iisdem fermè verbis & eodem sensu conjungi possent) inter alios fuit adducendus; quia mihi quidem non dubium est, quin ad eumdem locum Zacharias respexerit. Finis autem utrobique est, ut Ecclesia doceatur de virtute salutari, quam habet in Christo, & freta spe illius in Deo conquiescat. Summa est, Deum Patrem, quo tempore statuit invisere & redimere populum suum a peccatis ipsius, excitavisse Jesum Christum ex semine Davidis; ut veluti cornu salutari, hoc est, divina virtute illius salutem æternam suis comparet, eósque in libertatem asserat adversus omnia impedimenta, eóque fruantur çterna illius misericordia, & profiteantur eam ad gloriam ipsius. Ac primum quidem est, quòd cornu salutis & gloriæ Deus excitavisse dicitur in Jesu Christo; quod Propheta 17. versu metaphora duplice innuit; virtutem salutarem, cornu; gloriam verò, lucernæ nomine appellans, quam lucernam Deus aptavit in filio dilectionis suæ. Secundum verò est, quòd ex illa virtute gloriáq; Christi, proficiscitur liberatio & salus membrorum ejus, conjuncta pudore & confusione stupenda hostium; quam partem Propheta his verbis innuit, *Inimicos ejus induam pudore*, &c. Utrumque verò eodem ordine hic a Zacharia planè contexitur. Primùm enim virtutem gloriosam Dei in Christo his verbis prædicat, *Excitavit cornu salutis nobis*, &c. deinde autem effectum illius per appositionem (ut vocant Grammatici) velut inseparabilem a virtute Christi enunciat illis, *Excitavit salutem ab inimicis nostris*, &c. nempe ab efficiente causa minimè impedita & nunquam interquiescente concludens effectum illius, certissima & indubitata argumentatione; ut contra ab effectu, quem Deus exseruit in Ecclesia sua, Micheas Propheta transcendit ad efficientem causam; & effectum hunc confirmat in Ecclesia fore constantissimum, contemplatione efficientis causæ, sub finem capitis 4. 8. principium 5.

PARALLELUS LV.

Malach. 3.
20 *Exorietur vobis, ô timentes nominis mei, sol justitiæ, cum curatione in alis ipsius: & procedetis, augescetisque ut vituli saginarii.*
Esa. 9.
2 *Populus sedens in tenebris*, &c.

Luc. 1.
78 Propter viscera misericordiæ Dei nostri quibus invisit nos oriens ex alto:
79 Ut appareat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

ANtequam de constitutione horum locorum dicimus sententiam nostram, de justa vocis, ἀνατολὴ, interpretatione afferri pauca necesse est. Duplex igitur exstat hujus vocis interpretatio, utraque metaphoricè ad Christum pertinens. Prior est sumta a similitudine herbarum, plantarum, aut germinum enascentium. Nam dicuntur hæc omnia ἀνατεῖλαι, pro eo quod est exoriri vel efflorescere; quod posterius magis Hesychius probat. Ex eo ductum nomen ἀνατολὴν, plerique putant designare germen erumpens primùm, & efferens se e radice sua. Posterior verò sumitur a simili orientis solis; cui propium esse verbum ἀνατέλλειν, ut aliis stellis sideribusque ἐπιτέλλειν, volunt Grammatici. Ex eo igitur ductum est nomen ἀνατολὴ, propriè quidem ortum, id est, orientis solis actionem, vel regionem etiam, metonymicè verò orientem ipsum solem significans; etsi fortasse non minùs apposita fuerit & conveniens hujus loci interpretatio, si adjunctas voces istas, ἐξ ὕψους, determinationis causa (ut loquuntur) dixeris cum voce ἀνατολῆς conjungendas esse; non autem cum antecedente verbo, ἐπεσκέψατο, construendas. Est enim ἀνατέλλειν apud Græcos non solùm exoriri, verumetiam τὸ ἀναλάμπειν, sive τὸ μεσημβριάζειν καὶ ἐπὶ κεφαλῆς ἱστᾶναι, quod Aegyptii dixerunt μεσουρανεῖν. Quum itaque sol duobus modis dicatur ἀνατέλλειν, tum in ipso ortu apparens cum prima luce, tum in meridie e summo cœlo collustrans omnia in robore suo, ut Scriptura sacra loquitur; fortasse ἀνατολὴ ἐξ ὕψους conjunctè appellatur (ut mihi quidem videtur) meridiana illa & potentissima illustratio, qua sol perlustrat terras; ut ἀπὸ τῆς ἕω ἀνατολῆς, id est, a primo ipsius ortu, orientem versus, commodè distinguatur. Jam verò utra interpretatio magis ad hunc locum videatur pertinere, demonstremus paucis. Ut simile à plantis sumtum esse videatur, efficiunt ista; primum verba ἀνατέλλειν usus; secundò locorum in quibus Christus appellatur germen, comparatio: tertiò Græcorum (ut putantur) septuaginta interpretatio. Verùm (ut paucis quod sentio explicem, cum bona omnium pace) non videtur ea consequutio necessaria esse, quæ ex verbi unius recepto usu adstruit eamdem conjugati nominis significationem; præsertim cùm illud apud Grammaticos Græcos in confesso sit, nomen ἀνατολῆς in probatis authoribus non exstare ea significatione. Deinde nec illud necessarium est, ut de germine hoc loco accipiatur; quia germen Christus a Jeremia & Zacharia dicitur: Nam idem quoque in Scriptura appellatur sol, & lux, &c. Postremò nec illud necessitatem habet, si eos locos ita verterunt Greci LXX. illi, ab eis petendam, & quidem ex iisdem locis, hujus quoq; loci interpretationem. Nam primùm neque illud constat, utrùm

utrùm a ſeptuaginta illis profecta ſit ea quam habemus interpretatio: hoc enim evidentibus documentis non paucis ex Teſtamento Novo convelli poteſt. Deindè verò, ut illud conſtet, hoc propterea non obtinebitur, ex illis locis huc afferri explicationem oportere. Quamobrem miſſis locorum, qui aliunde cõportati poſſunt, comparationibus, ſtatuimus id magis videndum eſſe; ut ex hoc ipſo loco & adjunctis hujus ambigui nominis, de interpretatione ipſius judicetur. Omnino autẽ, cùm hoc ipſum genus allegoriç quod a Zacharia hoc verſu ponitur, tum antecedentia & ſequentia quæ ad argumentum hoc pertinent, videntur flagitare, ut ex poſteriori ſimili ducatur interpretatio. Nam ſive orientis ſolis, ſive meridiani ſignificationem amplectamur, de quib. modò dicebamus; is ſanè deſuper inſpicere & res terrenas perluſtrare dicitur: Quod loquendi genus, non niſi corrupta dignitate hujus allegoriæ, ex hoc loco extrudi poteſt. Deinde verò, ſi ad antecedentia reſpicimus, non eſt dubiũ, quin Joannes Baptiſta cum Lucifero vel matutina ſtella cõparetur, quum dixit Zacharias oratione cõverſa ad Baptiſtã filium, *Præibis ante faciem Domini, paraturus vias ejus, ut des cognitionem ſalutis populo ejus obventuræ per remiſſionem peccatorũ*, &c. Tanquam ſi diceret, Ut a natura ſtella matutina ſoli; ſic Chriſto Soli juſtitiç Ioannem Baptiſtã prçcurſũ, ut ex illius indicio & præeunte ſignificatione populus Dei doceatur, & cognoſcat Chriſtũ. Poſtremò tam evidens eſt ſequentis verſus cum hac interpretatione cõvenientia, ut non dubitemus eam, velut juſtam ac neceſſariam, alteri anteponere. Nam Zacharias alterũ Eſaiç locum de induſtria copulans cum illo Prophetç; quem in diagrammate noſtro poſuimus, his verbis utitur; *ut supernè luceat iis qui in tenebris & umbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*. Quç verba Matthæus cap. 4. de induſtria adduxerat, utens verbo ἀνέτειλεν; ut demonſtraret hoc ipſum eſſe promiſſionũ Dei complementum quod Zacharias Baptiſtç pater accumulatis variis Prophetarum locis hic deſignatum voluit. Reſtat, ut de accõmodatione diagrammatis noſtri videamus. Primùm igitur varios ſcripturç locos in unum contrahi res ipſa loquitur: & ex diagrammate fit maniſeſtiſſimũ. Nam poſteriora mẽbra Eſaiæ ſunt, priora Malachiç. Sed hoc ampliùs teneri opus eſt, ita a Zacharia adduci verba Malachiæ, ut maxima pars capitis tertii in ſummã quamdam hac apoſtrophe ad Ioannem Baptiſtam contrahatur. Nam illa verba, *Tu verò puerule, Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim*, &c. ad principium capitis tertii reſpiciunt, ubi dicebat Malachias, *Ecce ego miſſurus ſum Angelum meum*, &c. Illa quoque, *ut des cognitionem ſalutis*, &c. reſpiciunt ad finem ejuſdem capitis: *Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliã Prophetam, antequam dies Jehovæ adveniat maximus & reverendus, ut convertat cor patrum ad filios*, &c. Similiter illa, *Propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri*, depromta ſunt ex verſu 16. & ſequentib. ejuſdem capitis. *Tunc timentes Jehovæ, qui frequenter prædicant alter apud alterum*. &c. Illa denique, *quibus inviſit nos oriens ex alto*, procul dubio ex verſu 20. ejuſdem capitis tranſlata ſunt, quamvis commutatis verbis, ut in diagrammate poſuimus; & ultima verba ſequentis verſus, *ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*, ſummatim complectuntur quod pluribus expoſuit Malachias, *in alis ſolis Chriſti, Solis juſtitiæ, curationem fore: Timentes Dei proceſſuros & aucturos tanquam vitulos ſaginarios: Deniq. fore ut ita conculcent improbos, ut efficiantur tanquam cinis ſub plantis pedum ipſorum*. Sic ergo, judicio meo, juſta & neceſſaria eſt pariter horum locorum inter ſe cõparatio.

PARAL-

Parallelus LVI.

Exod. 13.

2 *Consecra mihi omne primogenitum quicquid aperit vulvam in filiis Israëlis*, &c.

Levit. 12.

8 *Quòd si non assequatur manus ejus quantum satis est ad parvam pecudem, accipito duos turtures, aut duos pullos columbæ* &c.

Luc. 2.

22 Et quum impleti fuissent dies purgationis Mariç secundùm legem Mosis; adduxerunt Christum Hierosolyma, sisturi eum domino:

23 Prout scriptum est in Lege Domini, Omnis mas primogenitus, sanctus Domino vocabitur;

24 Et ut darent oblationem secundum id quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Utriusque loci finis est, ut cum Mariam virginem θεοτόκον, tum hominem Christum fuisse Legi subjectos intelligamus, ac proinde quod Lex imperat religiosè præstitisse. Summa, Cùm Lex Dei jam olim imperaverit, ut puerperæ certo & constituto tempore à fluxu sanguinis sui expiarentur legitima quadam ceremonia, & primogenitos suos, tanquam emancipatos a se exhiberent sanctificarentque Domino, utrumq; ritè a Maria Christi matre fuisse observatum. Ac de ceremonialis quidem mandati observatione disertis verbis divinç Legis confirmata, testem habemus locupletissimum Lucam, quum ait parentes Christum adduxisse Jerosolyma, ut sisterent eum Domino: prout scriptum est in Lege domini, &c. & ut darent oblationem secundum id quod dictum est in Lege Domini, &c. Itaque verissima est utriusque loci accommodatio, prout verũ & sanctum fuit obsequium in hac ceremoniali observatione. In priore tamen loco duplex videtur esse mutatio: Una, quòd maris vel masculi nomen adjicitur: Altera, quòd primogeniti nomen a Luca omittitur. Horum expedita est ratio. Nam appellationem maris ex Mosis interpretatione assumit Lucas; qui pro eo quod Deus indixerat, Consecra mihi omne primogenitum, &c. idem Exod. 13. 12.
populo verbis Dei imperans sic eloquutus est, Ut emancipes quicquid aperit vulvam, Jehovæ: etiam quicunque aperuerit vulvam, fœtus jumentorum eorum quæ tua erunt, masculos Jehovæ. Nomen verò primogeniti a Luca omissum esse nemo mirabitur, qui illud loquutionis genus διανοῖγον μήτραν ad determinationem primogeniti animadverterit pertinere. Cum enim primogeniti appellatio apud Hebræos non solùm de homine aut animantibus; sed etiam de rebus inanimatis promiscuè soleat enunciari, & metaphoricè quoque non rarò usurpari; commodè visum est Spiritui sancto in hoc loco eam loquutionem retinere, quæ non solum primogenitum notat; verumetiam restringit & circumscribit propriam significationem illius, ut lex ipsa disertè caverat. Hic verò duplex nascitur quæstio; una, quid attinuerit Christum sisti Domino? Altera, quid Mariam oblationem dare suæ purgationis nomine, secundùm legem Mosis? Ad priorem hoc modo respondemus paucis. Christus æternus Dei filius secundum naturam unigenitus, ad communicationem verò gratiç & redemptionem nostram primogenitus, omni tempore sanctus fuit Domino: ab æterno quidem,

dem, quâ Deus est: a conceptionis verò momento, quâ caro factus est. Quamobrem nihil attinuit, ut propter se sisteretur Domino, qui secundum essentiam Deus unus & idem est cum Patre & Spiritu sancto: secundùm personam verò, æternus Patris æterni filius. Necesse ergo est, ut qui puer nobis datus est, & homo factus propter nos homines: idem propter nos fuerit Deo & Patri consecratus secundùm Legis ceremoniam. Consecrari autem, vel sanctificari in Scripturis quæcunque dicuntur, aut reipsa, aut institutione, aut Sa-
1 cramento denique consecrantur. Reipsa consecrantur alia κατὰ γένεσιν,
2 quum verè efficiuntur sancta per Dei gratiam: alia κατὰ φανέρωσιν,
quum ea, quæ verè sancta sunt, ita se habere, ut sunt, demonstrantur.
3 Institutione consecrantur alia κατ' ἐπιταγὴν καὶ ἐπαγγελίαν, mandato & promissione vel benedictione Dei; ut dies Sabbathi, & similia: alia κατὰ παραγγελίαν, ut quum jubentur homines sese sanctificare vel consecrare. Quo sensu accipiendus est ille Mosis locus, quem in diagram-
4 mate ex capite 13. Exodi adduximus. Sacramento denique consecrantur alia absolutè sacramento-tenus, ut veteres loquuti sunt: alia relatè, id est, non solùm significatione; sed etiam significatæ rei veritate. Iam quibus modis Christus, primogenitus, Deo sanctificatus fuerit videamus. Reipsa fuisse sanctificatum, qui sanctus est & ipsa sanctitas, propriè dici non potest; nisi κατὰ φανέρωσιν. Sic enim Christus factus sub Lege, sanctus esse Deo commodè dicitur, & sanctificatus ex mandato Legis. Alioqui κατὰ γένεσιν fieri sanctus ampliùs non potuit, qui κατὰ γένεσιν est ipsa sanctitas. Institutione Christum sanctificari, non sua causa, sed nostra oportuit, ex mandato & promissione Dei; ut noster primogenitus, ac proinde Sacerdos noster esset, abrogato Levitarum sacerdotio. Sacramento denique consecrari Christum oportuit, quamvis ipse sit Sacramentorum veritas; Primùm ut Legi obsequeretur homo sub Lege factus: secundò, ut Sacramentum Legis sanctificaret in persona sua, ut qui finis est & complementum Legis: postremò, ut sacramenti ejusdem apud Veteres observati minister esset, hoc est, ut legale illud Sacramentum in Patribus, qui sub Lege vixerant sanctificaret; quemadmodum loquutus est Apostolus ad Rom. 15. de circumcisione patrum. Sequitur ergo sanctificationem illam
5 magis nostra, quam ipsius causa fuisse factam. Alterius quæstionis, quid virginem θεοτόκον opus fuerit purgatione uti, & dare oblationem secundùm legem Domini? facilis est explicatio. Nam in Lege Mosis nusquam dicitur propter peccatum, sive originale, sive actuale (ut vocant) sive ipsum denique concubitum viri, mulierem teneri oblatione hac quam Lex imperavit; sed tantùm propter fluxum separationis suæ ut Scriptura loquitur, id est, propter immunditiam ceremonialem, quam ex profluvio sanguinis, quamvis naturali, contraxit mulier; sive profluvium illud fuerit ordinarium, quod appellant menses; sive extraordinarium ex partu. Cùm itaque immunditia hæc fuerit per ceremoniam indicta lege, non peccati donotandi ergô; sed infirmitatis, sordiúmque naturalium (quarum genus est infirmitas, non autem peccatum:) omnino sequitur hanc oblationem purgationis ergô imperatam, non esse peccati; sed infirmitatis, ex qua secundùm ceremonialem legem mulieres non quidem peccati, sed reatus ex immunditia, citra rationem peccati, tenebantur. Quemadmodum igitur pubescentes virgines ex naturæ infirmitate, citra ullam

aut

aut peccati, aut etiam concubitus contemplationem, fuerunt immunditiæ hujus participes, ac propterea ex Lege ad separationem (ut Moses vocat) servandam tenebantur: sic etiam virginem sanctissimam, Jesu Christi matrem, ex naturæ lege hac infirmitate profluvióque tum menstruo, tum etiam extraordinario post partum Christi non dubitamus laborasse: Ideóque ritu legitimo in separatione fuisse, eámque religiosè observasse, ut obsequeretur Legi. Fuit ergò purgatio hæc non expiatio peccati, sed immunditiæ ceremonialis: cujus immunditiæ virgo ita fuit apud se conscia, ut fide optima sese ab ea purgare teneretur ceremoniali observatione: nec nisi protervè ab ea Lege eximere sese potuerit, quam Legem Dominus propter immunditiam, non propter peccatum sanciverat. Nam ubique in purgationis hujus institutione, immunditia puerperarum cum septemdiali & menstrua immunditia comparatur, & in eadem conditione censetur Lege. Sic enim Moses inquit, *ut immunda esse solet septem dies, secundùm dies, quibus separatur languore suo, immunda esto:* & sic deinceps. Exod.13.12.

PARALLELUS LVII.

Luc.2.

30 Salutem tuam,
31 Quam parasti in oculis omnium populorum;
32 Lumen ad revelationem præbendam gentibus, & gloriam populi tui Israëlis.

HAEC omnia, etsi quàm plurimis Scripturæ locis occurrunt, & alia alibi; tamen certissimum est ex 49. cap. Esaiæ depromta esse, ubi hæc eadem de Christo propriis & disertis verbis enunciantur; nec opus habent explicatione.

PARALLELUS LVIII.

Esa.8.	Luc.2.
14 *Erit sanctificationi vobis: in lapidem verò allisionis & in rupem offensionis, ambabus domibus Israëlis, in laqueum & in tendiculam habitanti Jerosolyma.* 15 *Et offendent ex eis multi, qui corruentes confringentur, & illaqueati capientur.*	34 Ecce positus est iste in casum, & resurrectionem multorum in Israële, & in signum cui contradicatur.

FInis utriusque loci communis est, ut eventa ex priore Christi adventu & prædicatione Euangelii consequutura exponantur in Ecclesia Dei, & apud omnes bonos constent ad piorum confirmationem: Summa, Duo fore eventa præsentiæ Christi & prædicationis Euangelii, pro ratione puta eorum objectorum, quibus futurum est ut exhibeatur per Euangelium Christus: nempe impiorum casum, & electorum resurrectionem. Accommodatio verò certissima est, quum

idem planè ab Esaia & Simeone prædicetur. Etsi aliqua in speciem est hic mutatio. Nam primùm ordo sermonis inversus est, cùm hic antè casus nominetur vel ruina impiorum, quàm electorum ad salutem resurrectio. Secundò, pro eo quod Esaias illum *sanctificationi futurum* dicit, Simeon aliter enunciavit per metalepsin, dicens *fore Christum in resurrectionem multorum*. Nam resurrectionis, id est, restitutionis nostræ in Christo & regenerationis consequens est fructus sanctificatio: aut, si resurrectionem pro tota piorum in Christo informatione acceperis, pars futura est sanctificatio. Tertiò, quòd Simeon Christum fore in casum dicit, eo brevitatis causa comprehendit sequentia omnia, quæ in nostro diagrammate ex Esaia adducta sunt. Quæ mutatio tantum abest ut de veritate detrahat, ut contrà eorum omnium commodissimum sit interpretamentum. Quemadmodum etiam postremum illud membrum, *fore in signum cui contradicatur*, id ex eodem loco desumtum est tertio pòst versu, quum sic ait Christus, *Ecce me & natos quos dedit mihi Jehova, in signa & in ostenta*, &c. Sic omnibus inter se convenit appositissimè. At videtur difficilis esse hujus loci accommodatio, dixerit quispiam: Imò verò, dixerit Judæus, falsa & aliena est. Respondeo, nec falsa aut aliena est, nec difficilis accommodatio, si quis ad Esaiæ locum animum adverterit. Nam quicquid in eo capite inde a promissione versu decimo continetur, id totum de Christo accipi necesse est; prout Esaias ipse demonstrat evidentissimè. Postquam enim descripsit Propheta calamitates Judæam pervasuras, quæ terra Immanuelis appellatur; ad promissionem gratiosam salutis Dei populum Propheta revocat, gloriosa in hostes prædicatione, dicens, *Consociamini, ô populi*, &c. versu 9. deinde versu 10. *Inite consilium, & irritum fiet; loquimini verbum, & non exsistet; sed Immanuelis.* Postea verò Deus Pater verbum Immanuelis suo Prophetæ tradens, & confirmans eum adversus communem depravationem populi, his verbis admonet: *Ne dicatis, conjuratio; neque timorem populi istius timeatis*, versu 12. sed potiùs è contrario *Jehovam exercituum*, id est, Jesum Christum Angelum foederis & exercituum Principem (ut in libro Josue appellatur) timentes eum & expavescentes ab eo. Tum demum huic mandato promissio illa subjicitur, *Et erit sanctificationi vobis, &c.* ut in diagrammate posuimus. Hæc certè cùm a Jehova prædicentur, & quidem de eo qui Immanuel & Jehova appellatur; nulla ratione, ac ne specie quidem rationis a Christo abjudicari possunt, & in aliam eámque violentam interpretationem abripi. De cæteris quæ ad postrema Simeonis verba pertinent; proprio suo loco, id est, in caput secundum Epist. ad Hebræos, volente Domino, dicturi sumus.

PARALLELUS LIX.

Esa. 40.

3 *Vox clamantis, in deserto parate viam Jehovæ, complanate in solitudine aggestum iter Deo nostro.*

4 *Omnis vallis attolletur, & omnis mons collisque deprimentur, eritque rectum id quod incurvum est, &*

Luc. 3.

4 Vox clamantis, in deserto parate viam Domini, rectas efficite semitas illius.

5 Omnis vallis implebitur, & omnis mons ac collis deprimetur, & quæ curva sunt fient via recta, & *salebrosa*

salebrosa in viam planam commutabuntur:

5 *Revelabiturq; gloria Jehovæ, ac videbunt omnis caro pariter* ipsam. *Nam os Jehovæ loquutum est.*

asperæ viæ efficientur planæ:

6 Videbitque omnis caro gloriam salutarem Dei.

FInis horum locorum communis est, ut in Ecclesia constet certò de adventu Christi, ex antecedente legato sive nuncio ipsius, & legationis argumento. Id tantùm interest; quòd Esaias futurum prænunciavit, Euangelistæ annunciant factum. Summa, Johannem Baptistam Zachariæ & Elizabethæ filium ex vocatione prædicasse baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum per fidem in Christum, qui ponè sequebatur ipsum; ut per Esaiam diligentissimè fuerat prænunciatum. Nam Johannes Baptista is ipse est, qui ratione officii *vox clamantis* appellatur: baptismum resipiscentiæ in Christo significaverunt illa, *in deserto parate viam Domini*, &c. Remissionem peccatorum per fidem in illum, demonstrat allegoricè totus versus Esaiæ quartus & quintus eodem loco. Quæ omnia simul hic ab Euangelista in pauciora verba contrahuntur. Mutationum itaque facilis est ratio. Primùm enim quòd in omnibus Testamenti Novi locis ponitur distinctio post *deserti* nomen; id jam diu monuimus in Esaiam, ex Hebræi contextus fide & membri sequentis comparatione mutandum esse; & distinctionem post participium *clamantis* restitui oportere. Deinde quòd sequente versu horum verborum loco, *Omnis vallis attolletur*, Lucas exponit *implebitur*, ἐξηγητικόν est. Denique versus quinti argumentum paucioribus a Luca exprimitur, quum pro *gloria Jehovæ se revelatura*, ut ab omni carne videatur; hæc verba tantùm substituit Lucas, *Videbitque omnis caro σωτήριον Dei*: quam vocem propterea, ut evidentiùs exponeremus & citra homonymiam, interpretati sumus *salutarem gloriam*. Omnia igitur eòdem pertinent. Sed Judæi obganniunt, & alii veritatis hostes; non posse illum Esaiæ locum de hoc argumento accipi. Id verò falsum esse, & veritati divini verbi repugnare, non solùm Euangelistas testes appellamus, & Baptistam ipsum, Johannis 1.23. sed illum ipsum Esaiam in toto illo argumento. Primùm enim declarat Esaias versu 2. eam prophetiam quam dicturus est ad populi sancti, id est, Ecclesiæ consolationem, propriam esse illius temporis; quum tempus populi Dei fuerit completum, & exsoluta ejus iniquitas, quum acceperit e manu Jehovæ duplum pro omnibus peccatis suis. Id autem præfinitum tempus non fuisse completum revertentibus Judæis ex Babylonia, pluribus in locis pronunciat Daniel, cujus lucem tenebræ Judæorum non possunt depellere. Secundò, illi tempori tribuitur adventus Jehovæ & Dei nostri gloriam suam revelaturi, & seipsum patefacturi in carne, ut a carne spectari possit. Tertiò, argumentum Euangelii & tota administratio prædicitur; nempe de Christo exhibito, & illius officio tum contra sceleratos & impios Euangelio adversantes, tum erga pios omnes, qui ductui Servatoris sui sese commiserint, versu 9.10.& 11. Postremò, ne argutiores quidem & peritiores Judæi interpretationem hanc subvertere omnino potuerunt; sed vi vehementiáque veritatis fracti, agnoverunt in hoc loco esse quæ ad Messiam referre cogerentur: quamvis alioqui in id unicè contenderint, ut

singula verba, quamvis evidentissima, a persona Christi & temporibus Euangelii ad populum Judæorum & reversionem ex Babylonia detorquerent.

PARALLELUS LX.

1. Chron. 3.	Luc. 3.
17 *Filii autem Jechoniæ vincti, Salathiel filius ejus*, &c.	27 Qui *filius* fuit Johannæ, qui fuit Rhesæ, qui fuit Zorobabelis, qui fuit Salathielis, qui fuit Neri:
Gen. 10.	35 Qui fuit *filius* Heber, qui fuit Sale,
24 *Arphacsad verò genuit Sale, & Sale genuit Heber.*	36 Qui fuit Kaïnan, qui fuit Arphaxad, &c.

PRiorem locum de Salathielis genere jam antè in Parallelo tertio explicavimus. De posteriore ergo videamus. Finis utrobique est, ut sancti generis recensione fides & veritas Dei ostendatur in præstandis promissionibus, quarum fuit complementum Christus; velut semen benedictum huic generi promissum. Summa, Christum semen ex ea gente prognatum esse, cui promissiones fuerant a Deo factæ; ac proinde hac recensione gentis demonstrari non alium Messiam haberi aut dici oportere, quàm eum, cujus historiam Euangelistæ nobis tradiderunt. Sed in horum locorum comparatione non obscura esse ἀντιλογία videtur vulgo; quum Moses ex Arphaxad genitum fuisse Sale docuerit; Lucas verò fuisse Cainanem ex eo prognatum, & ex Cainane genitum fuisse Sale, velut nepotem Arphaxadi patris. Ad hujus loci interpretationem triplex (si bene memini) solutio hactenus
1. allata est. Prima, non fuisse à Luca adscriptum hoc loco Cainanis nomen, sed librariorum sive audacia, sive imperitia interjectum. Secun-
2. da, hæc inter se minimè pugnare; quia nepos in Scriptura filius appellatur avi, & ab avo suo genitus dicitur; nimirum mediante (ut loquuntur) patre: ac proinde commodè a Luca fuisse patrem interpositum, quem brevitatis causa Moses in historia sua omiserit. Tertia,
3. fuisse quidem Cainanis vocem a Luca additam; sed ex Græcorum interpretum fide: quorum interpretationem sequi Lucas maluerit, quam intempestiva mutatione nascenti Ecclesiæ, & illucescente primùm Euangelii veritate, materiam rixæ obtrudere. Ad primam quod attinet, confirmatur cùm paucorum veterum librorum manuscriptorum fide, quam docti aliquot viri affirmant a se probatam memoria nostra: tum unico (nisi me animus fallit) loco Epiphanii κτ̓ Μελχισεδεκιανῶν: ubi Epiphanius certo consilio rationem temporum supputans, ut Melchisedechianorum dogma refelleret, Cainanem omisit planè: eóque ita omisso perbellè constat annorum summa, quam ex comparatis singulorum patriarcharum annis volebat conficere. Verùm, ut ut se res habeat, hæc solutio mihi quidem satis probari non potest. Nam etsi quidam libri exstant (ut volunt) destituti Cainanis appellatione in historia Lucæ; ex eo tamen minimè conficitur ab aliis fuisse infarctum Cainanis vocabulum: quia constans est omnium Patrum, quotquot sunt, omniúmque interpretum, Syri, Arabis, & aliorum consensio,

ſenſio, apud Lucam hoc quidem in loco exſtitiſſe Cainanis nomen. Quapropter etiam de hac quæſtione Patres ipſi olim quoq; plurimùm laborauerunt, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, & alii; qui ſeptuaginta ſeptem nomina in hac generis recenſione legi uno ore conſentiunt: ac propterea etiam a veteribus jamdiu, ad commoditatem numerationis, quini in verſus ſingulos relati ſunt; ſi primum & ultimum eorum exceperis, quorum hic quatuor nomina, ille tria complectitur. Quid, quòd non poteſt aliter conſtare Nazianzeni metrum ?

Τοῦ δὲ Μαθουσάλα ἔσκεν ὅς υἷα γείνατο Λάμεχ.
Αὐτὰρ ὁ Νῶε πατήρ. Σὴμ Νώεος υἱὸς ἐκείνου,
Ἐκ τοῦ δ᾽ Ἀρφαξὰδ Καϊνάν. Σαλά, τοῦ δ᾽ ἐξέπνευσεν
Τιον Εβερ————

Epiphanium verò contra Melchiſedecianos, reticuiſſe hujus appellationem omnino oportuit, ſi cauſam quam agebat probaturus eſſet apud Melchiſedecianos: tum quia homines iſti non perinde probabant Teſtamenti Novi authoritatem; tum quia ex Moſe hanc recenſionem generis deſumebat, cujus recenſionis jam olim apud Græcos exempla variaviſſe plurimis locis, Orthodoxi Patres docuerunt. Quapropter etiam idem Epiphanius ἐν λόγῳ ἀγκυρωτῷ, noluit prætermittere Kainanis nomen, quum ex Lucæ verbis genealogiam Chriſti contexeret. Secunda ſolutio mihi quoque multis nominibus probari non poteſt. Nam id quidem verum eſt, nepotes apud Hebræos donari filiorum nomine; ac proinde Salam, ſi nepos Arphaxadi fuerit, filium Arphaxadi non incommodè dici potuiſſe; modò res ſaltem unico Veteris Teſtamenti loco obtineri poſſet. Verùm (quod bona omnium pace velimus dictum) nec rationi temporum, nec Moſis, aut Lucæ argumento poteſt competere iſta interpretatio. Rationi temporum quadrare non poteſt; quia ſingulorum ætatem, qua genuerunt filios, pertexit Moſes. Quòd ſi hunc in hiſtoriam ejus placebit interjicere, mox chronologia tota inſtabilis futura: & per ſe ruitura eſt. Argumento verò minimè omnium convenire poſſe, tanquam ſi Moſes brevitatis cauſa reticuiſſet Kainanis nomen, demonſtrat utriuſque loci comparatio: cùm Lucas brevitatem magis quàm Moſes in recenſione hac quæſiverit: Moſes verò non brevitatem, ſed accuratam perſonarum, temporum, totiúſque generis circumſcriptionem tradere, (ut optimè fecit) voluerit. Reſtat igitur ſolutio tertia, fuiſſe Kainanis vocem a Luca additam: ſed ex interpretum Græcorum fide. Quam ſolutionem his verbis expoſuit Beda: *Nomen & generatio Kainan juxta Hebraicam veritatem neque in Geneſi, neque in verbis dierum invenitur: ſed Arphaxad, Selaa vel Sale filium, nullo interpoſito, genuiſſe perhibetur. Scito ergo Lucam hanc generationem de Septuaginta interpretum editione ſumſiſſe, ubi ſcriptum eſt quòd Arphaxad centum triginta quinq; annorum genuerit Kainan*, &c. Tanquam ſi diceret, Lucam id officii cùm Græcorum interpretationi, tum receptæ in vulgus opinioni tribuiſſe, prout multa in Scripturis δοξαςικῶς ſunt enunciata, & accommodata opinioni vulgi: Neque intempeſtivo certamine de cauſa alicujus nominis voluiſſe committere, ut Eccleſiæ pax aut piarum mentium quies in diſcrimen vocaretur, nutaret earum fides, vel periclitaretur Scripturæ authoritas. Hujus itaque reſponſi

 religionem

religionem probo, & solutionis primæ veritatem. Sed quia summa Patrum, Interpretum Arabis, & Syri, omniúmque fermè exemplarium consensione comparet Kainanis nomen; nos postremæ solutioni facilè acquiescimus: præsertim cùm Lucas in ipso aditu hujus genealogiæ προθεραπείαν usurpaverit ad hunc locum pertinentem, quum diceret, ὡς ἐνομίζετο. Quibus verbis non obscurè innuit, non accuratam quamdam, sed minus elaboratam recensionem generis Christi a se hoc loco institui, eámque temperari ad captum & opinionem vulgi. Hic verò non sumus nescii, obstrepere nonnullos veritatis hostes, & de authoritate ipsius Lucæ atque Euangelii ab eo perscripti hoc argumento fretos detrahere. Falsum est, inquiunt, istud, & falsò adhibetur Kainanis nomen. Respondemus, Etsi re falsum fuisse dabimus, tamen fuisse opinabile: imò in opinione fuisse vulgi, ad quam opinionem in vulgo receptissimam respexit Lucas, ut ex verbis ipsius modò ostendimus. Opinionis autem falsæ jam diu autores fuerant septuaginta illi: Lucas verò bona fide exemplum illorum, opinionémque vulgi, & certo consilio sequutus est. In illis ergo, ac non in Luca desideratur fides. At Lucas, inquiunt, falsum esse scivit. Scivit quidem illud, sed hoc ejusmodi esse scivit, quod rei tantùm unius historicæ, non autem fidei Catholicæ veritatem offenderet. Nam Kainane interposito veritati quidem historiæ aliquid additur, sed nihil fidei adimitur: cujus certitudo unius aut alterius historiæ, sermonis aut vocis errore minimè convellitur, nisi contra fidei Christianæ fundamentum, aut articulos ejus (ut vocant) fundamentales veniat. Hoc itaque non est μνημονικὸν ἁμάρτημα, sed συγχώρησις ἀναμάρτητος, id est, modesta concessio peccato vacans; quo genere sermonum Scriptura non rarò utitur. Quid ergo? nónne Lucas errorem falsum hoc pacto confirmaverit? Minimè omnium. Nam & publicus error a privato differt, & inveteratus a recente novóque. Lucas autem errorem neque publicum ex privato fecit, neque nascentem aluit; sed publicum errorem jam diu inveteratum pertulit; quia authore Spiritu Dei, ex duobus malis vidit eligendum minus, quod vulgò dici solet. Malum quidem fuit illud, quòd Septuaginta ausi sunt a veritate historiæ discedere, quocunque tandem studio aut consilio fecerint; ac proinde ipsorum facto falsum invaluit in sacra historia. Sed cùm ille error historicus per se fidei non afferat damnum, gravius malum eventurum fuisse vidit, si illud inveteratum atque apud omnes receptum intempestivè tentaret eximere. Quod malum? grave, mea sententia: nimirum quòd ita, propter causam, quæ non attingit fundamentum ullum fidei propriè & per se, periclitata fuisset Scripturæ authoritas, piorum fides nutavisset, tempore nascentis Euangelii, & conturbata fuisset Ecclesiæ ædificatio. Quis enim ista omnia pericula futura fuisse dubitet, si per illud tempus quæstionem ejusmodi nondum necessariam pertinaciter intulisset in Ecclesiam Dei, ac non potiùs modestè prudentérque in horas oportuniores distulisset? At hæc videtur esse carnis sapientia. Contrà verò non carnis est, sed Spiritus hæc sapientia; si quam veritatis deminutionem feras saluti non adversantem, ubi non potest corrigi sine offensione & labe Ecclesiæ, quæ columna est & firmamentum veritatis. Indulgentur infirmis, & teguntur coram illis errores, qui in hominibus valentioribus castigantur: neque id infirmis, aut in doctrina solùm; sed etiam iis quos

pervicax

pervicax σκληροκαρδία obtinet, etiam in ipsa juris & justitiæ causa, toleratur aliquid ne Ecclesia dirumpatur, aut obstruatur ædificationis via; quemadmodum Christus Matth. 19. docuit, & exempla ostendunt quam plurima. Denique si quid a veritate historiæ & juris, aut a probitate vitæ deflectitur; illud fit κατ' ἐπιείκειαν ἤτοι συγχώρησιν, ad veritatem & justitiam puta cæteris in rebus; quas pluris interest exponi Ecclesiæ Dei, apud homines obtinendam. Minus enim conceditur atque supponitur, ut obtineatur majus: alioquin ut justitia per se; sic etiam veritas omnibus in rebus colenda est: sed ita ut cum pace & charitate, quoad ejus fieri potest, temperetur. Summa, quòd Septuaginta olim mutaverunt Mosem, indignè factum: quòd Euangelistæ & Apostoli mutatum receperunt, & usurpaverunt, sapienter factum per Spiritum Dei, & convenienter suis temporibus: Quòd autem jam sine periculo Ecclesiæ demonstratur veritas ab hominibus nostris, & conciliatur varietas; id tempestivum est & dignum laude officium. Atque hanc virorum Dei modestiam in ferendis erroribus alienis, qui sine offensa conscientiæ ad pacem & ædificationem publicam tolerari possunt, seculo nostro dignetur dare Dominus, & ferventem illum contentionis spiritum exstinguere; qui nihil fratribus condonare, nihil publicæ paci, ædificationi, & charitati perfectionis vinculo, tribuere, nihil tegere & dissimulare potest in eo qui tegit peccata nostra, & misericordia maxima toleravit tempora ignorationis nostræ.

Luc. 4. vers. 4. De Mosis loco diximus in Matthæum decimo Parallelo.

Luc. 4. vers. 8. Diximus in Matth. Parallelo 12.

Luc. 4. versu 10. & 12. De his vide in Matthæi Parallelo 11. & 13.

PARALLELUS LXI.

Esa. 61.	Luc. 4.
1 *Spiritus Domini Jehovæ est super me. Propterea unxit me Jehova ad euangelizandum pauperibus, misit me ad obligandum eos qui fracti sunt animo, ad proclamandum captivis libertatem & vinctis aperturam ergastuli.*	18 Spiritus Domini super me est; propterea unxit me ad euangelizandum pauperibus, misit me ad sanandum eos qui sunt contriti corde, prædicandum captivis dimissionem & cæcis recuperationem visus, emittendum confractos dimissione *justa.*
2 *Ad proclamandum annum acceptum Jehovæ.*	19 Ad prædicandum annum Domini acceptum.

HOrum locorum finis est, ut Ecclesia dona & vocationem Christi agnoscat, officiáque illius percipiat ad salutem suam. Summa, Christum Spiritu sancto, id est, plenitudine donorum Dei in Spiritu instructum esse; ideóque ut dona accepta occupet, a Deo Patre vocatum & missum, ut suis salutaribus erga Ecclesiam officiis Prophetæ, Sacerdotis, & Regis perfungatur. Hujus autem rei accommoda-

tionem ad Christum pertinere;tum singularis illa divináque providentia ostendit, qua Christus de Testamento vetere explicans hunc ipsum locum invenit per Spiritum,quem ex libro Esaiæ interpretaretur; tum ipsius Christi authoritas rem interpretantis versu 21.dicendo,*Hodiè impleta est hæc Scriptura vobis audientibus*; tum denique Prophetiæ totius apud Esaiam argumentum. Nam etsi Judæi omnes in ea ré laborant vehementissimè, ut Prophetiam hanc confirment de Esaia ipso prædicari:cùm tamen nec materia Prophetię,nec effecta,nec adjuncta omnia Prophetæ illi accommodari possint;sed res divinæ pronuncientur, & quidem in futurum tempus Euangelicæ prædicationis; non potest hic locus commodè,nisi ad Christum, applicari.Etenim Deus quidem hujus Prophetę ministerio ut aliorum,usus est,ad enunciandas in vetere populo promissiones suas,sed illud omnino pro certo habendum est, inde a capite 53.Esaiæ, ubi finis perpessionum Christi copiosissimè exponitur, Ecclesiæ tradi prophetias Christi Euangelicas ipsius verbis. Dixerat enim Deus sub finem capitis 53.*exemtam molestia animam suam videns saturabitur; cognitione sui multos justificabit justus servus meus*, &c. Quod autem eo in loco Deus paucis expresserat,sequentibus pòst capitibus Christus,quasi superatis perpessionibus exsurgens per resurrectionem ex mortuis, declarat luculentissimè.Quapropter initium facit Euangelicæ concionis suæ ab his verbis,*Canta sterilis quæ non parit*, &c. & doctrinam Euangelicam deinceps persequitur,postquam ecclesiam suam in spem meliorem excitavit; ut illa ipsa Prophetæ verba, ad distinctionem personarũ in unitate essentię Dei pertinentia,demonstrat cap.54.vers.5.*Conjuges tui sunt factores tui,cui nomen est Jehova exercituum*,&c.Horum igitur conjugum sive opificum, id est, personarum quæ in unitate essentiæ unum sunt,singularem distinctionem; & beneficiorum, quæ a personis singulis in redemtionis mysterio conferuntur, determinationem his verbis apud Esaiam prędicavit Christus,& in synagoga apud suos ampliùs declaravit:nempe Dominum Jehovam,id est, Deum Patrem ipsius authorem esse donorum,vocationis, & officiorum ad salutem Ecclesiæ pertinentium: filium eum esse, qui ad eum finem iisdem rebus a patre instructus est:denique Spiritum sanctũ, Jehovam, a Patre & filio ab æterno procedentem, eum esse qui ex consilio Patris in filio conquiescit,& in eodem atque per eumdem in Ecclesiam Catholicam singuláque ipsius membra diffunditur ad institutionem Propheticam, sanctificationem sacerdotalem, & regificam liberationem salutémque ipsius. Hæc qui de Esaia accipi posse putant, ii videntur ultrò prælucentem fugere veritatem. Restat ut de mutatione dicamus paucis. Quicquid hoc in loco mutationis est,aut ad brevitatem commoditatémque pertinet, aut ad declarationem & accommodationem eorum quæ obscuriùs pro tempore a Propheta fuisse dicta videbantur. Brevitatis est, tum quòd pro *Domino Jehova Dominus* solùm nominatur; tum quòd proximè *Jehova*,nomen sive *Domini* omittitur. Declarationis est,tum quòd pro iis verbis quę Propheta dixerat, *ad obligandum eos qui fracti sunt corde*, reposuit Christus *ad sanandum eos qui contriti sunt corde*,metalepsi commodissima; tum quòd ex cap. 42.7. & aliis ejusdem Prophetę locis,adjecit Christus,*prædicandum cæcis recuperationem visus*. Postremò autem, quòd in locum eorum quæ Christus per Prophetam dixerat, *ad proclamandum vinctis aperturam ergastuli*, nunc demum idem Ecclesiam suam quasi in rem præsentem vocat, dicens,

dicens, *ad emittendum confractos dimissione justa vel plena*, id est, in libertatem justam certámque asserendum. Hac igitur mutatione diversum nihil est, nisi verba; sensus verò factus est evidentior.

PARALLELUS LXII.

Luc. 4.

25 Sed in veritate dico vobis, multæ erant viduæ diebus Eliæ in
Israële, quando clausum est cœlum ad annos tres & sex menses, *adeo* ut
fuerit fames magna in tota regione illa:
26 Ad nullam verò illarum missus est Elias, nisi Sareptam Sidoniæ
ad mulierem viduam.
27 Et multi leprosi erant temporibus Elisæi Prophetæ in Israële:
at nemo eorum purgatus est, nisi Naaman Syrus.

CUm hæc verba justum argumentum contineant duorum capitum, non visum est necesse, ut Hebraici contextus voces ad verba Lucæ appingantur. Finis est, ut propositio Christi in antecedente versu a Luca posita confirmetur. Summa, cùm aliis quamplurimis, tum his duobus exemplis confirmari propositionem qua Christus usus est, *neminem Prophetam acceptum esse in patria sua.* Confirmatur autem ex contrario in hunc modum, Deus providentia sua mittit Prophetas suos ad eam regionē, eósque homines quibus accepti sunt. Hos autem misit, non ad regionem aut gentem suam: sed ad patriam hominésque exteros. Prophetæ igitur non in sua, sed in extera regione accepti sunt. Utrumque autem membrum antitheseos accommodavit sibi ipsi Christus in ver. 23. his verbis, *Omnino dicetis mihi hoc proverbium, Medice cura teipsum: quæcunque audivimus facta esse in Capernaum, fac etiam hîc in patria tua.* Ac proinde unica argumentatione, ab exemplis ducta, solvit utrumque objectionis locum.

Luc. 5. 14. Quæ de purgatione dicuntur ex præcepto Mosis, explicavimus suprà Parallelo 51. in Marcum.

Luc. 6. 3. De exemplo Davidis diximus suprà in Matth. Parall. 22.

Luc. 7. 27. De loco Malachiæ vide suprà Parallelo 50. in Marcum.

PARALLELVS LXIII.

Luc. 9.

54 Quum autem hoc vidissent discipuli ejus Jacobus & Joannes,
dixerunt, Domine, vis dicamus ut ignis descendat de cœlo, & consumat
eos, ut etiam Elias fecit?

HIstoriam Eliæ 2. Reg. 1. comprehensam nihil necesse fuit hoc loco adscribere, tum quia breviter exemplum illius adducitur, cujus longa futura fuisset exscriptio; tum quia inepta fuit illius exempli ad rem præsentem accommodatio: ut sequente versu Lucas optimè demonstrat dicens, *conversum Jesum objurgavisse eos, & dixisse nescitis cujus Spiritus vos sitis*, & quę sequuntur. Cùm itaque hoc Apostolorum dictum Christus adeò graviter reprehenderit, tanquam justitiæ adversans, & injustitiam illius argumentis duobus ostenderit; quorum unum

unum est sumtum a persona Apostolorum Spiritum suum spiritui Eliæ nec scientia nec studio conformantium; alterum a persona Christi, & vocatione officióque ipsius, sequente versu: satis est ut responsione Christi acquiescamus, & de accommodatione hujus loci ampliùs non laboremus.

Luc.10.27. De Mosis verbis diximus in Matth.Parallelo 43.

Luc.11.29. De signo Jonæ vide in Matth.Parallelo 24. Itemque de sequentibus Reginæ, Australis & Ninivitarum exemplis.

PARALLELUS LXIV.

Luc.17.

26 Et prout factum est in diebus Noë, ita erit etiam diebus filii hominis,

27 Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum usque diem quo introivit Noë in arcam; venitque diluvium, & perdidit omnes.

28 Similiter etiam ut accidit in diebus Lot: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant:

29 Quo autem die Lot exiit Sodomis, pluit igne & sulphure è cælo, & omnes perdidit.

30 Secundùm hæc erit dies quo filius hominis detegetur.

32 Memineritis uxoris Lot.

LOngius quoque fuisset futurum, si totam ex Mose historiam adscribi oportuisset ad summam hanc exemplorum recitationem. Finis est, ut homines metu judiciorum Dei comparentur ad reverentiam illius optatissimi diei, quo Christus secundò adventurus est: Summa, futuram esse præfidentiam & securitatem maximam, quo tempore adveniet Christus; quemadmodum etiam innuitur sub finem sequentis parabolæ principio 18. capitis; Sed tamen piis videndum esse ne in eamdem perditionem ruant, aut animi sui perturbationibus indulgeant; quia Dominus tum (ut olim fecerat) est illo tempore imprudentes & aliud agentes oppressurus. Atq; huc tria exempla pertinent, quæ in hoc loco a Christo adducuntur. Monuimus autem anteà, typos sive exempla singularia per se minimè concludere, & ex particularibus ac contingentibus effici nihil posse, in Matth. Parallelo 24. Sed ubi Dei verbum & authoritas accessit, ea quæ alioqui ex se nihil adstruunt, necessariam habere consequentiam tum ex institutione aut prædictione Dei; tum ex Divinæ ipsius naturæ, justitiæ, judiciorumque analogia. Quę cùm ita sint, necessariam esse prædictionem Christi statuimus, non ab exemplis contingentibus quæ adducuntur, sed ab authoritate dicentis, & veritate dictorum ejus; quibus ultimorum temporum securitatem & castigationem in secundo adventu ipsius, figuravit temporum antecedentium historia, & pios ad constantem illius diei expectationem excitavit.

Luc.18.20. Videndum in Matth. Parallelo 35.

Luc.19.46. Vide in Matth. Parallelo 38.

Luc.20.17. Hunc Davidis locum explicavimus in Matth. Parallelo 40.

Ibidem. vers. 37. & 42. De his locis in Matth. diximus Parallelo 42. & 46.

Luc.22.37. De hoc Prophetæ loco diximus supra Parallelo 4.

Luc.24. Quæ versu 25. & 27.& 44. & duobus sequentibus in genere dicuntur de Scripturę sacrę testimoniis,ea ex aliorum Euangelistarum comparatione & Apostolorum scriptis petenda sunt, ubi de Christi sacerdotio & regno testimonia proferuntur.

EX EUANGELIO JOHANNIS.

Joh.1.23. Vide supra in Parallelo 10. Quod autem ibidem vers.46. de Mose & Prophetis dicitur communem habet rationem cum proximè præcedente observatione.

PARALLELUS LXV.

Psal.69.	Joh.2.
10 *Zelus domus tuæ comedit me.*	17 Zelus domus tuæ comedit me.

VTriusque loci finis est, ut infinitum Domini & Servatoris Christi erga Ecclesiam studium omnibus sit expositum. Summa, eam esse pietatem studiúmque Christi erga Deum Patrem & Ecclesiam,velut domum & sacrarium ipsius,ut cæteras res pro nihilo ducat; adeóque seipsum exinaniverit, omnem sui rationem abjecerit, vitámque suam exposuerit, pro electorum salute. Sed de accommodatione hujus loci judicia variant.Nam hęc Johannis verba, *zelus domus tuæ,&c.* alii propriè simpliciterque dicta a Davide putant, & a Johanne accómodata esse Christo, velut exemplum commune ad pios omnes pertinens analogicè: alii a Davide quidem, sed typicè dicta judicant, & Christo propriè competere: alii singulorum Ecclesiæ membrorum esse existimant: alii denique propriè de persona ipsa Christi fuisse enunciata, ac propterea a Johanne propriè & singulariter accommodari Christo arbitrantur. Atque hæc quidem interpretationum varietas ex varia Psalmi *69.* intelligentia dimanavit; quem alii Davidis proprium esse statuerunt; alii tipycum; alii communem Ecclesiæ: alii proprium & singularem Christi. Proprium Davidis fuisse Judæi putant, & contendunt vehementissimè; quia hac ratione videntur sibi luculenta de Christo servatore nostro testimonia eludere, quibus testimoniis hic Psalmus tam circumfluit,quàm qui maximè.Sed hęc quę ad Christum necessariò, ad Davidem verò ne contingenter quidem pertinent mox indicabimus,quum veram afferemus Psalmi interpretationem.Quemadmodum autem proprius & singularis dici Davidis Psalmus non potest: sic etiam absurdum foret, si quis proprium esse Christi, & purè de eo intelligendum ex omni parte affirmaret. Nam huic interpretationi versus non pauci obsistunt; qui id omnino flagitant, ut de Davide authore Psalmi hujus intelligātur. Cùm itaque nec hujus,nec illius purè proprius & singularis sit; restat ut communem esse dicamus, & opus habere

habere communi interpretatione. Quòd si communis est(ut est) aut κατὰ τύπον communis esse Davidis,& Christi κατ' ἀλήθειαν dicendus est; aut communis Ecclesiæ totius κατὰ συγκοινωνίαν; qui typus communis & generalis est. Ac communem quidem esse totius Ecclesiæ, exemplo & accommodatione sive applicatione, quam Græci vocant οἰκείωσιν, facilè daturi sumus; secundú illam interpretationis viam quam in Matthæum Parall.24.docuimus. Sed Psalmum illum certo consilio a Davide fuisse scriptum, ut de toto Ecclesiæ corpore destinatè intelligeretur,& de singulis illius membris; nemo(opinor)pius contendet unquã, qui vel semel cum judicio & fide contextum illius Psalmi percurrerit. Est igitur communis, judicio meo, secundùm rationem proprii & destinati typi, de quo in locum illum Matthæi diximus; ac proinde ita res Davidis eo in Psalmo exponuntur, ut figurentur res Christi; & vicissim ita res Christi exponuntur, ut nonnisi figuratè Davidi possint competere. Exempli causâ(ne abeamus longiùs)quum Propheta inquit vers. 21. *Opprobrium frangit animum meum*,&c. id de Davide tam propriè dicitur quàm quod maximè, cùm animus ipsius ex infirmitate carnis non rarò debilitatus fuerit atque infirmatus: De Christo verò figuratè dicitur, cujus perpessiones sic adumbrabat David, ut Christum tentari solùm, non autem frangi tentationibus innueret. E diverso autem, quum sequente versu his verbis utitur, *Dant pro alimento meo amarorem,& in siti mea bibendum exhibent acetum*; hoc a Davide figuratè dictum, sed de Christo propriè & destinatè(ut ita loquamur)prædictum est. Atq; hinc assurgit tertium loquutionum genus, in scriptis hujus argumenti usitatissimum; nempè quòd loquutiones quædam propriè simpliciterque de utroque accipiuntur, prout etiam propriè dictæ sunt; ut quum ibidem inde a versu quinto causam suam exponit David,& Christus Davidis verbis. Quo in genere causa hæc recensenda est, qua David utitur,& quam Apostoli agnoverunt ad Christum pertinere. *Quia zelus domus tuæ exedit me*,&c. quæ verba propriè simpliciterque Propheta David cùm de seipso, tum de Christo, quem adumbrabat, pronunciari voluit atque intelligi. Est igitur æquissima verissimáque hujus loci accommodatio.

PARALLELUS LXVI.

Joh.3.

14 Prout Moses extulit serpentem illum in deserto: ita extolli oportet filium hominis.

15 Ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Historiam totam ex Numer.21. apponi ad hunc locum nihil necesse est; quia bonam illius capitis partem adscribi fuisset longius,& tota illius veritas commodè ex Mose cognosci potest. Cæterùm materialis ille serpens proprius fuit atque singularis seu destinatus typus Domini & servatoris nostri Jesu Christi: Illius sublatio, typus sublationis Christi, & intuitus corporalis in eum, typus illius spiritualis intuitus vel fidei nostræ in Christum; qua ex spirituali morte, ut illi ex corporali, per Christum liberamur, & vitam æternam obtinemus. De hoc autem proprio & singulari typorum genere consulendus est Parallelus 24.in Matthæum.

PARALLELUS LXVII.

Genes.48.

22 *Do tibi partem unam supra fratres tuos, quam cepi de manu Amorrhæi gladio meo & arcu meo.*

*Joh.*4.

5 Venit Jesus ad urbem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Josepho filio suo.

VTerque locus est purè historicus. Ac Jacob quidem illis apud Mosem verbis ostendit se prædium vel portionem duplam Josepho filio suo tribuisse; quæ portiones duæ fuerunt de nomine Ephraimi & Manassis appellatæ. Sed hæc verba de industria hoc in loco ab Euangelista fuerunt posita, ut determinaret quam in partem Jesus advenisset, quum historia fuit ab ipso gesta, quæ deinceps exponitur. Demonstrat igitur his verbis, quia Samariæ nomen est homonymum, accuratiùs circumscribi locum oportuisse ubi hæc gesta sunt; nempe fuisse locum Galileæ, sed in confinio Samariæ, ut eo ampliùs Galilæos suos propinquorum testimonio atque exemplo afficeret. Quamobrem postquam Johannes dixit, *Venit ad urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar*, adhibuit membrum hoc exegeticum, *juxta prædium*, &c. tanquam si diceret, Samariæ appellatione totus quidem superior tractus, qui ad regnum Israëlitarum olim pertinebat, interdum comprehendi solet; de metropoleos & civitatis regiæ nomine. Sed cùm totius illius tractus partes duæ jam olim fuerint constitutæ; quarum una Samaria, altera verò Galilæa dicta est; angustiorem significationem hoc loco accipi necesse est. Fuit enim Sichar limitaneum opidum Samariæ, in cujus opidi propinquo, & Galileæ termino, hoc tempore substitit Christus, postquam Samaritanos prætergressus esset; ut dissimulato consilio suo Samaritanos, qui a Judæis abhorrebant, ad fidem suam commodiùs adduceret, & Galilæos suos de officio ipsorum hoc ipso exemplo informaret. Nam illud *juxta prædium*, &c. non est referendum juxta civitatem Sichar (erat enim hæc civitas Samariæ) sed cum verbo, *venit*, construendum est: quo facto locus obscuritate caret. Quòd si ulli conjecturæ locus est, non procul Succothis locum hunc fuisse existimaverim, de quibus Gen. 33.17.

PARALLELUS LXVIII.

Joh. 5.

39 Scripturæ sunt quæ testificantur de me

46 Si crederetis Mosi, crederetis mihi, de me enim ille scripsit.

HIs verbis unus aliquis Scripturæ locus ex professo non adducitur; sed tantùm promiscuè locos esse confirmat Christus testificantes personam, officia, & beneficia ipsius. Hi autem loci, cum speciatim alibi plurimùm demonstrentur, etiam per Apostolos & Euangelistas; nihil opus est ut coacerventur in hunc locum. Quamobrem ad alios Christi sermones properabimus.

PARALLELUS LXIX.

Psalm.78.
24 *Frumentum cœli dedit illis.*

Joh 6.
31 Panem de cælo dedit eis ut vescerentur.
49 Patres vestri manducaverunt manna in deserto,& mortui sunt.

VTerque locus est historicus,& argumento consentiens. Mutationis quicquid est, exegeticum est. Id tantùm observandum est, in posteriore loco Johannis, ubi verba Christi afferuntur,perstringi duos historiarum locos: unum,ex ca.16.Exodi,quum Patres comedisse mān in deserto dicuntur: alterum,ex Num.14.& Psal.95.quum ii ipsi Israëlitæ,qui manna in deserto comederunt, mortem dicuntur obiisse:nimirum, quia sacramentum,non autem rem Sacramenti plerique eorum comederunt, ut Christus exponit sequentibus: in primis autem quia manna per se fuit temporariæ illius vitæ, ut Christus æternæ, alimentum. Huc enim spectat instituta hæc per Christum comparatio.

PARALLELUS LXX.

Joh.7.
22 Mosis dedit vobis circumcisionem(non quòd ex Mose sit, sed ex Patribus) & sabbatho circumciditis hominem.

ETsi planum est argumentum Christi, cui persimile explicavimus antè Parallelo 22.in Matth. quia tamen duo distincti hic afferuntur a Christo loci,visum est paucis hunc locum proponere,sed tamen sine comparatione ulla diagrammatis, quo solemus in hoc libro uti,ne longiores simus.Prior locus est,quum Mosis dedisse circumcisionem dicitur, & sabbatho circumcìdi hominem. Respicit autem hic locus ad Mosis verba Levitici 12. quibus etsi Moses Israëlitis circumcisionem minimè dat vel instituit, tanquam primus author illius; tamen antè datam confirmat eam & ampliùs sancit authoritate Legis.Posterior locus est πρὸς ἐπανόρθωσιν, quū dicit Christus,non esse à Mose circumcisionem, sed à Patribus acceptam. Quem locum historia Mosis confirmat evidentissimè,Genes.17.Priore loco utitur Christus,ad institutam argumentationē probandam authoritate Legis; posteriore verò, ad occupationem: ne fortè homines malevoli verba ipsius antecedentia arroderent, & ipsum tanquam imperitū historiæ sacræ, aut corruptorem criminarentur. Quæ criminandi ars in disputationibus ab iis plurimùm usurpatur,qui aut sibi aut causæ suæ diffidentes,aliena aucupantur verba,ut effugiant ipsum quęstionis caput, ac veritatem celent.

PARALLELUS LXXI.

Esa.55.
1 *Heus quisquis sitit, venite ad aquas.*

Joh.7.
37 Si quis sitit, veniat ad me & bibat.

Esa.58.

11 *Eris tanquam hortus irriguus, & veluti scatebra aquarum, cujus non fallunt aquæ.*

38 Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus.

EUmdem finem & eamdem summam utriusque loci in hoc diagrammate nostro propositi, ex omni parte statuendum esse, res ipsa loquitur. Nam Esaiam in tota illa capitum aliquot serie de regno Christi prophetiáque & sacerdotio loquutum esse, tam certum est quam quod certissimum: quemadmodum copiosè suprà Parall. 61. demonstravimus. Christum verò, in quo certissima est luculentæ illius Prophetiæ veritas, ad eum locum respexisse, eúmq; velut digito Judæis commonstrasse, nemo dubitaturus est, qui religiosè & citra animi perturbationem verba Christi (qui per Prophetas loquutus est olim) cum verbis Esaiæ, qui de Christo hæc prænunciaverat, inter se comparaverit. De posteriore autem parte diagrammatis, ut dicam liberè quod sentio; si qui locus est in Testamento Vetere cum illis Jesu Christi verbis comparandus, is mihi quidem videtur esse, quem in diagrammate nostro posuimus. Nam etsi varia sunt omnino verba; res tamen ipsa atque argumentum omnibus modis consentiunt, éstq; communis in hac promissione finis & summa, ut de priore diagrammatis mēbro dicebamus. Sed bona omnium pace, existimo frustra de aliquo veteris Testamenti loco cum magnificis illis Domini nostri Jesu Christi verbis aptando laborari, ac proinde diagrammate nihil fuisse opus: etsi hoc adscribi placuit, ut aliqua ex parte iis qui aliud sentiunt satisfaceremus. Statuimus igitur illis verbis, *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura,* &c. non aliquem nouum Scripturæ locum citari a Christo, sed tantùm explicari & determinari verba illius promissionis, quæ in Ecclesia Judæorum palàm die illo magno festi proclamaverat, & ad eumdem Esaiæ locum respicere. Sensus igitur est (ut paraphrasticè reddamus) tamquam si diceret, Quæsiturus est fortassis aliquis, hæc verba quid sibi velint, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat:* Ego verò hunc sermonem totum enarrabo paucis. Is demum venit ad me & bibit, qui credit in me; nam fide venitur ad me, & fide quoque bibitur, viviturque in me. Sed hæc fides, quam desidero, non est temeraria fides aut opinabilis; quin potiùs vera lex fidei est, ut qui credit in me, sic credat quemadmodum Scriptura illa dixit, id est, ut explicavit Esaias in eo ipso loco (ne longiùs abeamus) nimirum præditus vera illa siti quam ibidem Esaias explicat & Christus ostendit apud Matthæum dicens, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Huic autē homini, inquit Christus, qui verè sitiens in me crediderit, non solùm id boni spondeo, quòd unde bibat habiturus est; sed etiam unde in alios exundet copiosissimè ad vitam æternam. Hæc igitur sententia si tenebitur, evidens locus futurus est. Sin autem malet quis promissionem hanc Christi ad Scripturæ Veteris normam revocari, duplex futurus est interpretationis modus: Prior, ut certus aliquis locus Scripturæ cum hoc comparetur, prout in diagrammate fecimus, satisfacturi voluntati eorum qui id cupiverint: Posterior, ut non unus aliquis locus, sed substantia (ut ita dicamus) universa promissionum Euangelicarum ex universo Testamenti veteris corpore quasi concinnata, & uno hoc loquutionis modo comprehensa, per Christum fuisse judicetur. Suum cuique per me judicium est liberum.

Ioh.

Ioh.7.42. Quod de genere, & loco ortus Domini nostri Jesu Christi dicitur, fuit explicatum in secundum Matthæi caput.

Parallelus LXXII.

Deut.19.

18 *Inquirent judices optimè: quod si ecce testis falsus testis ille est, falsum dixit in fratrem suum, &c.*

Joh.7.

51 Num Lex nostra condemnat quemquam, nisi priùs audierit ab ipso, & cognoverit *cognitor* quid faciat?

COnstantissima est justi & injusti analogia, ut antè sæpè monuimus: ex qua, & lege naturæ, & lege Dei cautum est, ne quisquam judicio damnetur nisi hæc duo præcesserint; primùm auditio ejus qui reus est ad defensionem, probationem, aut excusationem sui; deinde certa & legitima cognitio, quæ disertis verbis Deut. 13. & 17. & aliis in locis Scripturæ sacræ præcipitur. Sed hæc ita sunt perspicua, ut non egeant explicationis nostræ.

Parallelus LXXIII.

Levit.20.

10 *Si quis adulteratus fuerit uxorem alterius, adulteratus fuerit uxorem proximi sui; adulter & adultera omnino plectuntor morte.*

Joh. 8.

5 In lege Moses mandavit nobis, ut tales lapidarentur.

AEtiologiam, id est, justi & injusti legem perpetuam esse & constantissimam sæpè docuimus: quam cùm Judæi in adducendo hoc loco sequuti sint, & ab authoritate suę Legis judicium tulerint, nihil est cur de hujus loci interpretatione laboretur. Id tantùm fortassis imperitiores moverit, quòd adulteras lapidari dicant ex Lege oportere. Et si autem hoc verbum disertè non exprimitur eo in loco Levitici, quem diagramınati huic adscripsimus; non incommodè tamen hunc locum Judæi sic interpretati sunt, ex aliorum comparatione & analogia; cùm fæminæ adulteræ, & stupratæ sponsæ hoc ipsum genus mortis indicatur, Deut, 22. Est igitur consentiens illorum interpretatio cum sententia Legis; sed scopum habebant omnino Legi adversantem, quum tentarent hac quæstione Christum. Qua de re ut ampliùs dicamus, neque est hujus loci, neque instituti nostri.

Parallelus LXXIV.

Deut.19.

15 *Ex ore duorum testium, aut ex ore trium testium res stabilis futura est.*

Joh.8.

17 In lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium esse idoneum.

HIc quoque locus est ætiologicus, nec opus habet explicatione. Accommodatio autem, qua Christus utitur, fit per comperationem minoris & paris. Minoris; quando hominum testimonium cum

cum testimonio Dei Patris & filii comparatur: Nam si hominum testimonio habetur fides, quanto magis divino? cujus authoritas est ἀναντίῤῥητος. Paris verò; quando numerus par cum pari confertur, duorum puta hominum testium, cum duabus personis sanctissimæ Trinitatis, Patre & Filio; quemadmodum sequente versu exponit Christus luculentissimè.

Parallelus LXXV.

Joh. 8.

56 Abraham pater vester gestivit ut videret diem hunc meum, & vidit, atque gavisus est.

ETsi hæc verba ad unum aliquem singularem locum referri propriè nec debent, nec possunt, ac potiùs totum corpus (ut ita dicamus) vel summam historiæ Abrahami complectuntur: non dubium est tamen, quin ordinem totius historiæ, quam perscripsit de eo Moses, his paucis verbis Christus perstrinxerit; & progressum fidei illius, incredulæ & immorigeræ genti exprobraverit. Tria sunt enim, quæ hic a Christo ordine attinguntur. Primum, exsultavisse illum, & gestivisse desiderio videndi hunc diem; secundum, vidisse; tertium, hoc viso gavisum esse. Ac primùm quidem promissionem a Deo Abrahamo dari antè oportuit, quàm hæc ab ipso facta sint: cujus promissionis verba obscuriùs quidem habentur principio capitis 12. deinde clariùs exponuntur, sequente capite. Hac autem promissione audita, quàm gestiverit videre hunc diem, exponit Moses 15. capite Geneseos: quàm certa fide viderit, demonstrat sanctissimum illud in observanda circumcisione obsequium; in primis autem, in sacrificando filio, Genes. 17. & 22. quo tempore sic vidit diem Christi, ut sacrificaturus filium nihilominus de semine confirmatus esset, diceretque *Jehova sibi prospiciet, fili mi*. Denique gavisum esse demonstrat Moses; tum eodem capite, quum proverbii illius author fuisse dicitur, *In monte Jehovæ providebitur*, & quum promissione ampliùs confirmata *fore ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes terræ*, se tranquillo animo recepit domum; tum verò sequentibus etiam capitibus, quando omnia ex ductu & authoritate Dei in familia sua administrari voluit, fretus præsidio Dei Patris, & Angeli federis illius, Genes. 24. 7. & deinceps.

Parallelus LXXVI.

Psal. 118.	*Joh.* 10.
20 *Hæc illa est porta ad Jehovam qua ingrediuntur justi.*	7 Amen dico vobis, Ego sum ostium ovium.

HUjus sermonis, quem Christus instituit in Euangelio, finis est, ut tum cæcus ille, qui propter sanctam professionem Christi factus fuerat ἀποσυνάγωγος, & pii omnes confirmarentur adversus illam grassantem in Ecclesia tyrannidem, tum ut Judæi obstinatè Christi gratiam oppugnantes docerentur, non temerè, aut inscio & imprudente Christo hanc ipsorum contumaciam exsistere; sed contrà proprium opus ipsius esse, quòd discernit suos, eósque voce sua ad salutem æternam perducit. Summa autem est (ut posteà Christus loquitur exe-

geticè versu 9.) Christum velut ostium esse,id est,per eum si quis introierit,servatum iri. Hanc verò mentem Davidis esse in eo loco Psal.118. qui exscriptus est in hoc diagrammate, jam antè demonstravimus in Matthæum Parall. 37. unde petenda est justa illius Psalmi interpretatio. Nam piis consulentibus de portis per quas aditus est in regnum cęlorum,& spondentibus sacrificia laudis Domino, respondet simplicissimè Ecclesia Dei,ut mater filiis,non esse cur de portis laborent,aut plures opus esse ad Christianum hoc iter cogitent; nam unicam esse portam sive aditum ad Jehovam, vel Deum Patrem, nempe Jesum Christum Servatorem nostrum, per quem justi ingressuri sint & venturi ad Patrem: quæ eadem porta lapis est imus angularis, in quo totum ædificium coagmentatur ut sit templum sanctum Domino. Hęc igitur nostra est interpretatio; quam sine cujusquam pręjudicio asserimus,& judicio Ecclesiæ,piorúmque omnium permittimus.

PARALLELUS LXXVII.

Psal.82.	Joh.10.
6 *Ego dixi, dii estis.*	34 Nonne scriptum est in Lege vestra,Ego dixi,dii estis?

HIs verbis Propheta in Psalmo usus est non εἰρωνικῶς,aut tantùm συγχωρητικῶς(ut plerique existimant)sed magis ἐπιτιμητικῶς,ut potentiorum hominum authoritate sua abutentium iniquitatem ampliùs ostenderet evinceretque Dei ipsius verbis. Summa est,iniquissimum id esse omnium, quòd homines gloria & majestate quadam divina ornati & aucti per voluntatem ac beneficium illius, occupent camdem in fratribus suis tenuioribus opprimendis. Hæc eadem verba Christus hoc loco adhibet, ut veritatem sermonis sui, quem de seipso prædicaverat, assereret: nempe se esse Dei Filium, prout Judæos ipsos intellexisse demonstrat excusatio versu 33. Argumentatur ergo Christus per comparationem minoris; ut Judæos evincat, ne civiliter quidem posse ipsius verba reprehendi,quæ de seipso pronunciaverat. Hujus comparationis explicatio traditur versibus sequentibus, & per duo membra antitheta distinctè illustratur Christi ipsius verbis; quæ ad hunc syllogismum docendi causa revocari possunt. Si sanctum est, ac non blasphemum, eos appellari Deos, ad quos sermo Dei factus est; omnino sanctius futurum est, si is ad quem sermo Dei factus est & qui a Patre sanctificatus & de cælo in mundum missus est, filius Dei appelletur. Antecedens autem verum est,ex authoritate Scripturæ: Ergo & consequens. Hæc indubitata argumentatio, cui nulla Judæorum pervicacia potuit obsistere.

Joh.12.15. Zachariæ locum suprà in Matthæum explicavimus Parallelo 36.

PARALLELUS LXXVIII.

Psal.110.	Joh.12.
4 —*Tu es sacerdos in seculum.*	34 Nos audivimus ex Lege, Christum manere in æternum.

Utriusque

VTriusque loci Prophetia est historica, omni ex parte in rei summa consentiens, ac propterea nihil necesse est, ut in horum explicatione immoremur. Etsi observandum illud est, finem utriusque loci esse diversissimum. Nam Propheta officium Christi salutare erga Ecclesiam, duraturum esse in æternum docuit: turba verò Judæorum quum hæc adduceret, sermonem Christi cupivit expugnare; quòd dixisset anteà, *Ego si sublatus fuero è terra, omnes traham ad me ipsum*. Huic verò objectioni respondit Christus convenientissima similitudine. Utrumque verum est, inquit, & me filium hominis tolli e terra oportere, & in æternum manere Christum. Nam Christus lux est hominum, quæ lux in æternum permanet; quamvis post tempus exiguum futurum est ut tollatur e terra: Quòd si secundùm corpus e terra tollitur, & morte crucis moriturus est; non propterea lux moritura est, sed in æternum permansura; quamvis in hoc mundo ex hominum oculis atque e medio discessura. Atque hinc nascitur ille exhortationis locus, quo Christus deinde utitur, *Ambulate dum lucem habetis*, &c. Quibus verbis innuit se quidem esse lucem secundùm Deitatem; sed quasi lucernam esse lucis causa oblatam hominibus secundùm humanitatem, in qua plenitudo Deitatis habitat corporaliter. Hac verò lucerna e medio sublata, tenebras esse Judæorum gentem deprehensuras, &c.

PARALLELUS LXXIX.

Esa. 53.	Joh. 12.
1 *Quis credit prædicationi nostræ? & brachium Jehovæ cui revelatum est!*	38 Domine quis credidit sermoni nostro? & brachium Domini cui revelatum est!

HUjus loci utrobique finis est, ut pia Ecclesiæ membra adversus scandalum mundi confirmentur, gratiam & doctrinam Euangelicam incredulitate sua propulsantis. Summa verò est, multos quidem vocatos esse, sed electos paucos, qui ad doctrinam & potentiam salutarem Dei animum advertant, eámque prehendant fide. Atque hoc quidem Esaias Propheta de suo tempore, suáque gente prophetavit, respectu doctrinæ Euangelii; quam præcedentibus capitibus populo suo gravissimè enunciaverat. Sed non immeritò eumdem locum testatur Johannes ad ipsa Christi tempora pertinere, quum his verbis utitur, *ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine*, &c. Duæ sunt enim potissimum, judicio meo, istius accommodationis causæ. Una, quòd Esaias ad conditionem suorum temporum respexit, ut a re præsente, velut occasione oblata, communiter ad constitutionem totius humani generis animum adverterit. Nam homines prædicationi cœlestis & salutaris doctrinæ non habere fidem, id verò non illius solùm temporis quo Esaias prophetavit, aut illius quo Christus hic in terris vixit, proprium & singulare est; sed commune omnibus hominibus, locis, temporibúsque a natura vitium, donec singulari Dei gratia in Christo reformentur. Altera, quòd ea ipsa verba propriè & singulariter ad Christi tempora pertinent, quæ inde a capite 49. Esaias prænunciaverat, & de quibus ex professo agit toto illo cap. 53. atque sequentibus. Quæ cùm ita sint, optimè per Apostolum impleri dicuntur ea quæ fuerunt hac lege ab Esaia de Christi doctrina olim pronunciata.

Johan. 12.40. Hunc Esaiæ locum interpretati sumus in Matthæum Parallelo 25.

PARALLELUS LXXX.

Psal. 41.	Johan. 13.
10 *Qui comedit panem meum, sustulit adversum me calcem suum.*	18 Qui edit meũ panem, sustulit adversum me calcem suum.

HIstoricam esse narrationem in verbis Davidis apud omnes constat; & alteram quoque historiam a Christo designari nemo non est visurus qui ad illa verba attenderit: *Non de omnibus vobis loquor: Ego scio quos elegerim; sed ut scriptura hæc impleatur, Qui edit mecum,* &c. Nam priore historia, denotatur Achitophel in Davidem Regem insurgens: posteriore verò, Judas, qui Dominum suum prodidit. Certum est autem unam aliquam singularem historiam facti propriè de historia altera non posse enunciari; sed figuratè solùm, ut in Matthæum Parallelo 6. & 24. demonstravimus. Est igitur figurata hujus loci accommodatio. Sed figuratæ accommodationis in hoc genere duplex est ratio. Nam una est humani, altera divini instituti. Humani instituti est, quum typus aliquis aut simile commune sumitur ad rem aliquam certam significandam; ut si quis Dodonæum æs pro tinnulo, Tolosanum pro exitiali, & alia ejusmodi enunciaverit. Divini autem instituti est, quum una eadémque res & materiam præbet communis typi, & singulari quodam instituto typus singularis est a Deo datus. Hujus generis est hic locus. Nam exemplum Davidis & Achitophelis, typus communis est, in illo probitatis bonitatísque, in hoc perfidiæ. Quum autem ad historiam Christi applicatur, Davidis persona & factum typus proprius est Christi factorúmque ejus ex instituto Dei; & Achitophelis perfidia perfidiam Judæ figuravit; qui adversus spirituale regnum Christi se gessit longè perfidiosiùs, quàm adversus temporale & symbolicum illius Achitophel. Quod si ex divino instituto hic typus confectus est, optimè profectò & convenienter eidem instituto hunc typum Christus historiæ suæ accommodat, atque de ea prænunciat.

PARALLELUS LXXXI.

Psal. 35.	Joh. 15.
19 *—Oderunt me immeritò.*	25 —Oderunt me immeritò.

VT immeritum fuit multorum in Davidem odium; sic immeritum semper esse mundi totius odium in Christum & in eos qui adhærent Christo, Scriptura sacra docet, & naturalis nostra vitiositas arguit. Quod odium a Davide, velut typo Christi, præctereà singulari quodam modo fuit prænunciatum de Christo Servatore nostro. Quamobrem cùm & communi ratione, & singulari typorum lege, hæc verba sibi Dominus Christus accommodet, non est huc alia adhibenda hujus dicti interpretatio, aut afferenda causa, quàm quæ duobus proximè præcedentibus Parallelis fuit a nobis exposita.

PARAL-

PARALLELUS LXXXII.

Joh. 17.

12 Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex ejus periit, nisi qui filius perditionis est, ut Scriptura impleatur.

ETsi multorum opinio est, certum aliquem Scripturæ locum his Christi verbis designari; mihi tamen, omnibus expensis, videtur potiùs non unus aliquis ex professo perstringi; sed omnes ii legis Prophetarúmque loci, quibus promissiones & minæ Euangelicæ jam olim fuerant explicatæ. Nemo autem est qui nesciat hanc veram esse promissionum Euangelicarum summam, Christum quos sibi Pater dederit eos servaturum; & ita quidem servaturum, ut nemo ex eis pereat: contra, minarum Euangelicarum argumentum istud esse, eos qui filii perditionis sunt, id est, quos Deus Pater non dedit servandos filio, sua ipsorum incredulitate & vitio perituros. His duobus documentorum locis omnes ferè Legis & Prophetarum paginæ refertæ sunt. Hic verò Christus, quasi rationes cum Deo & Patre subducens, utrumque locum recenset de industria, & ex authoritate, vel testimonio Scripturæ sacræ probat fidem administrationis suæ. Quamobrem cùm de corpore (ut ita dicamus) suorum Apostolorum agat, cujus corporis membra commendat Deo, quum ab eis profecturus esset; optimè de illis singularibus membris, id Christus enunciat, quod de toto Ecclesiæ corpore promissum fuerat olim per Legem & Prophetas: & ex contrario sanctè Judas ille Iscariotes excluditur ex eorum numero; prout Scriptura jam olim docuit excludi eos qui filii perditionis sunt, & qui ad filium dilectionis, velut σωτήριον nostrum, minimè pertinent.

PARALLELUS LXXXIII.

Joh. 19.

7 Secundùm Legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.

QUòd Legem Dei non dubitaverunt hypocritę isti adversus Christum (qui Legis & Prophetarum complementum est) adducere, id quidem fecerunt perfidia summa; sed tamen vera est thesis, qua utuntur illi, sive (ut appellant Dialectici) propositio major. Sic enim argumentantur: Quisquis se Dei Filium facit, id est, fingit & comminiscitur, falsóque prædicat, is blasphemus est in Deum, & reus est mortis ex Lege, Deut. 13. & 18. Iste autem Filium Dei se finxit: Ergo reus est. Ex majore illa propositione, quæ per se verissima est & conveniens cum Lege, falsam assumtionem adstruunt, & Christo impingunt crimen blasphemiæ: ac propterea capitale ei supplicium irrogant. Sed quia hic locus habet evidentiæ satis, ad alia properabimus.

Joh. 19. 24. Davidis locum ex Psal. 22. antè explicavimus in Matthæum Parallelo 49.

Parallelus LXXXIIII.

Psal.69.

22 *Dederunt pro alimento meo amarorem, & in siti mea bibendum mihi dederunt acetum.*

Joh.19.

28 Ut perficeretur Scriptura, dixit, Sitio.

29 Vas igitur illic erat posito aceto plenum. Illi verò impleverunt spongiam aceto, & hysiopo circumpositam admoverunt ori ejus.

Hunc locum figuratè a Davide, velut typo Christi, de ipso Davide typicè, de Christo verò propriè fuisse dictum, & ita accipi oportere demonstrat historiæ veritas, consentiens Euangelistarum authoritas, & ipsa typorum ratio, quam paulo antè Parallelo 65. explicavimus.

Parallelus LXXXV.

Exod.12.

46 *Os ne confringatis in illo.*

Zachar.12.

10 *Videbunt me quem transfixerint.*

Joha.19.

36 Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, Non confringetur *ullum* os ipsius.

37 Et rursus alia Scriptura dicit, Respicient in eum quem transfixerunt.

Hi duo loci optimè conjuncti sunt, ad testificandam historiæ veritatem, quæ ab Euangelistis describitur. Nam cùm apud veteres id esset in more positum, ut crucifixorum crura (si diutiùs fortè superviverent) per milites suffringerentur, qua ratione exundabat sanguis & præcidebatur facultas vitæ; ostendunt Euangelistæ non temerè fuisse factum, ut Domini nostri Jesu Christi crura non confringerentur; sed Dei providentiam ita ordinavisse, ut antè exspiraret, quàm sese milites ad suffringenda reorum crucifixorum crura accingerent. Quapropter duorum quidem latronum cruribus de more ab illis factum est; sed Christo crura integra atque intacta permanserunt. Tantùm operam dedit miles, ut periculum faceret effosso latere illius, utrùm animam verè egisset, nec ne. Egisse autem demonstravit signum sanguinis & aquæ prodeuntis; nimirum transfosso pericardio & aquæ conceptaculo, quo effuso animal quodvis mori protinus necesse est. Hæc autem eâdem providentia Dei, qua per Prophetas fuerant prædicta, accidisse demonstrat Euangeliographus duobus testimoniis; uno typico, altero propriè simpliciterque dicto. Ac typici quidem illius loci necessariam planè consequutionem esse, vel ex eo ipso quilibet potest cognoscere, quòd typus ille proprius fuit & destinatus ad significandum hoc ipsum historiæ membrum, quod a Johanne singulari studio fuit enarratum, ut ostenderet hoc demum esse verissimum umbræ illius complementum. Nam ita se habere proprios vel destinatos typos Parallelo 24. in Matthæum antè ostendimus. Alterum verò locum, qui ex Zacharia adducitur, similiter Propheticam, sed sine typo, historiam esse illius

illius transfixionis quam Christus in latere suo perpessus est, non solùm Johannes nobis author est, verùm etiam ipsa Zachariæ Prophetæ argumentatio sic verba ipsius accipi flagitat. Nam de regno Christi eo in loco agi, ne ipsi quidem Judæi unquam negare ausi sunt. Illius autem regni effecta duo ordine exponuntur; tum quòd summus Rex noster quæsiturus est, id est, comparaturus & compositurus omnia quæ opus futura sunt, hostibus ipsius profligandis: tum quòd electos suos omnibus donis spiritualibus ornaturus & cumulaturus copiosissimè in Euangelio resipiscentiæ & fidei, quę duo capita sequentibus verbis a Zacharia Propheta describuntur. Cùm autem verba hęc in explicatione prioris illius loci, de pęnitentia sive resipiscentia Christiana, sint posita; omnino ostendit populum Judæorum, aut certè eos de Judæorum gente, qui ad resipiscentiā venturi sunt, conversuros esse aciem oculorum suorum, & animos suos ad Christum, velut authorem resipiscentiæ, & scopum singularem certúmq; fidei; & quidē eam ob causam conversuros, quòd futuri sint conscii cum animis suis, suæ impietatis & injustitiæ in Christum, qui antè ab ipsis fuerit transfixus: Ac proinde illam ipsam transfixionem, quæ sine ullius ossis fractione futura fuerat, signum fore evidentissimum inter cæteras perpessiones Christi, unde visuri sint resipiscentes Judæi Jesum esse Christum, & justissimum planctus argumentum de impietate, & injustitia sua, qua Christus trāsfixus fuerit, habituri. Hęc igitur singula cùm ad eum finem tanta evidentia Zacharias Propheta prænunciaverit; non debet videri mirum, si noster hic Euangelista rem olim perspicuè dictam, sed obscurè a patribus ante complementum ipsius intellectam, ad justam complementi sui historiam accommodaverit; Quæ certè est omnium sanctissima, verissimáque interpretandi ratio. Quòd si quis dixerit, Atqui in hac Euangelistæ nostri historia non agitur de eo planctu & resipiscentia, quam describit Zacharias; in promtu est responsio, Zachariam utrumque descripsisse, planctum piorum, & planctus argumenta: Hic autem non est quidem proprius agendi de planctu piorum locus; sed tamen cum inter cætera sancti piorum planctus argumenta non minimum illud fuerit, quòd & Judæi ipsi & manus impii ex gentibus regem suum transfixerunt Servatorem nostrum; hæc illa pars est ad quam Johannes his verbis respexit propriè; & cujus prophetiam his pauculis verbis quasi commonstrari oportuit, ut Prophetiæ cum Euangelica historia, & complementi Euangelici cum antecedente Prophetia manifesta fieret conformatio.

Joh. 20. 9. Quòd Scriptura de resurrectione Christi adducitur, quia promiscuè solùm, generatimque dicitur; & alibi maximè verò in Actis Apostolicis Scripturæ loci ad confirmationem doctrinæ hujus adducuntur, id nos in Parallelos ad eum librum pertinentes rejecturi sumus.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Parallelus LXXXVI.

Psal.69.

26 *Sint commorationes eorum desolatæ, in tentoriis eorum non sit qui habitet.*

Psal.109.

8 *Curationem illius accipiat alter.*

Act.1.

20 Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio ejus deserta, & non sit qui habitet in ea. Et, episcopatum ejus accipiat alter.

Finis propter quem hi duo loci a Petro in cœtu Ecclesiæ adducuntur, ex statu orationis totius, quam habuit, facilè cognosci potest. Nam oratio est in genere deliberativo, status conjecturalis; qua Petrus docet Ecclesiam, quæ tum interfuit, prospiciendum esse, cum Dominus Jesus Christus ad institutionem Ecclesiæ suæ Apostolos numero duodecim esse voluerit, & præfecturam sive functionem Apostolicam in viros duodecim distribuerit: prospiciendum igitur esse, ne in pauciores cōtrahatur tam gravis & suspicienda administratio: ac proinde unum, in locum proditoris illius mortui, suffici oportere. Sed quia metuendum erat, ne qui scrupulus in mentibus infirmiorum hæreret, quo scrupulo fortasse impedirentur illi ne in opere Dei naviter pergerent; propterea Petro visum est quamdam προθεραπείαν præmittere ante suasionis locum versibus quatuor; qua docet Ecclesiam, non esse partes ullius hominis pii, ut scandali istius nomine se ab officio abduci patiatur: Hæc enim singula jam olim scriptura sacra & authoritate divina fuisse prænunciata, ne quis eo nomine offendi posset. Summa igitur utriusque loci est, prædictum fuisse illud scandalum, ne quis temerè putet accidisse, aut in illud offendat temerè: deinde verò hanc esse voluntatem & mandatum Dei, ut credatur alteri hęc procuratio. Ac prioris quidem loci accommodatio nō potest obscura esse piis mentibus, si ad illud benè attenderint quod suprà in Joannem Parallelo 65. tradidimus: nimirum Psalmum 69. communem esse Davidis secundum typum, & Christi secundum veritatem typi; non autem hujus aut illius proprium, aut communem Ecclesiæ Dei. Cùm enim bene constat de Psalmi illius argumento; eâdem opera constabit, optimè à Petro hunc locum adductum esse, & de proditore Juda pronunciatum. Etsi videbuntur sibi Judęi habere satis, unde hanc Petri interpretationem subruant: & imperitiores fortasse hac specie commovebuntur, quòd permutati sunt numeri in oratione hac; quia de pluribus mentionem fecit David, Petrus verò de uno sermonem tantùm habet. Sed non potest hæc argumentatio interpretationem Petri evertere, aut accommodationem ejus ad proditoris Judæ historiam. Non enim sequitur, si argumenteris in hunc modum; David de pluribus loquutus est: Igitur de Juda minimè. Id quidem sequeretur, de Juda solum minimè loquutum esse. Quod autem de pluribus dictum est, id de hoc aut illo (ut vocant) individuo in numero complurium illorum comprehenso dici verissimum est. Utrumque autem verum est, tum de pluribus a Davide fuisse

dictum

dictum prophetice,tum de Juda proditore a Petro expositum anagogicè:Nam etiam utroque modo verissima est historia. Ac primùm quidem de Judæis omnibus qui contumaciter Christo & Euangelio ejus obstiterunt,verissimè fuisse dictum demonstrat Josephi historia;imprimis autem de bello Judaico:itemque Hegesippi, & aliorum: quemadmodum apertis verbis Christus pronunciaverat Matthæi 23.& 24. De Juda verò seorsim explicari hoc in loco fuit æquissimū; quia in eo tamquam principe conspirationis in Christum exsequendæ, Deus primum exemplum edere voluit severissimę justitię suę,quam in eo Psalmo pronunciaverat.Quod exemplum,ac velut principium exsequutionis divinæ cōmmodissimè adducit Petrus,tamquam pignus & tesseram quamdam in Ecclesia Dei verè depositam, quæ in reliquam gentem superventurum idem judicium obsignaret. Id quidem verum est,non posse ex Scriptura probari, Judæ aliquam fuisse commorationem sive commorationis domicilium; sed optimè solvit hanc objectionem Petrus, quum narrat commorationem Judæ,sive locum ad cōmorationem non fuisse ex facto possessum ab ipso Juda, ad quam Petrus Apostolus hoc loco respexerit: sed tamen etiam ex jure commorationem ejus appellari,quæ fuerit comparata de pecunia ejus. Sic enim hæc verba accipi oportere demonstrat antecedens orationis membrum, quum inquit, *Iste igitur acquisivit agrum ex mercede injustitiæ*;& paulò post,*Innotuitque omnibus habitantibus, Jerosolymis, adeò ut vocetur ager ille propria ipsorum lingua Aceldama,hoc est,ager sanguinis*. Cui sermoni confirmatio ex authoritate Scripturæ subjicitur: *Scriptum est enim in libro Psalmorum*,&c. Quem ad locum Petrus in principio orationis suę respexerat, dicens, *Oportuit impleri scripturam illam*,&c. Nam quę postea interseruntur ad hunc usque versum, hyperbaticè intercurrerunt ad ampliorem rei declarationem.Ab hujus loci accommodatione transitur ad alterum, qui præcipuus est totius orationis locus; nempe alterum virum bonum discipulumque Christi providendum esse, qui subrogetur in locum Judæ, ut suscipiat procurationem ipsius. Quem locum Petrus commoditatis ergô proximè subnectit præcedenti; ab authoritate incipiens,hoc versu;& explicationē authoritatis afferens,sequentibus.Dura quidem esse hujus loci videtur accommodatio,& David Psa.109.ad Judæ historiam minimè respexisse. Sed non propterea quicquid durum videtur esse,repudiari a nobis convenit,aut Spiritus Dei authoritatem contemni. Fateor illud quidem,non agi eo in loco historiam Judę, neque est necessarium ut Psalmum illud de Juda interpretemur ad confirmandā hanc Petri accommodationem.Sed non continuò sequitur,duram accōmodationem esse; quia locus ille non fuit de Juda prophetatus. Est enim hoc genus accommodationis ætiologicum, ac non historicum, prout Parall.6.in Matth.demonstravimus, accommodationes distingui oportere. Id autē est(ut evidentiùs exprimamus)paucis,illud quod volumus: non habetur illic sermo de facto Judæ, sed de jure & æquitate. Hæc enim mens Davidis fuit,juri & æquitati consentiens: præfecturas, administrationes vel procurationes esse pernecessarium est : sed ita ut non committantur improbis; potiùs enim probis quàm improbis committendæ sunt;aut si fortè sunt improbis commissæ,eis adimendæ.Sed omnino præfecturas esse necesse est,& illis bonos præfici æquissimum. Ex hac thesi quam David pronunciaverat, adstruit Petrus hypothesim argumentatione a toto(ut vocant)in quantitate sumta.Prefectura,inquit,

vel

vel procuratio quam Judæ Christus commendaverat sancta est & necessaria Ecclesiæ Dei; Ergo prout jure ipsi adempta est; ita ab altero, cujus conditionē describit sequentibus, eam suscipi necesse est. Necessariam esse, ab authoritate docet: & verò gravitatē functionis, & cōmoditatem Ecclesię istud flagitare, statuit summa apostolorum modestia: qui licet undecim numero essent, conscii tamen erant cum animis suis quam grave esset Apostolatus munus; ac proinde unum superaddi censebant oportere, qui suas partes obiret cum ipsis. Tantum abfuit Petrus ab illa præsidente & sacrilega audacia, ut Apostolicam functionem authoritatémque in manum suam ipsius, aut alterius cujusquam unius hominis, contrahi debere, aut posse putaverit. Nam quis est (inquit Paulus) sufficiens ad ista?

PARALLELUS LXXXVII.

Joël. 2.	Act. 2.
28 *Et erit posteà, effundam spiritum meum in quamvis carnem; & prophetabunt filii vestri, filiæque vestræ: seniores vestri somnia somniabunt, juvenes vestri visiones videbunt.*	16 Sed hoc illud est quod fuit dictum per Prophetam Joël, 17 Et erit ultimis diebus, inquit Deus; Effundam de Spiritu meo in quamvis carnem, & prophetabūt filii vestri, filiæq; vestrę; & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt:
29 *Quin etiam super servos & super ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.*	18 Et quidem super servos meos & super ancillas meas diebus illis effundam de spiritu meo, atque prophetabunt.
30 *Et edam ostenta in cœlo & in terra; sanguinem, & ignem, & elationes fumi.*	19 Et edam miracula in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.
31 *Sol ipse convertetur in tenebras lunáque in sanguinem, priusquàm veniat dies Jehovæ maximus & reverendus ille.*	20 Sol convertetur in tenebras & luna in sanguinem, priusquam veniat dies ille Domini magnus & illustris.
32 *Et erit, ut quisquis invocaverit nomen Jehovæ, eripiatur.*	21 Et futurum est, ut quicunque invocaverit nomen Domini servetur.

VTriusque loci finis est, ut promissionum Euangelicarum veritas ostendatur, & signis divinis confirmetur: Quam rem olim futuram Joël prænunciaverat, Petrus verò ostendit factam. Summa igitur est, omnes promissiones Euangelicas principium suum habere a Spiritus Dei communicatione in Christo Jesu; cujus virtute singulari tum membra Christi perfusa, exundatura sint donis spiritualibus in Ecclesiam ejus; tum signa amplissima cœlo terráque exstitura ad afficiendas hominum conscientias; ut illis velut aculeis pii excitentur ad seriam numinis invocationem, & salutem a Deo consequantur. Itaque non est laboriosa hujus loci accommodatio: cùm ne Judæi, quidem ipsi negent prophetiam illam ad regnum Messiæ, id est, ad Euangelii tempora pertinere; & Petrus ipse instituat eam accommodationem luculentissimè,

luculentissimè, docens hæc illa demum esse tempora quibus incipit Christus cælestia sua dona virtute divina explicare in Ecclesia sua, quę idem porro deinceps continuaturus sit in electis suis. Quod si quę mutationes comparent in hac interpretatione, eæ certè non sunt ejusmodi, quæ scrupulum dubitationis homini mediocriter literato afferre possint. Nam exegetica sunt pleraque eorum, quæ Petrus substituit in propheticæ orationis locum. Quamobrem hoc misso ad locum sequentem venturi sumus.

PARALLELUS LXXXVIII.

Psal.16.	Act.2.
8 *Proponebam Iehovam coram me jugiter, quoniam a dextra mea est, non dimovebor.*	25 David enim dicit de eo, Prospiciebam Dominum coram me semper, quoniam est mihi ad dextram, ne concutiar.
9 *Propterea lætatur cor meum; & exsultat lingua mea, etiam caro mea habitat securè:*	26 Propterea oblectatum est cor meum; & exsultavit lingua mea, atque adeò caro mea in spe requietura est:
10 *Quia non es derelicturus animam meam sepulchro, neque traditurus eum quem benignitate prosequeris ut videat corruptionem.*	27 Quoniam non derelinques animam meam in sepulcrum *abeuntem*, neque daturus ut sanctus tuus videat corruptionem.
11 *Notam fecisti mihi viam vitæ, satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum, dextra tua in æternitatem.*	28 Notas fecisti mihi vias vitę, impleturus es me jucunditate in conspectu tuo.

QUod Propheta David Psal.16. adducebat olim ad fidei suæ confirmationem, de historia ventura Christi; id Petrus Apostolus hoc loco adducit similiter ad publicæ fidei in Ecclesia stabilimentum, & Judęorum evictionem. Finis igitur utrobique est, ut piorum fides ab historia Christi confirmetur, & perfidia idololatrarum subruatur. Summa, nihil ad utrumque hunc finem consequendum pios accommodatius posse percipere, quàm si fide certa cùm Dominum Jesum Christum indesinenter sibi etiam in ipsa morte præsentem cernāt, tum ex resurrectione ipsius apud animos suos de suę carnis resurrectione confirmentur, & vita æterna. Atque hæc duo illa sunt, quę a Propheta ordine proponuntur. Nam præsentiam Christi, operationémq; perpetuam illius his verbis confessus est, *Prospiciebam Dominum coram me jugiter.* &c. Resurrectionem verò carnis & vitam æternam sequentes versus exponunt commodissimè: Ad quam orationis partem Propheta transiit versu 9. a fructu spiritualis lætitiæ nostrę, ad causam illius assurgens convenientissimè. Sanctissima est igitur verissimaque hujus loci accommodatio, qua Apostoli hoc loco & aliis non paucis usi sunt. Mutationes verò paucæ, quæ quidem lectorem movere possint; si versum ultimum exceperis, in quo brevitatis causa vox una mutata, quædam omissæ sunt. Sed quia fortasse non satis foret evidens instituta a Petro accommodatio, nisi indicaretur operâ nostrâ & illustraretur aliqua explicatione; paucis singula Propheticæ orationis membra cum

oratione Petri opus est comparari. Antequàm igitur Petrus commonstret hujus orationis complementum in Christo Jesu, optimè præmisit *ἀνάιρεσιν*, sive negativam (ut vocant) versu 29. fieri non posse ut de Davide hæc accipiantur; cum huic sermoni, si de Davide accipitur, eventus repugnet planè, cujus Judæos ipsos appellat testes. Hoc fundamento posito, sequitur affirmatio; Davidem hæc omnia de Christo pronunciavisse. Ac primùm quidem de persona Christi, ostendit Petrus Davidem cognovisse quæ cognosci fuit opus, ad justam fidei constitutioně. Nam & personam Christi, & officium ejus, & beneficium erga nos illis verbis fuisse expositum. Personam Christi jam tum substitisse, ut qui æternus est Dei filius idémque Jehova cum Patre & Spiritu sancto in unitate essentiç, testabatur David quum diceret: *Prospiciebam Dominum siue Jehovam coram me semper.* officium verò illius sequentibus verbis proposuit dicens, *quoniam est mihi ad dextram, ne cōcutiar.* Beneficia deniq; in reliqua narratione prophetica descripsit accuratissimè, ab effectis ad causas assurgendo; & contrà a causis ad effecta (quæ certissimç demonstrationes sunt) revertendo. Ab effectis ad causas Propheta devenit, quum pacem & gaudium in sancto spiritu à se testatur percipi: Sed spiritualis hujus lætitiæ causam esse Christum; qui ex perpessionibus & morte, quam nostra causa subiit, adeóque ex sepultura emergendo, triumphaturus sit de morte & eo qui mortis principatum obtinet, Davidémque ipsum & electos omnes pretio sanguinis sui a morte vindicaturus, vers. 9. & 10. Deinde verò in versu ultimo, a causis ad effecta devenit. Nam causam illius vitæ, quam pii percepturi sunt, esse doctrinam fidei, quæ via est ad vitam; sive doctrinam Euangelii, quod definit Apostolus *potentiam Dei ad salutem cuivis credenti.* Effectum verò, esse vitam æternam conspectu Dei jucundissimo plenissimè perfruentem. Hęc itaque singula Petrus percurrit paucis: de persona Christi & dignitate ipsius, vers. 30. de officio & beneficiis, versu sequente; ea singula contrahens quę ad institutum argumentum visa sunt pertinere. Quæ cùm ita sint, quis certiorem aut fideliorem Spiritus sancti interpretem desideret, quàm Spiritum Sanctum ipsum, qui per os Petri hęc proloquutus est? Objicient forte nonnulli, sivè plus æquo inhærentes Judæorum commentationibus, sive aliorū præjudiciis abrepti, alienā videri a Davidis mente hanc interpretationem. Sed bona ipsorū pace non potest melior aurei illius Psalmi afferri explicatio, quàm quæ a Petro hoc loco ostenditur. Proposuerat enim Propheta suum perfugium esse unicum in Deo; ut qui in electos suos omni tempore sit beneficentissimus; neque unquam fore ut afflictionum & persecutionū procellis jactatus Deo renunciet, quatuor versibus. Hanc fiduciam enarrat reliquo in Psalmo; tum quia Deus est portio & hæreditas ipsius, tum quia dux atque magister est, qui nos docet viam ad hæreditatem illam adeundam, vers. 5. 6. & 7. Hanc ætiologiam fiduciç & constantiæ suæ deinceps confirmat a cognitione singulari Domini & servatoris nostri Jesu Christi; idque eo ordine quem antè exposuimus; Personam, officium, beneficiaque ipsius secundùm illam pietatis formam explicans, quam docemur Euangelio. Malumus itaque his rebus omnibus expensis, Davidis verba cum Petro intelligere, quàm alienis verbis a Davidis & Petri mente, & a testimonio Spiritus sancti aberrare.

Rom. 1. 16.

Act. 2. 34. Hic Davidis locus perspicuus est, & jam antè in Matthæi Parall. 44. explicatus.

Parallelus LXXXIX.

Deut. 18.

15 *Prophetam suscitabit tibi Jehova Deus tuus e medio tui, e fratribus tuis, sicut me: Auscultabitis ei.*

18 *Et indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præcepero ipsi.*

19 *Erit autem, ut quisquis non auscultaverit verbis meis, quæ loquutus fuerit in nomine meo, ego reposcam ab illo.*

Act. 3.

22 Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester ex fratribus vestris, sicut me: ei auscultabitis, secundùm omnia, quæ loquutus fuerit vobis.

23 Futurum est autem, ut quæcunque anima non auscultaverit Prophetæ illi, disperdatur è populo.

Finis utrobique unus & idem est, ut Christus Mediator Dei & hominum demonstretur Ecclesiæ; olim quidem exspectandus, ut à Mose prænunciabatur; jam verò exhibitus & patefactus in carne, ut à Petro ostenditur. Summa est, Deũ laboranti ex infirmitate populo, & minimè ferenti vocem & conspectum majestatis ipsius, ac propterea mediatorem exposcenti sive interventorem, ut Jureconsulti vocant; tum quidem Mosem instituisse, qui obiret interventoris partes; sed quia Ecclesiam ipsius in his terris singuláque illius membra semper eadem tenet infirmitas; Deum non tum temporis solùm prospexisse Ecclesiæ suæ de Mediatore utili & commodo; sed in perpetuum de vero, æternóque Mediatore vel interventore providisse, qui Mosi similis esset, & illis Mediatoris partibus perfectè æternúmque defungeretur. Ac similis quidem Mosi Christus fore dicitur; quia mediatio Mosis quædam umbra fuit mediationis Christi, & corpus suum in Christo obtinet: ac proinde Moses, velut typus, Christo similis est, & vicissim Christus Mosi, ut typi veritas. Partes verò mediationis, quæ de Christo ibidem prędicantur, omnes ad unum hoc illius officium pertinent, nempe quatenus est Propheta vel Doctor Ecclesiæ suæ. Quamobrem minutatim per Mosem Dominus conditionem officii illius demonstravit: Primùm vocationem divinam personæ illius, in qua exstitit Mosis corpus & veritas: Secundò, veritatem in præstando perficiendóque officio: Tertiò, authoritatem, qua constitutum est, ut ipse nos doceat & nos docentem ipsum audiamus: Postremò autem eventum, quem gravissimum sortientur ii qui sermoni ipsius non auscultaverint. Atque hæc quidem justa est verborum Mosis accommodatio; qua Petrus adeò usus est graviter & commodè, ut nemo per illud tempus ausus fuerit interpretationi ipsius obloqui; etsi brevitatis causa rescinduntur quædam, & alia contrahuntur ex duobus versibus Deuteronomii, perparum inter se discriminis in loquutionis modo habentibus. Quapropter nihil necesse est, ut in re tam perspicua explicanda, puta in hujus mutationis causa, immoremur. Id verò gravissimum est, quòd plerique omnes putaverunt Mosem propriè de toto ministerio vel ministrorum Ecclesiasticorum copore agere; sed hoc loco eadem Mosis verba analogicè Christo, velut capiti, à Petro accommodari. Bona omnium venia, accommodationem Petri propriam esse judico. Quam in sententiam me omnino cogit cùm Mosis ipsius argumentatio, tum Petri authoritas, & Stephani consensio, Act. 7. 37. De Petri ac Stephani accommodatione demonstranda,

demonstranda, non est cur laboremus. Extant enim loci ante oculos omnium. Mosis verò argumentationem flagitare, ut hæc teneatur interpretatio; etsi ex communi illo Judæorum, æquè malorum ac bonorum, silentio confirmari potest, quo omnes utebantur quādo hæc a Petro Stephanóque dicta sunt; tamen ex ipso Mose hac via demonstrabimus. Summa propositio Mosis hæc fuit: *Integer esto cum Jehova Deo tuo.* Quam integritatem & συνακολούθησιν Dei a Mose imperatam illustrat comparatio ex contrario, sequente versu. *Nam gentes istæ*, inquit, *quarum tu heres futurus es, planetariis & divinis auscultant; de te autem non sic permittit tibi Jehova Deus tuus:* quasi dicat, Isti nec integri sunt, nec integrè sequuntur Deum: te autem alia decet integritas atq; obsequium. Huic mandato statim objecturi fuissent Judæi; Et quomodo, quæso, possumus ambulare cum Deo, & integri cum illo esse, qui nec audire vocem illius, nec ignem maximum, quem inhabitat, videre possumus, quin repentè moriamur? Tu enim nobis non semper adfuturus es; sed propediem moriturus; ut Deus interminatus est, & tu ipse indicavisti nobis, suprà Deut. 1.37. & 3.23. Hanc itaque objectionem Moses anticipans, Judæis ostendit id quidē verum esse, nempe Deum habitare lucem inaccessam, & populum mediatore habere opus, cujus interventu coram Deo integrè ambulare possit: sed quia necessitas illa populi vel Ecclesiæ Dei tantisper futura est, dum in terris vivimus; propterea Deum Patrem facturum esse, ut Ecclesia mediatorem unum vel intercessorem habeat, qui Mosi succedat & in æternum mediatoris officium inter Deum hominésque fungatur absolutissimè, cum authoritate & potentia summa. Ac proinde Judæis, qui Mosem antè petiverant ut mediatoris partes ageret, non esse laborandum de mediatore altero: Jam enim Deum recordatum postulati illius, quod Judæi a Jehova in Chorebo die congregationis fecerant, de Mediatore providisse; qui mediator non solùm agat pro populo apud Deum Patrem, verùm etiam ipse & cum populo agat verbis Dei Patris, & cum Prophetis omnibus, quos suo nomine ad Ecclesiam Dei allegaturus est. Hæc ita se habere series ipsa argumentationis commonstrat. Nam primùm promissionem hanc Moses enunciat, versu 15. & occasionem ejus, 16. deinde promissionem eamdē ab authoritate Dei confirmat, vers. 17. & sequent. Ac postremò eamdem promissionem explicat ab eventu & usu illius, reliquo capite. Ex his igitur omnino conficitur, neque de toto Prophetarum corpore in hac promissione agi; sed de capite illorum solùm: neque de alio Propheta, quàm de Jesu Christo Propheta & Apostolo confessionis nostræ, æternóque Mediatore nostro.

Deut. 18.13.

PARALLELUS XC.

Genes. 22.	Act. 3.
18 *Et in semine tuo benedictionem sibi collatam profitebuntur omnes gentes terræ.*	25 Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.

Finem horum sermonum Petrus disertè explicat verbis antecedentibus, dicens, *Vos filii estis Prophetarum & testamenti vel dispositionis illius quam disposuit Deus*, &c. nempe ut Judæorum gens agnosceret fœdus illud & testamentum Dei ad se pertinere. Summa igitur

est,

est, Deum quidem fedus suum & dispositionem gratiæ in Ecclesia sua humano generi jam olim exposuisse per Prophetas suos; sed speciatim cum Patribus gentis illius inivisse, atque cum Abrahamo credentium Patre pepigisse, fore ut ipsius benedictio ad ipsum gentémque ipsius primò pertineret, utpote qui secundùm carnem genitutus esset illud benedictionis semen, à quo ad Judæos primùm, deinde verò ad cæteras familias terræ dimanatura esset benedictio. Atque hanc justam esse hujus loci intelligentiam, non solùm Petri verba, quæ mox subjiciuntur, ostendunt, dicentis, *Vobis primùm Deus excitans filium Jesum misit eum, benedicturum vobis*, &c. verumetiam ipsa loci natura postulat. Nam quum in semine ejus benedictionem ad alios derivatum iri promittit Deus; omnino alterum necesse est, seminis vocem aut sylleptice accipi, aut singulariter. Ac de uno quidem & singulari aliquo necessariò accipi oportere, ipsa divinarum promissionum consequutio docet manifestissimè. Priùs enim sylleptice de toto Abrahami & Isaaci genere egerat Deus, dicens, *Benedicam & multiplicabo semen tuum, ut sit numero tanquam stellæ cæli & tanquam arena in litore maris, & semen tuum possessurum est portas inimicorum suorum*. Cum hoc autem posteriori membro nulla ratione convenire potest alterum hoc membrum quod proximè sequitur, nisi de certo & singulari homine accipiatur, Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes gentes. Nam illud semen dici non potest simul & portam inimicorum possidere, & benedictionem in omnes profundere; cùm illud sit pœnæ, hoc beneficii: illud cum aliis communicari possit, ut pœnis afficiant adversarios, hoc beneficium sit singulare & proprium Christi, ut benedictionem in omnes, tum Judæos, tum etiam gentiles, effundat ex Dei Patris promissionibus. De Isaaco autem multo minùs hæc dici possunt, quam de gente Judæorum tota. Restat igitur ut de Christo intelligatur convenienter fidei: cùm neq; de semine illo latiùs accepto, neq; de Isaaco promissio hæc beneficiúmq; commodè prędicari possit.

Act.4.11. Davidis locus explicatus est in Matthæum Parallelo 40.

PARALLELUS XCI.

Psal.2.	Act.4.
1 *Quare tumultuatæ sunt gentes, & populi meditati sunt inane?*	25 Quare fremuerunt gentes,& populi meditati sunt inania?
2 *Adstiterunt inter se reges terræ, & proceres consultaverunt simul contra Jehovam & contra Christum ejus.*	26 Adstiterunt reges terræ,& principes coacti sunt eòdem contra Dominum & contra Christum ejus.

Vtroque in loco finis communis est, ut exponatur contradictio peccatorum adversus regnum Christi, & quidem maximè inde ab adventu illius; & Ecclesia illius adversus scandalum crucis confirmetur. Discrimen in eo est, quòd David futurum prophetabat, Petrus demonstrat factum. Ac Davidis quidem locum alii simpliciter de Davide confirmant accipi oportere: alii de Christo simpliciter: alii denique de Davide & Christo: quorum ille typus fuit, hic typi veritas. Prima sententia Judæorum est, doctrinam de Christo, quo ad ejus fieri potest,

potest, subvertentium: secunda Patrum Orthodoxorum maximè: tertia apud homines nostros recepta est. Ac prima quidē non solùm Psalmi ipsius argumento; verum etiam consequutione & ordine ipso evertitur. Nam argumentum tam manifestò ad regnum Messiæ pertinet, ut ne Judæorum quidem obfirmatissimi id negare possint; quia Jehova filium suum compellat, Prophetam, Sacerdotem & Regem instituit, hæreditatem attribuit totius orbis, omnipotentiam assignat, omnibusque gentibus cultum, reverentiam, & metum, ac denique fidem in eum imperat. Quæ omnia nemo, nisi blasphemus, de homine puro puto prædicare potest. Consequutione verò subruitur eadem interpretatio; quia Spiritui sancto per Davidem visum est in ipso Psalmorum aditu summam doctrinæ cælestis comprehendere: Legis quidem, Psalmo. 1: Euangelii verò & fidei in Christū, Psal. 2. Altera verò sententia quam Patrum esse diximus, est longè tolerabilior. Nam etsi quædam sunt quæ de Davide accipiuntur commodè, tamen non dubium est, quin præcipuus illius scopus eò pertineat, ut Christi regnum adversariorum conatu, compellatione, denunciatione, & subversione tandem eis superventura illustretur. Quæ res interdum quidem a Davide, ut typo, percepta est; sed veritate in Christo consummata. Quamobrem sive secundo, sive tertio interpretationis modo placeat accipere, nemo pius non est visurus optimè ab Apostolis in hunc locum Davidis verba allegari. Mihi secundus probatur omnium maximè: quod bona bonorum pace dictum. Etsi non nego rerum suarum occasione eò venisse Davidem, ut fide ad regnum Christi respiceret. Summa igitur est, Quemadmodum olim David prædixerat, ita in hoc tempore personæ Christi accidisse, versu 27. & 28. ac proinde meritò Apostolos, per synedrium Judæorum acerbè increpatos, fiduciam suam hoc loco exponere, & per eam petere a Domino ut qui sedet in cælis rideat, Dominus subsannet eos, alloquatur eos in ira sua, & conturbet eos, *dans servis suis, ut cum omni libertate loquantur sermonem suum*, &c. versu 29. & 30. Mutatio in verbis nulla est, quæ hominem pium & mediocriter doctum remorari possit. Nam tumultuationem synecdochicè designat fremendi verbum. Quòd autem Psaltes reges se stitisse dicit, commodè exponitur verbo παρέστησαν; quod verbum perinde sonat, atque si dixeris alios cum aliis sese sistere. Postremò autem consultandi verbo respondent illa συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, convenerunt in idem: Quam conventionem ego quidem non de præsentia corporum (quam propheta antè exposuerat) sed de animorum consensione accipi puto oportere; ut sequentibus Petri verbis non obscurè confirmatur.

PARALLELUS XCII.

Act. 7.

2 Deus ille gloriæ visus est Patri nostro Abraham, quum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret Charrane: &c. quæ sequuntur.

Finis totius hujus orationis non aliunde quàm ex occasione, propter quam habita fuit, petendus est. Occasionem autem narravit Lucas præcedente capite: nempe adversarios, qui altercantes cum Stephano non poterant resistere sapientię & spiritui per quem loquebatur, subjecisse viros qui dicerent Stephanum *blasphema verba in*

Mosem

Mosem & Deum protulisse: sive (ut idem deinde explicat) *blasphema verba adversus locum sanctum, vel templum Dei, & Legem a Mose traditam.* Hæc occasio fuit Stephano, ut sanctissima hac oratione ad nefarias illorum criminationes responderet. Finis igitur hic fuit; ut non solùm fidem elevaret testium, quos tamen simplice & pura negatione poterat refellere, fretus Dei & conscientiæ suæ testimonio, nisi specie Legis se testium numero intercludi animadvertisset, verum etiam ut pietate & fide sua gravissimè exposita concilium, coram quo stabat, evinceret non potuisse fieri, ut vir eâ doctrinâ, pietate, & sanctimonia instructus, blasphemas voces effunderet, cujusmodi a testibus in ipsum conjiciebantur. Itaque fuit quidem ille proprius finis & pernecessarius, ut testes refelleret: sed quia neque per injuriam testium, neque per indignationem judicum, neque per commoditatem piorum (quos alioquin apud æquos judices utile fuisset produci testes) operam dare potuit elidendis illorum testimoniis: eò Stephanum adduxit Spiritus sanctus, ut modestissima quadam insinuatione statueret potiùs probari fidem suam apud judices oportere, quàm alienam labefactari: quorum prius si in consessu potuisset obtinere; vicisset posterius, & falsorum testium injuriam a se commodissimè depulisset. Id autem ut assequatur, hanc summam orationis sibi constituit ipse; primùm, ut testaretur se ad Dei fedus, quod cum Abrahamo jam olim iniverat, pertinere, tum Mosis authoritatem veritatémque Legis asserere, ut qui maximè: Præterea agnoscere summam dignitatem, quam Deus templo indiderat præsentia sua, & sanctificatione illius: postremò hæc omnia non verbis, aut ventosa & inani gloriatione; sed fide & obsequio a fidelibus Dei servis agnosci: & ab his omnibus cum majores illius gentis jam olim defecisse quamplurimos ex prophetarum sanctorum testimonio; tum eos qui aderant & tanta indignitate cum ipso agebant, summa perfidia discedere. Est igitur oratio tota primùm quidem apologetica, deinde verò antenclematica: quia non solùm a se depellit criminationem objectam, sed in eos ipsos retorquet quibuscum de causa ipsius agebatur. Cæterùm cùm tota hæc oratio ex Testamento vetere petita sit, si exceperis postremam partem ἀντεγκλήματος, & pleraque narrationis membra citra omnem dubitationem cum locis Testamenti Veteris consentiant evidentissimè; non videtur opus, ut in comparandis singulis tempus consumamus; sed prudentiæ Lectoris & fidei permittemus, ut ipse exploret ejusmodi locorum comparationem. Quamobrem nudos tantummodò, in iis quæ perspicua sunt, locos annotabimus. Argumentum versuum quatuor, puta secundi & trium sequentium, habetur cap. 11. & 12. Geneseos. Versus sextus & septimus ex Genes. 15. petitus est. Octavus ex Geneseos, 17. & 21. & 25. & 29. & 30. & 35. Nonus, ex Geneseos 37. Decimus, ex Geneseos 41. Undecimus & quatuor sequentes, ex reliquo libro Geneseos. Sed in versu 14. videtur prima specie Stephanus a veritate historiæ discessisse, quum omnem cognationem Jacobi sive Josephi capitum 75. fuisse narrat: quandoquidem e diverso Moses Geneseos *46.* (quem locum citra controversiam hic spectavit Stephanus) animas aut *66.* ex Jacobi femore profectas, aut *70.* comprehenso Jacobo & Josepho, duobúsque filiis ipsius fuisse narret. Ac varia quidem ratio his locis inter se conciliandis jam olim fuit investigata a sanctis Patribus; quorum testimonium atque authoritas facit, ut in sententiam eorum descendere (bona ipsorum venia) non possim, qui

corrupta esse verba Stephani apud Lucam judicant; sive omnino vocem πέντε statuant deleri oportere, sive πάντας pro πέντε suffici. Omnibus autem aliis conjecturis citra cujusquam præjudicium missis, perplacet mihi illa conciliationis via, qua Epiphanius usus est Tom. 1. lib. 1. his verbis, κάτεισι τοίνυν, ὡς προεῖπον, ὁ Ἰακώβ, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ υἱοὶ καὶ γυναῖκες, καὶ ἔκγονοι ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς ἀριθμηθέντες εἰς Αἴγυπτον, ὡς περιέχει ἡ πρώτη βίβλος τῆς κατὰ Μωϋσέα πεντατεύχου. Hæc conciliationis via, ut a lectore melius retineri possit; ita statuendum est, triplicem numerandæ familiæ Jacobi modum eo in loco a Mose servatum esse. Primus est, quo numerat Moses eas solùm animas quæ egressæ sunt cum Jacobo in AEgyptum, sed egressæ e femore ejus, exceptis uxoribus filiorum ejus: atque hę numero 66. fuisse dicuntur versu 26. Secundus est, quo totius gentis, comprehenso Jacobo, Josepho, & duobus filiis ipsius, numerus exponitur. Hos autem quatuor, Jacobum, filium, & nepotes duos, si ad superiorem numerum adjunxeris, assurgit numerus capitum 70. ut Moses ipse refert versu 27. Tertius denique est, quo numerus capitum omnium ad familiam Jacobi pertinentium & circumscriptorum suis nominibus, prout in recensione Mosis exstent, in summam unam contrahitur; nimirum comprehensis quatuor Jacobi uxoribus, & duobus Judæ filiis, quos in Cananæa Deus exstinxerat. Nam cùm Mosis 70. animas in universum fuisse narrat, comprehenso Jacobo, Josepho, & filiis ejus qui in AEgypto habitaverint; omnino 76. comprehensis nominibus uxorum quatuor, duorúmque filiorum Judæ, qui antè occubuerant, futuri sunt. Ex hoc autem numero nominatim expungitur Jacob, quum dicit Stephanus, *accersivit patrem suum Jacob, omnémque cognationem ejus, capitum* 75. Atque hoc ut fiat commodiùs, res evidentissima futura est, si ellipsim articuli Græci statueris, aut etiam eum ipsum articulum qui antè præcessit ad hoc membrum accommodaveris, tanquam si legeretur, καὶ πᾶσαν συγγένειαν αὐτοῦ τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. Hæc mihi quidem omnium commodissima videtur ratio, & cum authoritate, ac veritate Scripturæ consentiens. Neque verò me ab hac interpretatione dimovent duæ illæ objectiones, quæ in hunc locum afferri possunt. Una, plura capita a Mose recenseri: Altera, non videri interpretationem hanc ad consilium Stephani & argumentum pertinere. Nam ut ad utramque respondeamus paucis, ita statuimus, objectionem utramque istam a vero alienam esse. De priore facilis est demonstratio. Stephani verba sunt, *Josephum accersivisse patrem suum Jacobum, omnémque cognationem suam, capitum septuaginta quinque.* Atqui majorem fuisse cognationem illius vel eo ostendit Moses, quòd disertè his verbis utitur, *exceptis uxoribus filiorum Jacobi.* Nam hæ quoque omni jure ad cognationem pertinuerunt, & dubio procul in AEgyptum cum viris suis profectæ sunt. Quòd si totam cognationem accersivit Joseph, ea verò ex septuaginta quinque solùm capitibus dicitur constitisse; cùm totidem capita a Mose numerentur, alter-utrum confici ex rebus istis oporteret; aut eorum partem, quos Moses numerat, cum uxoribus profectam esse in AEgyptum, partémq; in Cananæa substitisse; aut ea solùm capita profecta esse quæ a Stephano numerantur, & quæ Mosis expressit nominatim, non comprehensis uxoribus, quamvis ad cognationem pertinentibus. Atqui si totam cognationem comprehensis uxoribus non accersivisset Joseph, fuisset inhumanum factum: Sin verò accersivit totam, ea

certè

certè numerum hunc plurimùm superavit. Restat igitur hæc conciliationis via: ut ea capita numerari hoc loco a Stephano in apologetico suo statuamus, non quidem omnia quæ accersivit Joseph (nam multo plura capita in familiis exstiterunt) neq; patres-familias solùm (nam hi pauciores futuri sunt, ac ne septuaginta quidem, utcunque numerentur) sed ea capita, quæ nominatim in descriptione sua Gen. 46. Moses recensuit. Hic verò altera occurrit objectio: Nihil pertinuit, inquiunt, ad consilium Stephani, ut numerum propriorum nominum, quę in locum illum retulit Moses, in narratione hac observaret. Respondeo, Imò verò si quam aliam numerandi viam sequutus esset, non fuisset assequutus consilium suum: sed assequutus est; quia ipsius instituto omnino convenit hęc numeratio. Aliam si adhibuisset, ea certè aut obscura fuisset, aut etiam incerta. Obscura, si narrationem suam, quam maximè decet simplicitas, exceptionibus & circumscriptionibus involvisset, dicendo, omissis his aut illis, vel adjectis his aut illis, & si quid est ejusmodi: incerta fuisset, si uxores aut familias integras statuisset circumscribere. Denique utrovis modo numerum cognationis retulisset, non defuisset adversariis argumentum quod reprehendissent, omissáq; principali causa exagitavissent. Quamobrem optimè instituto illius convenit hæc numerandi ratio: tum quia præcisè numerum animarum, quas certis nominibus recensuit Moses, his verbis persequutus est, & prævaricaturis eripuit argumentum improbitatis suæ; tum quia ratione hac demonstravit luculentissimè, se tantùm abesse a sermonibus blasphemis in Mosem pronunciandis, ut contrà in rebus etiam levioris momenti religiosissimè Mosem sequutus sit, & singulas veluti syllabas illius in numerato habuerit. Nam citra omnem controversiam, propria nomina totius cognationis illius, excepto Jacobo (cujus nomen seorsim præposuit Stephanus) eo in loco Geneseos non plura exstant quàm septuaginta quinque, prout hic Stephanus recenseri a Mose docet. Atq; hanc interpretationem Epiphanius olim tradiderat, ut antè diximus; & Syrus quoque interpres, quamvis obscuriùs, videtur innuisse.

Versus 16. ex Geneseos, & Josuæ ultimis cap. petitus est: neque minùs videtur laboris esse in pervestiganda justa illius interpretatione, quàm fuit in explicando proximè præcedente loco. Quapropter alii truncandum esse versum putaverunt: alii mutandum nonnihil: alii transponendum: alii deniq; interpretationes alieniores commenti sunt, ut sartam tectam hujus sacri contextus authoritatem conservarent. Atque hic finis fuit quem ante annos aliquot spectavimus, quum Arabicam illam Translationem in lucem ederemus: ubi postremum membrum illius versus metalepsi quadam sic sumus interpretati, ut si legeretur, *Positi sunt in sepulcro quod emit Abraham pretio argenti, quo delati fuerunt Sichemo a filiis Emmoris, ut cum Abrahamo, & majoribus suis reliquis conderentur.* Sed quia neque officiosum est, neque necessarium diu in labefactandis aliorum interpretationibus immorari, quas citra cujusquam præjudicium suo loco relinquimus, causas afferam quibus nunc demum cogor discedere a mea illa anteacta interpretatione: neq; pudebit me unquam, qui bonorum fidem, diligentiam, judiciúmque in his rebus summa religione investigandis, admiror & colo, veritati cõpertæ subdere judicium meum, aut ab aliis expositæ. Duæ sunt igitur causæ potissimùm, quæ me ab ea interpretatione abduxerunt. Una, quòd in principio versus habentur hæc verba, *Translati sunt in Sichem.* Hæc

autem verba, ut etiam ea quæ habentur in fine versus, omnino essent ἀξιαπολογίσμενα, si Patriarchæ omnes in agrum & speluncam translati essent ab Abrahamo comparatam. Cur enim potiùs Stephanus hic Sichemi, quàm Jordanis, aut alterius loci meminisset? præsertim cùm istius Sichemi nulla exstet mentio, ubi narratur elatum fuisse Jacobi corpus; sed Jordanis maximè. Altera caussa est, quòd præpositio Græcorum παρὰ in hac consequutione, (si bene memini) non admittit motus de loco significationem: mihi verò non est probabile usitatæ huic consequutioni novam significationem adoptari oportere: & quidem minimè omnium oportere, si qua alia commoda interpretandi ratio excogitari & afferri potest. Ut illud taceam, quod Hieronymus in Paulæ Epitaphio duodecim Patriarchas ad Sichemum sepultos narrat, Josephus verò ad Chebronem: quia pars hic, pars illic sepulta est, prout commodum posteris videbatur. Quod in hoc versu non obscurè Stephanus innuit dicens, *Qui Jacob & patres nostri* (ac non duodecim Patriarchæ solùm) *translati & positi sunt, pars in Sichem*, pars verò positi *in monumento, quod emerat Abraham pretio argenti*, &c. Sequentia igitur verba perinde interpretamur, ac si articulo expresso legeretur παρὰ τὸ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ: quasi dicas, præter monumentum illud, quod Jacob a filiis Emmoris patris Sichemi legitur comparavisse, sub finem capitis 33. Geneseos. Quem utrumque locum Israëlitæ reduces ex AEgypto in religione summa habuerunt; prout de Abrahami monumento Jacob ipse caverat Gen. 47. de Jacobi verò possessione mulier illa Samaritana testis est Joh. 4. & alii confirmant Scripturæ loci. Insolentem verò non esse ellipsim articuli, quam in hoc loco statuimus, nemo ignorat, qui vel mediocriter in lectione Testamenti Veteris & Novi versatus fuerit: prout nos etiam cùm alibi sæpè, tum in Parallelo 2. annotavimus in caput Matthæi primum.

Lib. Antiquit. 2. Cap. 4. Edit. Græc.

Versus decimus septimus, & duo sequentes, ex primo cap. Exodi depromti sunt: ex secundo ejusdem libri, versus sequentes decem: qui hos sequuntur proximè, sex versus numero, capiti tertio Exod respondent: Versus trigesimus sextus summam historiæ de profectione Israëlitarum, quam Moses in reliquo Geneseos opere descripsit, complectitur: Versum 37. paulo ante in Parallelo 89. explicavimus. Versus trigesimi octavi argumentum partim cum 19. capite Exodi, partim cum sequentibus convenit. Versus 39. & duo sequentes, ad illam historiam pertinent, quam narravit Moses Exod. 32. Versus quadragesimus secundus ad historiam pertinet rerum ab Israëlitis gestarum, ex quo tempore exploratores ad castra ipsorum redierant, Numer. 13. & ad universam temporum subsequentium historiam non solùm a Mose, verum etiam ab aliis Prophetis scriptam quos Deus post Mosis tempora excitavit. Confirmatio verò ex vehementissima Prophetæ Amos exprobratione petita est: cujus verba ἐκ παραλλήλου evidentiæ ergò cum explicatione Stephani opus est comparari.

Amos. 5.	Act. 7.
25 *An sacrificia & munus obtulistis mihi in deserto ipso quadraginta annis, ô domus Israëlis?*	42 Num sacrificia & munera obtulistis mihi annis quadraginta in deserto ipso, ô domus Israëlis?
26 *Imò portastis tabernaculum Melechi vestri, & basin imaginum*	43 At sumtum bajulavistis ta-

vestrarum,

vestrarum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.

27 *Itaque deportabo vos ulterius Damascenis, inquit Jehova, cui Deus exercituum nomen est.*

bernaclum Molochi, & sidus Dei vestri Remphanis, imagines quas feceratis, ut adoraretis eas: itaque sum translaturus vos trans Babyloniam.

HI duo loci quàm benè inter se conveniant, etsi non obscurè demonstrat nostra hæc παραλληλόγραμμος cóparatio: tamen quia in verbis aliquid varietatis est, quod imperitiores fortè abripere in dubitationem possit; quicquid varietatis est paucis in hoc loco explicabimus. In priore versu nihil a Stephano fuit immutatum. Nam etsi vulgo θυσίας nomen sacrificium exponi solet, id est, σφάγιον, quod antè Stephanus nominavit: id tamen certum est, cùm ex Septuaginta interpretatione, tum ex Novi Testamenti comparatione, Græcam illam vocem æquè pro munere & oblatione, ac pro sacrificio accipi; quemadmodum etiam apud probatos authores Græcos conjugatum verbum θύειν non solùm mactare & sacrificare significat; verùm etiam suffire atque adolere sive offerre munus, quod Hebræis Mincha appellatur. Nec aliter Irenæus lib. 4. interpretatus est, quum locum Malachiæ Prophetæ adduceret. Id tantùm interest, quòd singularem Prophetæ vocem plurali numero Stephanus interpretatus est; ut singulare nomen interpretandum esse doceret συλληπτικῶς. In altero versu plus varietatis est, non solùm immutatis aliquantulum vocibus, verum etiam aliis adjectis & aliis abjectis pro commoditate loci. Etsi (ut sæpè ante hac monuimus) adjectiones mutationésque pertinent ad illustrandum locum; detractiones verò propterea factæ sunt, quòd, quæ videntur hîc deesse, ea ad hunc locum nihil opus essent. Mutatio autem prima est, quòd pro nomine idoli Melech, Stephanus reposuit Moloch, qui idem Milcom appellatus est 1. Reg. 11. 5. & Regem significat. Alterum quoque istud mutationis est, quòd transpositis membris, quæ apud Prophetam exstant diverso ordine, Stephanus priore loco nominat *sidus Dei illorum*, & posteriore, *imagines*. Sed hoc ad commoditatem consequutionis, & evidentiam magis visum est pertinere. Postremò illud quoque mutationis est, quòd loco illarum vocum, *Deportabo vos ulterius Damascenis*, explicationis ergô Stephanus hoc modo reddidit, *Deportabo vos trans Babyloniam*, spectans nimirum fidem historiæ sacræ, & rei gestæ veritatem. Adjectio duplex est; Una, quòd nomen Dei Ammonitarum ponitur *Remphan*: Altera, quòd finis istius circumgestationis adscribitur, *ut adoraretis eas*. Ac de fine quidem, nulla est dubitatio, quin pompam idololatrarum εἰδωλοφόρον significaverit, de qua multa in libro Baruc. De voce Remphan judicia variant, præsertim quia varia est scribendi ratio. Itaque alii ab Hebræa voce *Rapha* dictum esse existimant, & significari Herculem, quasi Gigantem, qui apud Ethnicos Gigantéa specie fingebatur esse: alii Remphan pro Rimmone accipiunt Syrorum Deo, & ita restituendum in hoc loco putant: alii compositam vocem Hebræa origine confirmant esse, quòd statua esset Gigantea specie, & quòd statura excelsa supra omnes homines videretur. Ego, citra cujusquam præjudicium (ut antè monui) existimo sumtam esse de nomine loci appellationem; aut idoli, si fortè, appellationem in locum translatam. Est autem Rephan 1. Mach. 5. vers. 37. sive Raphan. apud Josephum lib. 12. Antiquitat. cap. 12. sive Rophon, apud Ruffinum Josephi

Interpretem; sive Rephon, apud Chaldæum Paraphrasten, opidum situm in Ammonitarum finibus, cui tutanus Deus Rephan sive Remphan præesse videbatur: quamobrem etiam hic a Stephano Judæis objicitur, tamquam si de Ammonitis nefarium illius cultum accepissent. Restant detractiones de Prophetæ verbis, quarum causam modò perstrinximus. Amos ita loquutus est, *Tabernaculum Melechi vestri*; hoc autem pronomen omisit Stephanus, quia ex sequente membro ὑμῶν κοινῇ intelligitur. Tum pro eo quod *basin imaginum, sive delubrum* appellaverat, Stephanus simpliciter appellavit τύπους, id est, figuras sive imagines. Præterea pro eo quod dicebat Amos, *quæ fecistis vobis*, ἐξήγησιν apposuit Stephanus, *quas fecistis ut adoraretis eas*. Reliqua omisit Stephanus velut ad rem hoc loco nihil facientia. Unum observandum est: dubitationis ansam in hoc loco Prophetæ interpretando ex eo arreptam esse, quòd Propheta Amos de diis exteris exteróq; illorum cultu & instrumentis loquens, puta tabernaculo, delubróque sive basi, & imaginibus, exteras voces adhibuit μιμητικῶς, ut eo magis indignitatem facti, atrocitatémque impiis Israëlitis ostenderet. Quod genus loquendi plerique omnes interpretes quum non satis animadvertissent, facilè a justa verborum ejus intelligentia aberrârunt.

Versûs quadragesimi quarti argumentum a Mose Exodi 25. & ultimo traditum est: quemadmodum & sequentis exponitur Jos. 3. & libris sequentibus. Versûs quadragesimi sexti locus est 2. Sam. 6. & 7. Narratio verò quadragesimi septimi versus continetur 1. Reg. 5. & 6. Ad versum 48. respexit Solomon 1. Reg. 8. Esaiæ locus, qui mox adducitur, difficultate caret.

Esa. 66.	Act. 7.
1 *Sic ait Dominus, Cælum ipsum thronus meus est, & terra scabellum pedum meorum: qualis domus est, quam essetis ædificaturi mihi, & quis locus requietis meæ?*	49 Cælum ipsum thronus est mihi, terra autem scabellum pedum meorum. Qualem ędem estis ædificaturi mihi, inquit Dominus, aut quis locus requietis meæ?
2 *Atqui manus mea fecit hæc omnia.*	50 Nónne manus mea fecit hęc omnia?

Hi loci prorsus inter se conveniunt; si hoc unum exceperis, quòd secundum versum quem Esaias categoricè enunciaverat, Stephanus majore cum vehementia extulit ἐρωτητικῶς, ut Judæos illos σκληροτραχήλους vehementiùs afficeret.

Versum 51. & 52. cum secundi Chronicorum ultimo prorsus convenire res ipsa loquitur. Versum 53. quem ad amplificandam Legis autoritatem, impietatémque Judæorum exaggerandam adhibuit Stephanus, & cujus causa Judæi cœperunt furere, & ab audiendo illo desinere; narravit Moses Exod. 19. & Deut. 33. Quemadmodum etiam ex eodem authore verba Prophetæ Davidis Psal. 68. Habak. 3. & Pauli ad Galatas 3. petita sunt. Etsi, ut vulgo fertur hujus 53. versus explicatio (quod bona pace omnium dixerim) ea non videtur planè cum verbis Mosis aut Stephani ipsius consentire. Nam Moses quidem Legem datam esse stipantibus myriadibus sanctorum Angelorum prædicat, & Prophetæ olim agnoverunt: sed per Angelos fuisse datam, aut per dispositionem illorum, minimè. Neque verò hoc ipsum Stephani verba sonant; sed

hæc

hæc justa est (ut mihi quidem videtur) ipsorum interpretatio: Qui accepistis Legem in dispositionibus, id est, in mediis agminibus, sive inter medias acies Angelorum stipantium honoris & officii causa imperatorem suum; & tamen neque Dei majestate, neque sanctorum Angelorum comitúmque sanctissimorum & innumerabilium majestatis Dei reverentia & pudore jam adducimini, ut eam observetis. Sic enim Stephanus statuit: Deum qui olim comitatus Angelis Legem tulit Ecclesiæ suæ, hoc quoque tempore eodem modo confirmare authoritatem Legis & totius doctrinæ suæ, & notam nunc quoque facere per Ecclesiam multiformem illam suam sapientiam imperiis ac potestatibus, quæ sunt in locis supercælestibus, ut Paulus loquitur alibi. Atque in hanc sententiam Paulus ad Galatas scribens, *Legem* dicit *fuisse ordinatam δι' ἀγγέλων*, id est, *inter Angelos* idque *mediatoris manu*, id est, opera illius Angeli qui fuerat visus in rubo, & quem mediatorem fore Moses pronunciaverat, ut antè Stephanus demonstravit versu 35. & seq. Quod autem ad alteram illam interpretationem confirmandam adducitur locus Apostoli ad Heb. 2. 2. id certè nihil ad rem facit. Non enim statuitur eo in loco Christi cum Christo comparatio, id est, quâ se obscuriùs in tradenda Lege Israëlitis demonstravit olim, & quâ Deus est in carne patefactus temporibus Euangelii: sed Christi cum Angelis comparatio est, quam 1. cap. instituerat Apostolus, & in qua secundo cap. pergit. Neque verò ibi singulare illud tempus spectatur quo Lex fuit tradita; sed in genere ad tempus Testamenti Veteris respexit Apostolus, quo Deus ministerio Angelorum curavit pronunciari sermonem suum; ut illa Apostoli verba ostendũt: *Si per Angelos dictus sermo fuit firmus*, &c. Aliud enim est sermonem enunciatum esse, aliud Legem imperatam. Sanè si quis ad argumentum primi cap. illius Epistolæ propiùs attenderit, facilè animadversurus est argumentum in principio secundi capitis fieri per comparationem minoris; quæ comparatio ex 1. cap. petenda est: ac proinde ex constituta Angelorum cum Christo comparatione nasci illum doctrinæ locum, quo Apostolus utitur; per comparationem verbi illorum cum verbo quod Christus Dominus enarravit.

Ephes. 3. 10.
Galat. 3. 19.

PARALLELUS XCIII.

Esa. 53.	Act. 8.
7 *Ut parva pecus ad mactationem ducitur, & velut ovis coram tonsoribus ipsius obmutescens: ita non aperuit os suum.*	32 Ut ovis ad mactationem ductus est, & velut agnus coram suo tonsore obmutescens: ita non aperit os suum.
8 *A coarctatione & a judicio tollitur; at generationem ejus quis enarret? Nam exscinditur e terra viventium.*	33 In ipsius abjectione judicium ejus, *quo* sublatus fuit: at generationem ejus quis enarret? Quoniam tollitur e terra vitæ ipsius.

TOtum illud Esaiæ caput agere de Christo adeò manifestum est, ut ne Judæi quidem ipsi negare ausint; quemamodum Parallelo 19. in Matthæum ostendimus. Neque verò dubium nobis est, quin Philippus in eam sententiam interpretatus sit; & ex eo loco, quem sibi divinitùs oblatum animadvertebat, argumentum sumserit Eunuchum instituendi certiùs de persona, officiis, beneficióque Christi, ut

Lucæ narratio ostendit sequentibus, & ipse eventus probat. In verbis perparum est discriminis, si id observaveris: primùm quòd res futuro tempore a Propheta dictas velut gestas enunciavit, ut Philippi interpretationem eâdem opera testatam faceret, & cóplementum in Christo per illud tempus demonstraret obtigisse. Deinde, quòd parvę pecudis loco nominavit ovem, id est, speciem pro genere, ad evidentiorem circumscriptionem hujus similitudinis. Tum quòd secundo versu ordine distinguuntur ea quæ Propheta conjunxit, dicens, *A coarctatione & a judicio sublatus est.* Nam Lucas spectans Philippi interpretationem, illud ipsum Prophetę dictum magis distinctè hoc modo explicavit, *In ipsius dejectione judicium ejus fuit, quo judicio sublatus est.* tamquam si diceret, Quòd sublatus est ex hac vita Christus, id duobus modis accidit, nimirum oppressione ab hominibus, & judicio Dei. Quum enim ab hominibus adeò graviter & violentè oppressus est, tum judiciū suum perfecit Dominus: ac proinde non humanitus solùm factum est ut ex hac vita tolleretur impiorum manibus, ut Petrus loquitur; sed judicio Dei, quemadmodum manus ipsius & consilium instituerat perfecitque ad salutem nostram. Quamobrem Græci contextus verba meo periculo sic distingui velim, Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη· τὴν δὲ, &c. id est, *In abjectione ipsius judiciū ejus*, puta, exstitit sive prefectum est, *eóque judicio sublatus est.* Sed an propterea in prepetuum periisse dicendus esset? Minimè verò: nam *Generationem ejus quis enarret?* Postremò, illa quoque mutatio accedit, quòd pro illis verbis, *exscinditur e terra viventium*, substituit Lucas loquutionem ἐσοδυναμοῦσαν, *Tollitur e terra vita ejus.* Sed quum hæc reipsa summam inter se habeant convenientiam, non video quantoperè vel imperitissimos remorari possint, quo minùs agnoscant, & Esaię verba, & Lucę historiam ab eodē spiritu proficisci.

Parallelus XCIIII.

Act. 10.

34 In veritate comperio Deum non esse eum qui accipiat personam.

35 Sed in quavis gente quemvis timentem ejus & operam justitiæ dantem ei acceptum esse:

36 Ut qui euangelizet sermonem illum quem mittens Prophetas euangelizaverat filiis Israelis, *nimirum*, pacem per Jesum Christum, qui est omnium Dominus.

43 Huic omnes Prophetæ dant testimonium, remissionem peccatorum accepturum per nomen ipsius quemvis qui crediderit in ipsum.

Hi duo loci, quamvis ad unum aliquem singularem veteris testamenti locum propriè non pertineant: cùm tamen universè argumentum Legis & Prophetarum cóplectantur de promissionum Euangelicarum complemento, atq; hę promissiones singulis fermę paginis inculcentur; non potuimus quin hos quoque locos in numerum Parallelorum referremus. Etsi uterque locus (si verba spectemus Apostoli) ad Prophetiam Esaię maximè videtur pertinere; qui tum de pace per Christum Judæis, gentibúsque constituta, tum de remissione peccatorum credentibus in ipsum obventura, prophetavit luculentissimè

48.

48. & 49. capitibus. Sed quoniam prior locus, pro vario interpretum judicio, variè explicatus est; visum quoque nobis est, bona omnium pace, sententiam nostram de justa illius interpretatione producere. Nam propositionem illam abs qua Petrus sermonem suum exorsus est, Deum nempe non esse προσωπολήπτην, confirmat versu 36. ab authoritate Prophetiarum, quæ omnes in hoc argumentum consentiunt; Quisquis crediderit, ex quacumque tandem gente ortus sit, hunc Deo Patri in Christo acceptum fore, & Christum omnium Dominum appellari. Itaque duæ figuræ sunt judicio meo, in eo versu observandæ. Una est ellipsis Hebraica, quam metalepsim appellamus in his verbis, *quem sermonem misit filiis Israëlis*, pro eo quod est, quem sermonem missis legatis sive Prophetis suis prænunciavit. Altera est, quam appositionem dicunt Grammatici in his verbis, *Vt qui euangelizet sermonem illum, pacem*, id est, qui sermo est pacis, vel de pace per Jesum Christum constituta. His positis, videntur omnia obscuritate vacare.

PARALLELUS XCV.

Act. 13.

17. Deus populi hujus Israël elegit Patres nostros, &c.

CUm universa hæc concio à Paulo fuerit instituta, ut Judæos, qui Antiochiæ aderant, ex documentis Legis Prophetarúmque de complemento Euangelicarum promissionum in Christo confirmaret, & remissionem peccatorum per ipsum credentibus singulis nunciaret obventuram; prudentissimè (ut antè Stephanus) ita comparavit hanc concionem suam, ut totam ex penetralibus Testamenti veteris depromserit. Nam in ea paucis, primùm electionem, ductúmque populi, & promissiones Davidi factas explicat: Deinde complementum demonstrat in Christo: tum quæ capita de Christo maximè poterant à Judæorum gente controverti, confirmat testimoniis. Postremò autem cōcludit hortatione ad fidem sermonem suum. Quamobrem nos, ut suprà in caput 7. fecimus, Veteris Testamenti locos annotabimus, unde narrationis membra petita sunt: & in iis tantùm exponendis utemur commoratione, in quibus aliquid dubitationis fortè imperitioribus oboriri posset. Versus igitur decimus septimus partim ex Genes. 11. & 12. petitus est, partímque ex primo Exodi, & sequentibus. Versus 18. contrahit summam historiæ illorum temporum, quæ reliqua parte Exodi, & sequentibus libris à Mose enarrata sunt. Versus 19. summam historiam complectitur, quæ libro Josuæ perscripta est: Quemadmodum & sequens summam historiæ Judicum: itémque vigesimus primus, & vigesimus secundus historiam prioris libri Samuelis: postremò autem vigesimus tertius, ad promissionem pertinet quæ 2. Samuelis 7. Davidi à Deo facta legitur. Sed incidit versu 20. pergravis quæstio de temporum illorum supputatione; quum ait Paulus, *Et posteà annis quasi quadringentis quinquaginta, dedit Judices Deus*, &c. Hanc enim temporum circumscriptionem alii aliunde incipiendam putant: alii non dubitant corruptam affirmare: alii denique non corruptam a Paulo aut a librario, sed conformatam Septuaginta Græcorum interpretationi. Ac (ut de postremo dicamus ὕστερον πρότερον) mihi non videtur verisimile

Paulum

1 Paulum hoc in loco agere de hoc argumento ex Septuaginta Interpretum authoritate duabus de causis. Una est, quòd ineptū illud fuisset futurum, si Paulus ingressus Judæorum synagogam die Sabbathi, post lectionem Legis & Prophetarum apud Hebræos dicere voluisset de rebus ad fidem pertinentibus secundum Septuaginta interpretationem; non autem secundùm Hebræi contextus fidem: qua quidem ratione magis de fide Christi & authoritate Euāgelii fuisset derogaturus quam conciliaturus gratiam. Altera est, quòd utcunque etiam ex illorum Septuaginta Interpretatione ratio temporum ineatur; tamen nulla planè exstitura est via commoda qua effugiatur ista conciliationis difficultas.
2 Neque verò altera magis interpretatio eorum mihi probari potest, qui corruptam esse lectionem hujus loci statuunt. Nam neque authoritate ullius Veteris sive Codicis, sive interpretis, alia lectio adhuc cōprobata est, si benè memini; neque penes authoritatem est ullius hominis, ut ita refundat opinione vel judicio suo quę in libris sacris & omni exceptione majoribus constanter & consensione summa deprehenduntur. Præstat enim (judicio meo) præstat ut vitium nostrum, imbecillitatemque & ignorantiam fateamur, quàm his sacris libris vitium aut labem impingamus.
3 Restat igitur, ut primam viam ineamus in hujus loci explicatione, & videamus quæ tempora potissimùm huic supputationi adscribi oporteat. Duplex omnino via se nobis exhibet ad hujus loci interpretationem. Una, ut illi 450. anni respiciant ad illud tempus, quo gesta sunt antecedentia, quæ in narratione exposuit Paulus: Altera, ut ad sequentia dicantur pertinere. Nam ut illud spatium 450. annorum referamus ad tempus Judicum, de quib. solùm hoc versu agitur, vetat illa temporum circumscriptio, quæ tum in historia Judicum exstat, tum in principio sexti capitis 1. Regum. Ac illam quidem circumscriptionem temporum ad antecedentia pertinere, doctissimi quidam viri memoria nostra putaverunt; tamquam si in Gręco Lucæ contextu ita legeretur, Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα γενόμενα. Etsi haud scio, an commodiore Gręci contextus forma Hieronymus, aut quisquis vetus est Latinus interpres, olim fuit usus. Nam hæc verba videtur legisse velut cum præcedenti versu cohęrentia, hoc modo, Κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς. Alteram verò interpretationē, qua hęc circumscriptio temporum sequenti historię accensetur, attulit Arabs interpres, aut quisquis distinctiones Arabicas in translationē illius apposuit. Ego verò (ut quod sentio, apertè enunciē) posteriorem interpretationem, quam bona fide in editione Arabica ante annos aliquot reddidi, satis probare non possum: quia etsi quodammodo ratio temporum potest coalescere, tamen non satis commodè huic loco aptari potest. Nam partem antecedentis historiæ decidi necesse est, ut cum sequentibus juncta possit in eam annorū summam, quam Paulus hoc loco affirmat, assurgere. Quamobrem omissa illa Arabica interpretatione, priorem omnino statuo amplecti oportere; nempe his verbis Apostolum comprehendisse totum illud tempus, quo ęę res gestæ atque confectę sunt, quas tribus proximè pręcedentibus versibus inde a narrationis principio, exposuit. Est autem principium illud petendum inde ab eo tempore, quo Deus Abrahamo nominatim respondit, *in Isaaco vocabitur tibi semen*. Tum enim primùm Deus Ismaëlem excludens, vim & authoritatem electionis suę testificatus est; unde exorditur

exorditur Paulus dicens, *Deus populi hujus Israëlis elegit Patres nostros*, &c. Post ea igitur, quorum principium a pronunciata electione Isaaci, Genes. 17. sumendum est, ad illud usque tempus, quo per sortitionem terra Canaan Israëlitis distributa fuit opera Josuę, decurrerunt anni fermè 450. Horum autem ratio annorum sic futura est (nisi me fallit animus) expeditissima. Electio Isaaci & Patrum in Isaaco pronunciata est, quum Abraham annum ageret nonagesimum nonum: sequente anno, quum Abraham centenarius esset, natus est Isaac: ab hujus nativitate ad traditionem usque Legis præcisè intercesserunt 400. anni. His si addantur 40. anni, quibus in deserto versati sunt Israëlitæ: tum verò septem, ex quo Israëlitæ pedem in possessionem terrę Canaan posuerunt, efficiuntur anni 448. Nam annus demum septimus, ex quo Josue populum in terram Canaan introduxerat fuit sabbathicus, eóque primum distributio facta; ut libri Josuæ historia docet. Itaque si hoc anno trajecto ad sequentem veneris, quo γεωργίαν sive terræ cultum populus redintegravit ex Lege, præcisè cõperies annos 449. ad perfectam usque distributionem terræ & proprium usum illius supputari oportere; nempe conceptus Isaaci, unum; a nato Isaaco ad annum Legis traditæ, quadringentos; a Lege tradita ad ingressum terræ, quadraginta; & ab ingressu terræ ad absolutam distributionem & occupationem illius, octo: ex quibus omnibus assurgit numerus annorum, qui hoc versu a Paulo ponitur 450. uno minus. Quamobrem particulam ὡς placuit adhibere, ut demonstraretur enunciari hanc temporis circumscriptionē ex usitata numeri (ut appellatur vulgò) rotundatione. Quod autem Dei verba adducit Paulus 22. versu; ea non ex uno aliquo certo scripturæ loco depromta sunt (nam Paulus partem suæ narrationis, certam & indubitatam apud Judæos, de industria percurrit paucis) sed ex variis Scripturæ locis ad idem argumentum pertinentibus in unum comportavit. Secunda narrationis pars tota ex Euangelica historia constat. Cùm autem duo præcipua illius membra sint; Unum, de Christo exhibito: alterum, de excitato ex mortuis, in quibus duob. membris versatur maximè historia salutis nostræ: propterea utriusque membri confirmationem adhibuit Paulus, prout evidentissimè distinxit 32. & 34. vers. Nam versu quidem 32. Paulus simpliciter de Deo in carne patefacto his verbis utitur; *Nos quoque vobis euangelizamus eam promissionem quæ Patribus facta est, Deum explevisse filiis illorum, quum excitavit nobis Jesum*, &c. In versu autem 34. ut alterum caput narrationis a se institui ostenderet, rem disertis verbis exposuit διακριτικῶς, *Quod autem excitaverit eum ex mortuis, nec amplius reversurum*, &c. Quæ antithesis commonstrat evidentissimè priorem quidem confirmationis locũ ad excitationem, id est, exhibitionem Christi pertinere; posteriorem verò, ad ἔγερσιν & excitationem a mortuis, quam resurrectionem dicimus. Atque in eam sententiam verbum ἀνιστάναι non rarò accipi, cùm verbi ipsius etymon arguit, tum etiam persimilium locorum comparatio, ut Act. 2. 30. & 3. 26. & alibi. Ergo (ut de singulis confirmationis membris ordine dicamus) prius, quod est de exhibitione Christi, uno Davidis loco; posterius, de resurrectione, duobus, puta Esaiæ atq; Davidis, confirmatur. Qui locus ad exhibitionis confirmationem ponitur, is ex Ps. 2. desumtus est; ut ipse Paulus disertè exprimit, quum ait, *ut etiam in Psalmo secundo scriptum est, filius meus es tu, Ego hodie genui te*, Quæ verba etsi alii aliter interpretantur; nos tamen propriè & germano sensu hic a Paulo accipi certa

Genes. 17.

fide

fide credimus,& argumentis ostendemus. Primùm enim quis Paulum, in synagoga apud Judęos dicentem,facilè crediturus est locos nō modò controversos,verumetiam accommodatu difficiles attulisse confirmationis loco? Hæc verò confirmatio Judæos potiùs in errore fuisset confirmatura, quàm perfidiam ipsorum infirmatura, & animos ad fidem perductura: nisi jam eo tempore apud omnes,etiam Judæos,constitisset,eum Psalmum propriè ad Messiam pertinere. Præterea Psalmi ipsius argumentum (quemadmodum supra Parall.91. ostendimus) proclamat eum non aliò detorqueri posse; sed planè totam illam Propheticam narrationem ad Christum pertinere: quod ne ipsi quidem Judæi,superati vi veritatis,ausi sunt pernegare. Nam quota pars illius, obsecro, Davidi potest competere? Contrà verò, quæ vox ullius vel unica proferri potest, quæ suum in Christo non habeat complementum? Postremò (ad hæc ipsa verba veniamus) quis homo pius, si penitiùs rem introspexerit, statuet hæc verba de Davide dici, *Filius meus es tu*; quæ ne ulli quidem Angelorum unquam fuisse dicta Apostolus ad Hebræos docet? Cujus quidem argumentum planè oportet corruere, nisi vincatur atque obtineat hæc interpretatio. Quænam ergò hæc sit interpretatio, videamus. Postquam narravit Propheta insanum consilium inimicorum Christi, & decretum Dei potentissimum; Christum demum, velut sermonem æternum Patris & ὁμοούσιον, introducit, narrantem illud decretum Dei Patris sui; quo decreto persona Christi instituitur, & Prophetę officium fungens seipsum exhibet, versu 7. Tum officium Sacerdotis & Regis exponitur versu 8. & 9. quemadmodum (si Deus dederit) luculentissimè in Epistolæ ad Hebręos caput 5. declarabimus. De se autem, sive de persona (ut loquuntur) sua, Christus duo ordine enunciat fuisse a Patre pronunciata: Unum, de generatione æterna, qua filius Dei est, æternum a Patre genitus, & ὁμοούσιος vel coëssentialis Patri: alterum de patefactione vel exhibitione facta in tempore, & transmissione illius quem Pater gignit ante omnia tempora. Prius, de æterna generatione enunciatur his verbis, *Filius meus es tu*; Posterius, de missione in hunc mundum, *Ego hodiè genui te*. Ac prius quidem accipi de æterna generatine oportere, ipse David commonstrat sequentibus; quum regibus, principibúsque imperat, ut Jehovam sibi exhibitum colant cum reverentia, & cum tremore exsultent; ut osculentur Filium, &c. maximè autem quum sermonem suum concludit sanctissimo illo Epiphonemate, *Beati omnes qui se recipiunt ad eum*. Nam si Jehova est; si colendus cum reverentia; si osculandus; si pertimescendum ab ira illius, quum primùm exarserit etiam momento atque levissimè tamquam ab eo qui est ignis consumens: si denique fide nos oportet ad eum recipere, ut beati simus: omnino Christum Deum esse & coëssentialem Patri necesse est; non in tempore, sed ante omnia tempora genitum æterni Patris æternum Filium; unum cum Patre essentiâ, unum virtute, unúmque operatione. Nam (ut optimè ex istis locis arguebant Orthodoxi Patres) quorum omnino effecta sunt eadem, naturam esse eamdem necesse est. Hic autem quis non videat eadem huic Filio effecta tribui, quæ etiam Patri, constante omnium etiam Judæorum confessione, tribuuntur? Quamobrem optimè illius pręstantiam, majestatémque supra omnia omnibus modis evehi ex hoc loco affirmat Apostolus, facta cum Angelis comparatione; quum ait, *Tanto præstantiorem factum Angelis, quanto excellentius præ illis sortitus*

Heb.1.5.

Heb.1.4.

est nomen. Nam cui dixit unquam Angelorum, Filius meus es tu, &c. Posterius verò, quod de exhibitione Christi accipi diximus oportere ex præcedentis propositionis similitudine quadam profectum est. Sic enim Deus Opt, Max. & sapientissimus ordinem suæ οἰκονομίας ad creaturas suas & operationum suarum instituit re ipsa, & nobis exposuit verbo, ut quam rationem ab æterno personæ Deitatis inter se habent, eidem rationi œconomia in operibus externis conformetur. Nam quemadmodum Pater filium ab æterno gignit: sic etiam eumdem mittit ut Pater. Et quemadmodum Spiritus sanctus æternùm à Patre & Filio procedit; sic etiam in tempore à Patre filióque mittitur, & à Patre ipso Filióque inspirat & sanctificat corpus & membra singula, id est, Ecclesiam ejus. Posita igitur æterna illa & ineffabili generatione Filii, commodè à Propheta verbis ipsius Christi hęc altera subjicitur, quæ in tempore facta est; nempe quòd Deus Pater Filium suum primogenitum in tempore miserit ad liberationem & salutem Ecclesiæ suæ. Ac illud quidem verum est, Deum Patrem, qui author solus est mittendi & exhibendi Filii, eumdem secundę hujus & temporariæ geniture authorem esse; etsi non satis commodè Pater Jesu Christi respectu incarnationis appellari potest; cum eâdem ratione Spiritum sanctum, ex quo conceptus est, secundùm carnem Patrem Jesu Christi oporteret appellari. Sed omnino tutius illud est, si quando propter incarnationem prædicatur de Patre (ut ita loquamur) paternitas respectu Filii; & vicissim de Filio, ad Patrem relatione facta, filiatio; has appellationes referri ad totam exhibitionem authore Patre factam, & manifestationem filii Dei in carne; puta secundùm illam regulam, qua Orthodoxi Patres plurimùm usi sunt in hoc argumento, Res tùm demum dicuntur fieri interdum, quum incipiunt manifestari. Hanc verò Pauli Apostoli fuisse in hoc loco mentem; tum narrationis argumento, tum etiam repetitione, quam ad confirmationem adhibuit, ostenditur. Etenim in narratione his verbis usus est versu 23: *Hujus de semine Deus secundùm promissionem excitavit Israëli Servatorem Jesum*. In confirmatione verò ita repetiit illam narrationis institutę partem. *Et nos vobis euangelizamus eam promissionem quæ Patribus facta est, Deum explevisse filiis illorum, quum nobis excitavit Jesum, ut etiam in Psalmo secundo scriptum est*, &c. Itáque filium Pater gignere dicitur ab æterno κατὰ φύσιν (si φύσις, id est, natura in hoc mysterio dici potest) vel potiùs κατ' ἀλήθειαν: in tempore verò genuisse dicitur κατὰ φανέρωσιν. Quam quidem φανέρωσιν luculenter à Spiritu Sancto fuisse demonstratam arbitror apud Prophetam Hebræo illo gignendi verbo, quod fœminæ potiùs, quæ in lucem edit, quàm viro gignenti tribuitur. Non sum nescius hunc Prophetæ locum ab aliis aliter explicari; quia hi divinum solum illum æternæ generationis modum, ut plerique Patres; alii, temporariæ generationis; alii utrumque his duobus membris, quibus Propheta utitur, narrari putant. Sed unicum solùm si intelligas, non est satis ad justam fidei analogiam: sin autem utrumque, plus controversiæ & obscuritatis habitura est interpretatio, & verba non sunt ταυτολογία quadam caritura. Quamobrem prius membrum convenienter Scripturæ de æterna illa generatione malo accipere, fretus authoritate Apostoli ad Heb. 1. Posterius, de illâ temporaria, qua factus est ex muliere, factus sub Lege in temporum plenitudine, quum Deus explevit promissionem Patribus olim factam, ut hoc in loco Paulus interpretatus est. Hic verò incidit una quæstio:

quę

qui factum sit, ut Psalmus ille, qui secundus est ordine, in veteribus plerisque primus appelletur; quemadmodum ex Hieronymo, Hilario, & Augustino Erasmus adduxit testimonia, & in Oecumenio disertè legitur. Hic duplex solutio affertur. Una, quòd is qui primus Psalmus à nobis dicitur, non fuerit pro Psalmo habitus, sed pro communi quadam præfatione libri: Altera, quòd a plerisque cum secundo fuerit adunatus, & duo conjunctim pro uno habiti: Quam sententiam fuisse perveterem Judæorum superstitiosa observatione quadam ex ipsorum libris didicimus. Hi enim ubicumque finem aliquem δύσφημον atque inauspicatum (ut vocant) in extremis libris aut Psalmis animadverterunt, soliti sunt eos libros aut etiam Psalmos cum sequentibus conjungere; aut, si qua connexio non offerretur commodè, ex eodem libro aliquid repetere, ut postrema clausula esset gratiosior. Alteram præterea caussam adjecerunt, quòd Psalmus qui nobis secundus dicitur κυκλοειδῶς terminatur fermè ab ea voce, unde primus initium ducit. Quapropter cùm Judæorum ipsorum judicio jam receptum esset, ut duo illi Psalmi in unum coalescerent, & illi revera summam doctrinæ divinę complectantur, Legis & Euangelii (Nam legalia præcepta & promissiones primo, Euangelica autem veritas & promissiones ejus credentibus factæ secundo explicantur) mihi non videtur alienum, si Paulus apud Judæos agens primum potius quàm secundum Psalmum appellaverit: tum quia jam usus ejusmodi receptus erat, tum quia fidei non adversabatur; quam fidem impedivisset ac non adjuvisset, si intempestivam ac non necessariam quæstionem eo tempore inter Judæos commovisset: vide in Parallelum 60. annotata. Sequitur jam alterius membri confirmatio, prolata duorum Veteris Test. locorum authoritate. Prior locus ex Esai. 55. petitus est, ubi Lucas planè sequutus est Septuaginta Interpretationem, quemadmodum etiam hoc nostro tempore in Græcis Bibliis legitur. Ac Esaiæ quidem verba aliter sonare videntur, quàm illi reddiderint; sed facillima est verborum ejus cum interpretatione hac conciliatio. Qui mediocriter versati sunt in Testamenti veteris lectione, ii non ignorant nomen *Chasid* apud Hebræos modò activa significatione, modò passiva accipi. Nam hic benignum significat, illic benignè & gratiosè acceptum; pro natura locorum in quibus legitur, & fidei analogia. Quam rem Græci interpretes quum utcumque enunciare cuperent unica & perpetua voce, reddiderunt ὅσιον; ut metalepticè virum significarent & benigne acceptum à Domino, ut qui sanctificatus esset, & benignè quoque agentem, ut qui in sanctificatione incederet. Eadem planè ratio tenenda est in conjugatę vocis *Chésed* explicatione. Nam ea, prout loci postulant in quibus legitur, modo activè benignitatem & beneficentiam denotat, qua homo benefacit, modò passivè beneficium quo homini benefit à Deo. Cùm autem in hoc quidem loco benignitatis nomen passivè accipi oporteat, pro divina illa benificentia, qua homines credentes in Christum afficiuntur: optimè, judicio meo, Græci Interpretes, quamvis metalepticè, exposuerunt hac loquutione Dei mentem per Prophetam dicentis, *Dabo vobis benignitates Davidis constantissimas*: quum ita loquuti sunt, *δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά.* Sensus enim est, quicquid beneficii jam olim Davidi promisit Deus, & prænunciavit se in Ecclesiam effusurum esse ad sanctificationem illius, id totum in hoc tempore fuisse perfecturum. Hic verò incidit quæstio, quo modo hic locus ad confirmandam resurrectionem

rectionem Christi pertinere possit, & quidem resurrectionem ejusmodi, quam semel consequutus Christus numquam sit moriturus, neque mors in eum dominatura. Responsio est, Duo sunt capita, quæ de resurrectione Christi a Paulo prædicantur: Unum, quòd Deus Pater filium suum a mortuis excitaturus sit; Alterum, quòd in æternum ubi resurrexerit, sit vindicaturus a corruptione, id est, effecturus ut constantissima sit & invicta illius resurrectio. Utrumque autem his duobus locis apertè ostenditur: etsi prior, qui Esaiæ est, per posteriorem explicatur; quia in priore facta est benignitatum Davidis mentio, quas Deus Davidi per Spiritum; & David Ecclesiæ prędixerat. Rem ita habere in hoc Esaiæ loco, antecedentia omnia demonstrant evidentissimè, inde a cap. 49. illius Prophetiæ. Nam postquàm in eo capite paternum suum studium amorémque infinitum erga Ecclesiam exposuit, & indignitate illius demonstrata amplificavit misericordiam suam in Christo, sequentibus; tandem sub finem capitis 52. transit ad narrationem propheticam historiæ Christi de perpessionibus, morte, & resurrectione illius, cap. 53. Deinde verò excitato Christo ex mortuis, Ecclesiam excitat promissionibus, & sermone Euangelii, cap. 54. Ac postremò Christum ex mortuis excitatum, velut sedata ira sua, mittit in possessionem Ecclesiæ suæ, adjiciens magnificam hanc promissionem, Dabo vobis beneficia, quæ Davidi & per Davidem jam olim pronunciavi; eáq; vestri juris ita effecturus sum, ut numquam eripi vobis possint, aut ullus vestrum perire umquam de manu redemtoris vestri. Si resurrectionem dumtaxat Christi semel factam notare Paulus voluisset, proculdubio locum ex 53. cap. Esaiæ fuisset producturus. Sed quum omnia adjuncta & effecta illius, quæ tam multis Propheta enarravit, visum fuerit paucis ostendere, maximè quum apud Judæos non inscios prophetiarum ageret: non poterat commodior locus ad resurrectionem & cōstantiam resurrectionis afferri, quàm hic est: cùm ad antecedentia omnia piorum mentes revocet, & singula quæ dici in quæstione hac potuerunt duabus voculis complectatur, *Benignitatis & fidei sive constantiæ*, Quæ duæ res potentissimè explicant hoc confirmationis caput. Commodè verò huic probationi conjungitur altera ex Davide, ut consensus Esaiæ cum priscis illis promissionibus ampliùs ostendatur, ad piorum, qui in Christum credunt, confirmationem. Sed quia de toto illius loci constitutione & accommodatione suprà in 2. cap. Parall. 88. diximus quod satis visum est, & ipse Apostolus duobus sequentibus versibus demonstrat sententiam suam, suæque demonstrationis Judæos ipsos appellat testes: ad alia properabimus.

Conclusio totius sanctissimæ hujus concionis Judæos ad fidem & resipiscentiam provocat, primùm ab utilitate bonorum, quæ fides in Christo perceptura est; deinde verò a necessitate effugiendi gravissimas & periculosissimas illas interminationes quas Deus olim prophetarum suorum ministerio præsignificaverat, imprimis autem in contumacem Judæorum gentem pronunciaverat. De multis autem unus affertur interminationum locus, ex primo cap. Habakuk. Etsi autem præcisè hoc tempus Propheta eo in loco minimè designavit, sed in Judeorum contumaciam, qui tum vivebant, intonavit gravissimè, propositis severissimis Dei interminationibus: quum tamen certa sit & constantissima justitiæ divinæ regula, prout copiosè in Matth. Parall. 6. ostendimus, indubitata est certissimáque hujus loci accommodatio; præsertim

sertim cùm hic locus non solus adducatur (quamvis hic exprimatur solus) sed cum aliis eodem pertinentibus, qui tacitè à Paulo innuuntur, quum dicit, *Videte ne vos invadat quod dictum est in Prophetis*; deinde verò illius dicti exponendi causâ hunc unum, tamquam ad exemplum afferat. Sed, quid si conjungi duos Scripturæ locos aut etiam plures ostendamus? certè ex Habakuc quidem pleraque omnia petita sunt: illud tamen quod contemtores nominatim vocat, non est ab illo; sed magis ad Esaiæ Prophetiam videtur pertinere, qui eodem planè argumento contemtores sive irrisores compellat cap. 28. 14. Est igitur hoc argumentum non solùm ab exemplo uno, sed ab inductione compluri- um exemplorum vehementissimum. Inductione autem? imò verò a natura Dei justissima & constantissima, quæ nunquam sivit contemtores verbi sui impunè abire, nec umquam permissura est. In verbis, si illud exceperis, quòd Paulus contemtores vocat, summa est inter hanc & veteris Testamenti locum, certáque convenientia.

PARALLELUS XCVI.

Esa. 49.	Act. 13.
6 *Constitui te in lucem gentium, ut sis salus mea ad extremum usque terræ.*	47 Constitui te in lucem gentium, ut sis saluti ad extremum usque terræ.

FInis horum locorum communis est, ut contumacia Judæorum in doctrinam Euangelii exprobretur, & vocatione Gentium ad zelotypiam sanctam provocentur qui signati sunt ad vitam æternam. Summa est, Etsi lucem doctrinæ Euangelicæ & salutem quibusdam veluti cancellis Dominus antè circumcluserat: tamen illustriorem Dei gratiam affulgere, ex quo Christus Deus patefactus est in carne, qui & face Euangelii omnibus Gentibus præluxit sine discrimine, & credentes omnes ex gente qualibet vocavit ad salutis participationem. Id tamen fortasse imperitiores putaverint arrogantiùs fuisse a Paulo dictũ, quod Deus nominatim de Jesu Christo apud Esaiam videtur pronunciavisse. Sed totam hanc dubitationẽ eximit ille ipse Esaiæ locus, unde hæc verba desumta sunt. Nam etsi illa de persona Christi dicta sunt; tamen non simpliciter de eo, quâ persona est; sed quâ Propheta est & Apostolus confessionis nostræ, interpretari necesse est. Rem ita se habere demonstrat series, qua Propheta in universa illa narratione utitur. Christus enim principio capitis omnes gentes promiscuè ad percipiendum Euangelium vocat, tum sua ipsius, tum etiam ministrorũ operâ: de quibus disertè in versu primo hoc modo loquitur: *Jehova e visceribus matris constituit memoriam nominis mei.* Sed ubi vocationem suam Judęis testatam fecit; Judęi fremere, & officium illius contumacissimè oppugnare. Quamobrem expostulanti Filio non suo solùm; sed etiam administrorum suorum nomine, vers. 4. respondet Pater in vers. 5. & 6. eaq; verba adhibet quæ adduxit Paulus ut in Parallelo diagrammate posuimus. Est igitur evidens hujus loci convenientia, & pernecessaria accommodatio ad ministerium sanctum Euangelii. Atque hæc Pauli argumentatio: Ministerium verbi & salutis Deus Pater commendavit Christo; Christus autem commendavit nobis a Patre: Æquum igitur

igitur est, ut leges ministerii quod Pater illi mandavit, & ille nobis, observemus. Hæc autem est Lex ministerii illius Euangelici apud Esaiam tradita. Ergo postquam repellitis illum, inquit Paulus, ô Judæi, & indignos vos ipsos decernitis æterna vita, ecce pro eo mandato quod accepimus, ad Gentes convertimur. Itaque nihil assumit sibi Paulus, aut collegis suis secum arrogat, quod solius sit personç Christi & sit incommunicabile; Sed in eo solùm, quod Christus communicatum cum servis suis, Apostolis, & ministris voluit, ostendit se religiosissimè communionem velle colere & se in ea occupare, fretum promissione Christi, *Qui vos accipit, me accipit; qui autem vos rejicit, non rejicit me, sed Patrem qui misit me.* Quapropter etiam alibi agnoscit sibi necessitatem Euangelizandi esse impositam; gravémque sententiam in sese pronunciat, dicens, *Væ mihi, nisi Euangelizavero.* 1. Cor. 9.

PARALLELUS XCVII.

Amos 9.	Act. 15.
11 *Tempore illa erigam tabernaculum Davidis, quod decidit, & sepiam rupturas earum, ac demolitiones ejus instaurabo, & readificabo illud sicut olim,* &c.	16 Post hæc revertar & instaurabo tabernaculum Davidis quod decidit, & dirutas partes ejus instaurabo, ac rursus erigam illud:
	17 Ut exquirant reliqui homines Dominum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum; Dicit Dominus qui facit hæc omnia.

Etsi sanctissima illa Pauli concio, qua Lystris in Lycaonia usus est, summam habet cum plurimis scripturç locis convenientiam: cùm tamen Paulus cum gentibus, non autem cum Judæis, sermonem illum habuerit; ac proinde certis naturæ principiis & rationibus apodicticis potiùs quàm authoritate Scripturæ gentes ad veri Dei cognitionem revocaverit: non putamus eum in tota oratione illa unum aliquem Scripturæ locum adduxisse, ac propterea non esse instituendam illam parallelam comparationem. Ut igitur ad Jacobi verba cap. 15. veniamus, non est obscura mens Apostoli ex antecedente versu. Ostendit enim se non ad unicum sacræ Scripturæ ex Prophetis locum respicere; sed ex omnibus locis ad instaurationem Ecclesiæ per Christum & patefactionem Euangelii pertinentibus summam quamdam hoc loco produxisse, ut ostenderet hoc demum illud tempus esse, quo Deus populum sanctum nomini suo ex gentibus cooptavit. Ac verum quidem illud est, illum Prophetæ locum, qui vulgò cum hoc Jacobi comparari solet, eo in numero habendum esse. Verùm, cùm aliæ circumscriptiones non paucæ in hunc locum a Jacobo accumulatæ sint, & ipse hos Prophetarum sermones esse dicat; generalem potiùs quàm particularem promissionum Euangelicarum, quas Prophetæ vaticinati sunt, descriptionem judico his verbis contineri. Quoniam autem infiniti operis esset locos adducere de hoc argumento a Prophetis dictos, aut a Jacobo perstrictos, ab eo supersedebimus: alioqui certissimum est & luculentissimum hujus accommodationis argumentum. Sequitur paulo pòst locus non parum ab interpretibus controversus; in quo non adducitur Act. 14. & 15.

ducitur quidem Testamenti veteris authoritas, sed tamen non est dubiũ, quin fontes hujus documenti sint ex Vetere Testamento, prout Jacobus ipse commonstrat versu 21. dicens: *Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis civitatibus habet, qui ipsum prædicent, quum in synagogis per singula sabbatha legatur.* Quæstio igitur est hujusmodi: Ceremoniæ Mosis (ut loquitur Petrus) fuerunt tamquam jugum impositum cervici discipulorum, quod nec Patres ipsorum, nec ipsi portare potuerunt: Quapropter censebant Apostoli non esse per illas obturbandos ex gentibus qui ad Deum convertuntur, vers. 10. & 19. Sunt autem sequentia interdicta; maximè verò de suffocato & sanguine profecta ex Lege Mosis. Quomodo ergo hæc ceremonia de integro fuit ab Apostolis confirmata? Solutio est hæc: Tria sunt capita, quibus interdici oportere hic censet Jacobus; pollutiones idolorum, scortatio, & sanguis. Ex his duo sunt necessaria, cum naturæ, tum Dei ipsius Lege: nempe ut ab idolis, idololatria, rebúsque omnibus ad eam pertinentibus abstineatur, ex priore legis tabula; & ut vitetur scortatio, ex secunda Legis tabula. Quibus verbis synecdochicè quidem utriusque tabulæ & Legis totius mandatur observatio; sed tamen propterea hæc duo exempla sive genera ἀνομίας a Jacobo adducta sunt, quia apud gentes in usu erant plurimùm, & parvi ducebantur. Tertium verò caput, quòd illi a suffocato & sanguine per illud tempus abstineri voluerunt; non fuit eo imperatum, quòd esse necessarium ex Lege videretur (hoc enim futurum fuisset jugum, & fideles ex gentibus obturbavisset) sed propter aliorum conscientiam, quæ hoc facto per illud tempus, quo in fide Christi nondum planè instituta & confirmata erat, offensa fuisset facillimè. Nam in hoc argumento omnia quidem licent; sed non omnia expediunt, neque ædificant. Atque hoc fuisse Jacobi consilium ostendit sequens ætiologia, *Moses enim ab ætatibus antiquis*, &c. quasi dicat, In re media sive adiaphora, rationem eorum, qui adhuc hærebant Mosi, haberi oportere; neque committendum, ut cibi causa destruatur vel minimus eorum pro quibus Christus mortuus est. Atque hæc quidem sanctissima fuit Jacobi sententia, qui pauculis verbis totam externæ Christianorum vitæ rationem informatam voluit. Sed tamen videntur Apostoli comparatis inter se omnium sententiis in sua illa Epistola quæ posteà subjicitur inde a versu 23. de industria aliquid sustulisse ex iis rebus, quas Jacobus adduxerat; non quò omnia dicta illius sancta non fuerint, & per se necessaria ad rectè instituendam vitam nostram; sed quia præstare judicaverunt, ut consisterent in quæstione proposita, ac non evagarentur latiùs. Itaque non negaverunt illi quidem, omnem ἀνομίαν in primam & secundam Legis tabulam caveri oportere; sed in hac causa id satis futurum esse putaverunt, si monerent gentes, ut cùm ab offensa in rebus indifferentibus contrahenda, tum a scortatione, quę plus satis tempore illo obtinebat, sibi caverent religiosissimè. Ideóque scripserunt in hunc modum sub finem suæ Epistolæ *ut abstineatis ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione.* Qua ratione scandalum, quod Judæis præberi poterat, optimè præcaverunt, & credentes ex gentibus officii sui quàm lenissimè monuerunt, quemadmodum ab iisdem posteà repetitur Act. 21. 25.

De sanctissima illa concione Athenis habita, cujus summam consignavit Lucas Act. 17. judicium perindè facimus, ut in principio hujus Paralleli de altera Lystris pronunciata fecimus.

PARAL-

PARALLELUS XCVIII.

Exod. 22.	Act. 23.
28 *Principi in populo tuo non maledices.*	5 Principi populi tui non maledices.

Quia de fine summâque illius Legis inter omnes convenit: non sumus futuri hoc loco laboriosi in afferenda ejus enarratione. Finem esse constat juris, æquitatis, honestatis, & ordinis conservationem: Summam verò, neminem istarum rerum custodem & vindicem a Deo institutum, per importunam hominum audaciam, vel unica voce, lædendum esse. Hic unum quæritur, de quo jam olim fuit apud Orthodoxos Patres controversia. Nam hæc verba alii ironicè a Paulo fuisse pronunciata putant: alii verò defensionem hanc seriò ab ipso fuisse habitam. Non sum nescius, quæ causæ eos moveant, qui defensionem hanc ironicè pronunciatam putant. Mihi verò perplacet illa Cypriani sententia, Paulum seriò & summa gravitate hanc defensionem adhibuisse, ut totius consessus ἀταξίαν redargueret, & acceptam ab illo injuriam. *Lib.1. Ep.3. & lib.3. Ep.11.* Nam etsi non videtur judicio multorum verisimile, quòd Paulus sacerdotem summum ex ordine consessus, honore, veste, & si qua sunt ejusmodi, non potuerit ab aliis dignoscere: hæc tamen ratio apud me non est tanti, ut Paulum ironicè loquutum existimem. Ordinem in hoc consessu aliquem exstitisse non puto, quia aderat Tribunus, cujus authoritati deferebantur omnia. Ad eum, & mandato ejus consessus fuerat convocatus, Act.22.30. & quidem tumultuariè convocatus, ac tumultuariè administrans omnia; prout hoc Ananiæ facto & seditione paulo pòst excitata confirmatur evidentissimè. Honorem, etsi habitum fuisse sacerdoti summo a reliquo consessu, vel potiùs circumstante turba facilè credimus: id tamen antè fuisse factum (ut moris est) judicamus, quàm eò Paulus intromitteretur. Deinde stantes videntur potiùs & plano (ut loquuntur) pede quàm sedentes ordine concilium habuisse. Vestem verò diversam quidem ab aliis jubebatur habere sacerdos summus, quo tempore Dei domum erat initurus: extra illud tempus non memini quicquam observari. Neque verò temporibus ita perturbatis, quum sacerdotes ipsi tanta contentione in Paulum exarsissent, & repentè illius causa a tribuno militum vocarentur, credibile est magnopere de rebus istis laboravisse; modò cruentum summanimum explere possent; prout tota sequente historia confirmatur. Quæ cùm ita sint, omnino judico hæc seriò & graviter a Paulo fuisse dicta; ut qui Ananiam Pontificem esse maximum nesciverit, longo intervallo Jerosolyma recens advenerit, & inde a tempore adventus sui non admodum fuerit solicitus, quis Jerosolymis summus sacerdos esset. Ac proinde justissima est illius defensio: cùm ne ipsi quidem Judæi in suo loco consessu ita res suas instituerint, ut novus advena sacerdotem summum internoscere posset; illud juris & æquitatis esse, ut in hac sua defensione, quamvis graviore ac vehementiore, excusetur: id enim ab ipso imprudente factum.

Locus Esaiæ 6. quem Paulus Act.28.26. adduxit, antè explicatus est in Matthæum Parallelo 25.

SACRORUM PARALLELORUM LIBER SECUNDUS.

PARALLELUS I.

Habak. 2.
4 *Justus ex fide sua vivet.*

Rom. 1.
17 Justitia enim Dei *quæ est* ex fide, revelatur Euangelio in fidē; sicut scriptum est, Justus ex fide vivet.

VTriusque loci summa communis est, idémque finis; si hoc exceperis, quòd Paulus authoritatem Prophetæ adhibet ad sui antecedentis dicti confirmationem. Finis est, ut electi & pii omnes certò & constanter teneant, qua in re debeant conquiescere in mediis procellis & tempestatibus & unde vivere in ipsis mortis angustiis securè possint. Summa verò est, neminem vivere in summis angustiis & ipsa morte posse, nisi qui justus sit; & neminem justum, nisi ex fide dici posse. Atque hanc Prophetæ Habakuc mentem & sententiam esse, adeò evidenter demonstrat totius Prophetiæ argumentum, ut nihil opus sit pluribus de eo disceptare. Nam etsi proximè futuram post tempora ipsius calamitatem per Chaldæos attingit plurimùm; cùm tamen ex eo tempore perpetuus quasi cursus calamitatum exstiterit, quibus prisca Ecclesia divexata est usque ad adventum Christi; etiámque his ultimis temporibus pios omneis per afflictiones plurimas oporteat ad regnum cælorum contendere: non est dubium, quin Propheta constantem & perpetuum descripserit vitæ & justitiæ modum, quem omnes fideles a Deo consequuntur. Deinde, ut illud mittamus, doctrina illius loci est ætiologica; ac propterea constans & immota haberi debet, prout ætiologiarum constantem & perpetuam esse Legem sæpè ostendimus. Optimè igitur hunc locum adduxit Apostolus, ut sermonem suum institutum de Euangelio confirmaret. Sic enim argumentatur. Qua doctrina justitia Dei ex fide retegitur in fidem, id est, in obedientiam fidei, (ut paulo antè idem loquutus est) ea doctrina salutaris est, sive ad salutem omni credenti: Hæc autem doctrina est Euangelium: Ergò Euangelium est ad salutem & vitam. Quòd si est, optimo sanè jure non pudebit me Euangelii Christi. Priorem illam propositionem, quam hostes Euangelii fortè in dubium fuissent vocaturi, probat ab authoritate. Nam, inquit, scriptum est, Justus ex fide, id est, quisquis per fidem amplectitur justitiam Dei quæ est ex fide; is vivet, id est, salutem & vitam æternam consequuturus est. Certa est igitur & sancta hujus loci accommodatio, quam ne ipsi quidem Judæi possunt convellere. Sed mutatio fortè, qua utimur in modo interpretationis, nonnullos traductura est in admirationem,

onem; quia altera in vulgus recepta est interpretatio, in hunc modum, *Justus vivet ex fide*, id est, in fide & per fidem vitam obtinebit. Sed etsi hoc verum est, justum dum hic vivit ex fide vivere: duo tamen sunt, quæ me pertrahunt in alteram illam interpretationem. Unum est, ipsa argumenti ratio, quæ certè facilior longè atque illustrior est, si hoc modo, quàm illo acceperis. Alterum est, Hebræi contextus distinctio, quam ego quidem parvi facere non possum. Eam autem si sequimur, omnino ita legendum est ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται; non autem, ut vulgo legitur, ὁ δίκαιος, ἐκ πίστεως ζήσεται. Præcedentia autem Pauli verba ad eamdem quoque interpretationem ut ostenderemus pertinere, in Parallelo nostro diagrammate explicavimus; quia hoc modo apparet evidentiùs argumenti, quo Paulus utitur, consequentia, ut paulo antè exposuimus.

PARALLELUS II.

Ezech. 36.	*Rom.* 2.
23 *Sanctificabo nomen meum maximum quod profanatur in gentibus, quia profanatis in medio illarum.*	24 Nam Dei nomen propter vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.

HI duo loci tantam habent inter se convenientiam, ut explicatione opus habere minimè videantur. Loquutus est Ezechiel de regno Christi in plenitudine temporum adventuro, de Judæorum impietate nomen Dei gloriosissimum profanantium indignissimè, & de scandalo seu offensione Gentium. Quæ duo illis temporibus, quibus advenit Christus, tam apud Judæos abundarunt, quàm quæ maximè. Erant autem Judæi procul dubio hanc suam impietatem negaturi, quamvis apud gentes omnes exploratissimam. Optimè igitur hoc loco Paulus confirmat ab authoritate Scripturę institutam reprehensionem illorum; ut Romanos, & credentes omnes ex Gentibus, de veritate argumenti sui confirmaret. Quamquam non dubito, quin plures in eam sententiam fuisset adhibiturus Scripturæ locos, si cum Judæis habita fuisset disputatio.

PARALLELUS III.

Psal. 51.	*Rom.* 3.
6 *Ut justificeris in sermonibus tuis, & purus sis, quando tu judicas.*	4 Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas quando tu judicas.

HIc quoque locus omni obscuritate vacat. Psaltes ex sua ipsius hypothesi erumpens in confessionem peccati sui, eruit thesin hanc sanctissimè & appositissimè; ex peccatorum confessione (cujus nunquam pios credentes puduit) semper exsistere amplissimum gloriæ divinæ argumentum; quia illustratur maximoperè justitia & puritas illius ex peccati nostri comparatione & confessione voluntaria. Hic autem Apostolus eumdem locum Prophetæ adhibens ad dicti sui confirmationem, tacitè utitur comparatione minoris, in hunc modum: Quòd si credentes dum peccata sua confitentur Domino, profitentur justitiam & puritatem illius; eàmque supra res omnes creatas asserunt; quanto magis, obsecro, veritas, justitia, & invicta Dei puritas

 illustratur,

illustratur, si cum incredulorum mendacio & impietate comparetur? Quinimò incredulitas illorum ad asserendam Dei justitiam & veritatem facit, quia Deus non tantùm justus est apud eos qui confitentur peccata sua; verumetiam apud incredulos vincit, & omnibus modis vindicat justitiam suam. Atque hæc causa est, cur Apostolus pro eo quod dixerat David, *ut sis purus*, substituit verbum vehementius, *ut vincas*. Qua ratione voluit ostendere semper puritatem Dei, quamvis oppugnantibus incredulis, virtute sua obtinere. Hæc ergo mutatio non evertit veritatem dicti, sed sine injuria loci Davidici hanc hypothesin & argumentationem vehementiorem illustrioremque efficit.

PARALLELUS IIII.

Psal. 14.	Rom. 3.
1 *Non est, qui faciat bonum.*	10 Non est justus, ne unus quidem:
2 *Jehova e cælis prospectat super filios hominum, ut videat an sit intelligens, requirens Deum.*	11 Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.
3 *Vnusquisque recessit, pariter putidi facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vel unus.*	12 Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.
Psal. 5. 10 *Sepulcrum apertum est guttur eorum, lingua sua dolosè blandiuntur.* Psal. 140. 4 *Venenū Ptyados subest labiis eorū.*	13 Sepulcrum apertum est guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, venenum aspidum sub labiis eorum est.
Psal. 10. 7 *Exsecratione os ejus plenum est, fraudibusque, & dolo.*	14 Quorum os maledictione & re amara plenum est,
Esa. 59. 7 *Pedibus suis ad malum concurrunt, & festinantes sunt ad fundendum sanguinem innoxium: cogitationes eorum sunt cogitationes iniquæ: vastitas & contritio in aggestis illorum itineribus est.*	15 Veloces sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem. 16 Contritio & calamitas in viis eorum:
8 *Viam pacis non agnoverunt.*	17 Et viam pacis non agnoverunt.
Psal. 36. 2 *Coram oculis illius non est pavor Dei.*	18 Non est timor Dei coram oculis eorum.

Quia horum locorum omnium finis, summa, & modus accommodationis unus & idem est, quemadmodum a Paulo videmus conjunctos esse: visum est brevitatis causa item omneis conjungere, ne eamdem rem sæpius repeti oporteret. Ac finis quidem propter quem hi loci a Paulo accumulati sunt, non potest legentibus obscurus esse. Finis enim hic fuit; ut horum testimoniorum omnium authoritate institutam illam suam argumentationem confirmaret: nempe eos omnes qui peccaverunt & defecti sunt gloria Dei, opus habere gratuita justitia illius per redemtionem factam in Jesu Christo: Omnes autem non solùm ex Gentibus, verùm etiam Judæos in hoc numere

merò habendos esse, affines peccati, & gloria Dei a natura sua destitutos: ac proinde Judæos habere opus æquè ac Gentiles Dei gratia, ad justitiam & vitam æternam. Summa igitur est ex sententia Apostoli, ne ipsos quidem Judęos natura immunes esse ab illo reatu & peccati onere, quo alii omnes contaminati sunt; sed in peccatorum numero eos recenseri ex æquo oportere, & haberi pro destitutis illa Dei gloria, nisi justitiam ejus per fidem in Christum amplectantur. Etsi autem verissimum est indubitatúmque Pauli argumentum, quod ne ipsi quidem Judæi ullo Scripturæ testimonio infirmare possunt, aut etiam in speciem eludere: Quia tamen videntur hi loci a suis authoribus alio consilio fuisse pronunciati; id nobis hoc loco videndum est, ut demonstremus justam esse eorũ accommodationem, prout in hoc loco visum est Spiritui Dei per Apostolum conficere. Cur injusta & quasi detorta nonnullis videatur hęc accommodatio, una potissimùm adfertur causa plus speciei quàm veritatis habens, si rem accuratè introspexerimus. Ea est, quòd videntur Prophetę in illis locis omnibus ad personas, causas, facta, & tempora particularia respexisse: ac proinde non esse justam hanc Apostolicam accommodationem, quum ex rebus particularibus & paucis exemplis Legem universalem de cujusque hominis constitutione velle videtur efficere. Atque hæc quidem sententia aliquo modo refelli posset, si diceretur Paulus cõparationem rerum illarum particularium, & variorum temporum, puta Davidis atque Esaiæ, instituere cum illis temporibus quibus hæc a Paulo scripta sunt: cúmque in Republica Judæorum olim omnium castissima sanctissimáque fuerint illa tempora, quibus David & Ezechias regnum obtinebant; si ea tantę corruptionis & impietatis nomine reprehenduntur, multò magis cætera, præcipuè autem hæc, quibus vivebat Apostolus peccato fuisse infesta, & a justitia illa gloriáque Dei aliena. Quinetiam altera quoque defensio non incommoda insuper adduci posset: nempe inductionem esse, qua utitur Apostolus; & quia futura fuisset longior, ideò placuisse ea solùm exempla eorum temporum producere quæ omnium fuerunt longè purissima, & justitiæ gloriæque Dei, si ulla umquam exstiterunt, propinquissima. In hanc sentẽtiam Judæi omni tempore fuerunt peccatorum rei, & gloria Dei defecti sunt omnes, temporibus Mosis, Judicũ, Regum, captivitatis, reversionis, & cæteris. Imo si qua ad justitiam Dei proximè vidẽtur accedere, hęc secula procul dubio fuerunt, de quibus David & Esaias tam graves criminationes monumentis literarum consignaverunt. Ergo Judæi omnes tenentur peccati. Verùm, etsi hæ duæ interpretandi viæ piorum mentibus aliquo pacto facere possunt satis: omnino tamen videtur mihi altius aliquid subesse, quò Apostolus his locis adducendis spectavit, ut non obscurè versu 19. indicat his verbis: *Scimus quæcunque Lex dicit, ea dicere iis, qui in Lege sunt, ut omnes os obthuretur*, &c. Sententia igitur Pauli, quum hos Scripturę locos adduceret, fuit hęc; ut locis & testimoniis generalibus, ac non particularibus (ut hi putantur esse) universam Judæorum gentem æquè ac cæteras ream esse peccati ostenderet. Quod si videntur illi ex Davide loci ad aliquid particulare magis, quàm ad cõmune de tota gente dictum pertinere: tamen rem non ita esse demonstratura est singularis Psalmorum, unde hęc petuntur verba, consideratio. Nam ut de illis ordine dicam quod sentio, Psalmus decimus quartus, & consentiens cum illo quinquagesimus tertius, tantùm abest ut particula-

rem interpretationem perferre possit:ut contra singulis fermè versibus & universales voces habeantur, & generalissimæ(ut ita dicamus)universalitatis notæ. Primùm enim generali propositione homo a natura in defectionem ruens depingitur, impietate, inhumanitate, & improbitate circumfluens, atque ab omni bono & benefaciendi studio alienus, versu 1: deinde verò propositio hæc enarratur, atque confirmatur duobus testimoniis: quorum prius, est testificatio & judicium Dei ipsius re optimè cognita & explorata homines condemnantis nomine impietatis & improbitatis istius; & ne unum quidem excipientis ex utroque isto crimine, versu 2. & 3. posterius verò, est naturale testimonium ipsius hominum conscientię, quam facta ipsorum evincunt, terrores exagitant, & verbum Dei redarguit ad confusionem ipsius, tribus versib. seq. Quapropter generalem istam conditionis nostrę labem deplorans Ecclesia, concludit Psalmum ipsum precibus de redemtione & salute sua, versu ultimo; id est, justitiam Dei prehendit per fidem quæ est in Christum Jesum, & salutarem exoptat adventum illius. Hæc verò, qui particularia esse dicunt, ii neque Davidis mentem probè assequuti videntur, neque Apostoli argumentationem; quæ, hoc posito, est omnium argumentationum, quæ quidem ex Testamento vetere produci possunt, ἀποδεικτικωτάτη. De tribus Psalmis, ex quibus postea petuntur a Paulo loci, judicium idem est. Nam etsi prima specie non videtur esse tam evidens, quam hujus est, accommodatio ad generalem hominum corruptionem: non dubium est tamen, si placebit eos ampliùs expendere, non particularem ullam, sed generalem seu universalem interpretationem adhiberi eis oportere. Nam Davidem mihi numquam persuaserim ita de singularibus suis calamitatibus laborasse, ut earum argumento non assurrexerit ad universalis hominum corruptionis & mali hæreditarii contemplationem; & illud etiam multo minus est verisimile, maluisse ipsum particularia documenta suarum afflictionum Ecclesiæ Dei in perpetuum exemplum committere, quàm universalia monumenta generalis illius pestis, qua totum genus humanum infectum est, penes Ecclesiam deponere. Non inficior quidē sanctum illum virum privata sua experientia ad cogitationem publici mali evectum esse; sed cur tres illi Psalmi ad privatam & singularem aliquam ipsius afflictionem restringantur, videre non possum. Quid ergo? nempe occasione & exemplo particulares sunt; sed universales reipsa atque argumento. Nam fuit quidem nominatim David ab hominib. impiis vexatus atrocissimè; qua occasione se ipsum ad exemplū statuit, & Ecclesię universale proposuit documentum, pios omnes instituens in persona sua, velut regenitos per Dei gratiam in Christo Jesu, & a naturali sua labe potentissimè vindicatos: impios verò & eos qui in malo siti sunt secundum naturalem corruptionem suam, in persona adversariorum. Hæc ita se habere in tribus his Psalmis, quorum authoritatem adducit Apostolus, & in aliis ejusmodi, tribus potissimum argumentis demonstrabimus. Primum est a fine Scripturæ sacræ. Nam quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiā & consolationem Scripturarum spem habeamus, inquit Apostolus. Hæc autem à Davide scripta, & Ecclesiæ tradita sunt, a Deo sancita, & ab Ecclesia ad communem ædificationem relata in corpus Scripturæ sacræ. Sunt ergò exemplo quidem singularia, ut antè diximus; sed communia & universalia documento. Secundum est, a constante analogia causarum

Rom. 15. 4.

rum efficientium, effectorúmque in hominibus regeneratis gratia, vel in naturæ labe permanentibus. Nam ut regeneratum Davidem gratia Dei prosequuta est, homines autem regenerationis expertes eum persequuti sunt; sic in perpetuum gratia Dei in illis qui regenerati sunt, & hæreditaria naturalisque corruptio in his operatur; Quemadmodum alio exemplo confirmat Apostolus Galat. 4. Nam utraque causa efficiens in utroque hominum genere potentissima est, & semper efficax; illa quidem, supernaturalis; hæc verò, naturalis, libera, & non impedita in homine naturali sive ψυχικῷ usq; dum impediatur per regenerationis gratiam. Tertium est a fine, quem singulis in Psalmis Propheta apposuit. Non enim simpliciter eum finem Propheta adhibet qui aut personã ipsius, aut domesticos, aut populares, aut ætatem suam non transeat; sed finem universalem ubique ponit ad totam Ecclesiam, singuláque pia ipsius membra in Christum insita, & ad omnia tempora pertinentem. Est igitur optima horum locorum accõmodatio. Sed tamen quia faciliùs in dubium vocari potuit, quàm illa accommodatio Psal. 14. ne quis fortè unam tantùm perspicuam probationem hic ab Apostolo allatam esse contenderet, prudentissimè Spiritus sanctus curavit, ut Paulus ad hæc testimonia duo quoque ex Esaia Propheta & Davide adduceret, quæ ne Judæi quidem ipsi negare possint ad universitatem suæ ipsorum gentis pertinere. Nam cùm priore in loco propheta contestetur populum Judæorum Dei ipsius verbis; deinde verò, objectis speciatim atrocissimis illius peccatis, ad judicia Dei præsentia futuráque in peccatores transeat usque ad salutarem adventum Christi: ecquis negaturus est universam Judæorũ gentem, quæ universa exarsit severissimis Dei judiciis, reprehendi peccatorum suorum nomine? Posteriorem verò universalis esse interpretationis, quisquis bonus est, agnoscet; qui malus, evincetur, si vel frontem illius Psalmi aspexerit. Nam eadem est planè illius ratio quę Psalmi 14. quem in primo testimonio citavit Apostolus. Atque hęc quidem de sanctissima horum locorum ad quæstionẽ institutam accommodatione, quam propterea disertis verbis illicò Paulus asseruit adversus falsas Judæorum calumnias, per anticipationem prudentissimam dicens: *Scimus autem quæcunque Lex dicit*, &c. in hanc sententiam: oblatrabunt fortasse Judæi (prout hoc tempore est summa illius gentis impietas) ea de aliis, aut de particularibus, ac non de gente sua dici. Sed unum mihi argumentum satis est isti cavillationi refellendæ; nempe quòd Lex ipsorum est quę hęc dicit, id est, libri sunt Veteris Testamenti, quos ipsi pro lege & regula suæ fidei vitæque a Deo habent, & ita sibi vindicant, ut ferre non possint siquis eos ad alienigenas transtulerit. Ipsi ergò sui sunt judices. Sic optimè constitutis causę suę probationibus, concludit Apostolus oportere ut omne os obthüretur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei; sentiant deniq; singuli ex operibus Legis nullam carnem justificatum iri in cõspectu Dei. Restat ut de mutatione, quæ his locis incidit, pauca quædam afferamus; ne imperitioribus moram injiciant, aut dubitationis causam. Mutationis igitur in his locis tria sunt genera. Nam alia per æquivalentia explicantur, alia interpretationem quamdam habent, alia contrahuntur, ut quæ pro instituto commodè brevioribus dici potuerint. Aequivalent quamplurima. Explicatio verò illustris est illorum Davidis verborum, *Pariter putidi facti sunt*; quum res metaphorica propriis verbis enunciatur, *simul facti sunt inutiles*. Contrahuntur verò

quædam;

quædam; tum quia sunt interdum voces ad hunc locum nō necessariæ, ut quum Paulus simpliciter meminit effusi sanguinis, ubi Esaias innoxium sanguinem nominavit: tum quia quædam in eum modum contracta plus habent evidentiæ, ut pro eo quod veluti forensem cognitionē a Deo institutam narravit Psaltes, *Jehova è cœlis prospectat*, &c. Paulus simpliciter eventum narrat, quem Deus constituto judicio comperit dicens, *Non est qui intelligat, Non est qui exquirat Deum*, &c. Nam hac ratione Apostolus & lucem narrationi intulit, & sermonem magis accommodavit adjunctis omnibus. Quæ res quotiescumque fit tempore & loco; piæ prudentiæ, non autem impietatis aut inofficiosæ temeritatis est, ut libro 1. Parall. 5. ostendimus.

PARALLELUS V.

Genes. 15.	Rom. 4.
6 *Credidit autem Abram Jehovæ, & imputavit hanc ei justitiam.*	3 Credidit autē Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.

Hujus loci proprius finis est, ut ex Abrahami exemplo justitia Dei cognoscatur, quæ per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt, pervenit. Summa, fidem qua Abraham percepit promissiones Dei, prehendisse justitiam illam salutarem, quam sibi imputavit Deus. Est igitur horum locorum certissima inter se consensio, quam verbis nostris nihil opus est explicari, cùm Paulus eam explicet evidentissimè. Quòd autem verba Mosis a Paulo commutantur, & ex activo verbo passivum factum est; ideo fecit Paulus, quòd ambiguitatem verbi hoc interpretationis modo præcavendam esse in hoc argumento duxerit. Nam si dixeris, imputavit ipsi justitiam, etsi apud fideles dubium esse non potest; simplicioribus tamen oblata fuisset dubitatio, uter imputaverit, Deus ne Abrahamo, an Abraham sibi. Hoc autem sensu integro, sed passivè explicato verbo, tollitur commodissimè; quod apud Romanos fieri oportuit.

PARALLELUS VI.

Psal. 32.	Rom. 4.
1 *Beatus, cui condonata est defectio, cujus tectum est peccatum.*	7 Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata.
2 *Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem.*	8 Beatus vir, cui non imputaverit Dominus peccatum.

Finem & summam hujus loci proximè præcedente versu sic Paulus explicavit; ut qui ampliùs dicat, soli lucem fœnerari velit. Mutatio unica est in numero nominis: Nam quod David sylepticè singulari dixerat; id Apostolus, ad majorē evidentiam, plurali hoc loco enūciat.

PARALLELUS VII.

Genes. 17.	Rom. 4.
5 *Patrem multitudinis gentium constitui te.*	17 Patrem multarum gentium constitui te.

Com-

COmmunis est finis utroque in loco, ut spiritualis Dei erga Abrahamum benedictio ostendatur ab hæredum frequentia & multitudine in Ecclesia Catholica. Summa, frequentiam fore maximam eorum, qui in fide futuri sint filii Abrahami. Sed finis singularis est, propter quem hic locus a Paulo adducitur; ut cõfirmet dictum antecedentis versus, quod dictum exegeticum est hujus ipsius promissionis: nempe Abrahamum esse Patrem omnium nostrum; puta non solum ejus seminis quod est naturæ Lege, verumetiam illius quod est ex fide Abrahami. Quò pertinet etiam illud, quod proximè sequente versu ex Geneseos 15. adducitur, *ita erit semen tuum*, quum Deus stellas cœlestes ipsi videndas exhiberet. Quod autem posteà versu 19. affirmat Paulus, *minimè imbecillem fide fuisse Abrahamum, ac non consideravisse suum ipsius corpus jam emortuum, quum natus esset quasi annos centum, nec emortuam vulvam Saræ*, &c. id usque adeò verum est, ut ad promissi illius auditionem eum risisse Moses scribat, & prę lętitia (tanta erat fide) coram Domino gestivisse. Gen.17.17.

PARALLELUS VIII.

Psal.44.	Rom.8.
23 *Causa tua occidimur totum diem, habemur velut pecudes mactandæ.*	36 Causa tua occidimur totum diem, habiti sumus velut oves destinatæ mactationi.

HIc locus ita apertus est, ut interpretationis ullius non egeat. Confirmabat Paulus nihil futurum esse, ac ne gladium quidem qui nos separaturus sit a charitate Christi. Ne quis ergo objiceret hanc gloriationem Christianam esse de nihilo; ostendit Apostolus ex Prophetæ ipsius testimonio, hanc piorum conditionem esse, ut gladio & omnibus calamitatum generibus infesti sint: sed hanc unam consolationem ipsis accedere, quòd Dei causa patiuntur ista, subeúntque omnia propter charitatem Christi. Sic ab authentico testimonio confirmat nihil a se dici per hypothesin ludicram; sed certa cum fiducia, animo ad subeundas afflictiones propter nomen Christi paratissimo subire certamina luctámque Christianam piis omnibus pronunciatam.

PARALLELUS IX.

Gen.21.	Rom.9.
12 *In Isaac vocabitur tibi semen.*	7 In Isaac vocabitur tibi semen.
Gen.18.	8 Hoc est, non qui filii carnis, ii filii Dei, sed qui filii promissionis sunt, censentur in semine.
10 *Revertar ad te, quum hoc tempus vigebit, Ecce autem filius erit Saræ uxori tuæ.*	9 Hic enim est promissionis sermo: hoc ipso tempore veniam, & erit Saræ filius.

CUm duas institutæ quęstionis partes Apostolus in antecedentibus Epistolæ hujus capitibus ex authoritate Scripturæ certissimisq; rationibus exposuerit: capite demum nono per anticipationem

onem sive (ut Græci Rhetores vocant) ὑποδιόρθωσιν quamdam aggreditur summæ causæ explicationem, unde nata est hæc Dei administratio, ut offensioni & invidentiæ Judæorum aliquo pacto, si non omnino posset, mederetur. Primùm enim docuerat, nõ gentes solùm, sed etiam Judæos omnes sub peccato inclusos esse; ac propterea etiam iræ Dei a natura filios, nisi justitiam Dei, quæ est per fidem in Christũ, prehenderent. Deinde verò credentes omnes, non circumcisos solùm, sed incircumcisos etiam, fieri justitię illius participes, tum exemplis & authoritate Scripturæ, tum rationibus ostenderat: eámque justitiam fidei a regenerationis & sanctificationis fructibus descripserat, & exornaverat elogiis singularibus. Hoc tantum Dei beneficium sibi oblatum pervicacia sua gens Judæorum oppugnabat, & aliis invidebat; adeò ut quod ipsis futurum erat salutare, fieret ipsorum culpa exitiale atque lethiferum, & odium invidiámque non mediocrem ipsorum in Apostolos & ministros Euangelii accenderet. Videns itaque Apostolus in quantum odium apud gentem suam adduceretur; quòd salutis & justitiæ beneficium ex fide, ac non ex Lege, Gentibus etiam, ac non Judæis solùm docuisset, & cõstanter docere exhiberi; posita ὑποδιόρθωσει per sanctissimam studii sui & existimationis de gente sua affirmationẽ principio hujus capitis, ostendit neque durum Judæis neque novum videri oportere, si Deus cum credentibus omnibus, etiam pręter Judęorum gentem, vitam & justitiam suam ex fide communicet. Nam id ab æterno decretum esse in consilio Dei, & suo tempore jam olim significatum Judæis, in lege, & ante legem, certissimis & constantissimis Dei promissionibus. Ac de Judæis quidẽ ostendit opus prædestinationis esse, quòd electi solùm, id est, promissionis filii censentur in semine, non omnes promiscuè: de gentibus verò, quòd non omnes sinuntur se ire perditum, sed quędam adductę sunt, ut illę quoque communiter eam justitiam quæ ex fide est prehenderent. Quorum prius membrum ad versum usq; 24. posterius reliquo capite exponitur. Non omnes qui ex Israële sunt, Israëlem esse proponit versu *6.* exponitque septem sequentibus: tum id ab electione gratuita esse docet, 14. versu, & quatuor sequentibus: eam denique vacare omni injustitia, & sapientissimam esse ordinationem potentiæ Dei demonstrat versu 19. & quatuor sequentibus. Propositionem, quam hic figuratè enunciat Apostolus, quia vox Israëlis æquivocè accipitur (nimirum propriè, & patronymicè, ut Hebræi solent) optimè demonstrat Apostolus & confirmat duobus exemplis: uno Isaaci ex Abrahamo, altero Jacobi ex Isaaco progeniti. Sic enim hoc loco statuitur: Quemadmodum eo tempore sermo Dei minimè excidit, quum præterito Ismaële Isaac filius Abrahami dictus est, aut Jacob filius Isaaci omisso Esau: sic etiam non esse, cur Israëlitę sermonem Dei excidisse putent, si deinceps quoque idem jus & authoritatem electionis integram sibi servavit Deus. Itaque in priore exemplo prudentissimè duo ex Mose loci adducuntur: quorum priore ostendit Apostolus, quid Deus fecerit; posteriore autem, quo jure illud fecerit in Isaaci causà. Quid fecerit, exponit illis verbis, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Quæ verba sequente versu adeò luculentam habent explicationem, ut nihil suprà. Nam etsi Ismaël filius carnis fuit prognatus Abrahamo, non tamen filius Dei propterea censendus est; sed qui filius fuit promissionis, hic censendus fuit in semine. Quo jure id Deus fecerit, in versu *9.* exponitur; nempe quia fuit promissionis filius, id est, non

ex

ex carne solùm, sed ex sermone promissionis divinæ genitus, cujus promissionis verba ex Gen.18.cap. adducuntur. Hîc verò infideles, & sanctissimæ hujus doctrinæ de gratuita electione hostes statim objecturi sunt, ineptam hoc loco consequentiam à Paulo adstrui, qui ab exemplo particulari uno aut altero universalem doctrinam ausus sit eruere. Ad objectionem istam facilis responsio futura est, si modum argumentationis spectemus; cum Apostolus singulari illi enunciationi, *In Isaac vocabitur tibi semen*, interpretationem adhibeat plurali numero, dicens, *hoc est, non qui filii carnis, ii sunt filii Dei.* Sic enim sentit Apostolus; etsi de singulari una persona hæc verba dicta sunt, tamen analogicè ad communem sive universalem populi Dei distinctionem, administrationémque pertinere; non solùm exemplo, quod tamen in rebus divinis non mediocre momentum obtinet: non solùm typo, cùm tamen domus Abrahami per illud tempus typus fuerit Ecclesiæ nostræ: non solùm analogia sumta à parte ad totum, quæ etiam in hoc argumento non potest jure præteriri: sed omnium maximè à natura Dei constantissima; cujus una est, semperque sibi constans, voluntas erga Ecclesiam, & administratio. Quemadmodum eodem jure jam antè vidimus Abrahami exemplum afferri cap.4. ad vim fidei in credentibus omnibus confirmandam. Nam Deus unus est; unus, inquam, natura, consilio, sapientia, justitia, misericordia: eóque simplicissimus, quòd numquam aliter se habere potest: cùm non sit in ipso mutatio, ac ne ullius quidē mutationis obumbratio. Optimè igitur ab authoritate Dei constantiáque æterna confirmat Apostolus, filios carnis, id est, reprobos justè ab ipso præteriri: promissionis verò filios misericorditer ex communi perditione eripi, secundùm beneplacitum voluntatis ejus in Christo Jesu. Jacob.1.

PARALLELUS X.

Genes.25.	Rom.9.
23 *Majus serviet minori.*	12 Major serviet minori.
Malach.1.	
2 *Dilexi Jacobum,*	13 Sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau verò odio habui.
3 *Esau verò odio habui.*	

ETsi antecedentis exempli tanta est authoritas, ut pio cuilibet debeat esse satis: visum est tamē Apostolo alterum prætereà exemplum adhibere ad electionis gratuitæ, & præteritionis sive reprobationis justæ confirmationē; qua hominibus vel fastidiosissimis naturę suæ tenebras propugnantibus ora occluderet. Est autem hujus exempli & singularum illius partium eadem ratio atque accommodatio, quam in superiore ostendimus. Sed una hic nascitur objectio, Alienum videri, non illud solùm quòd hypothesis vel particulare exemplum affertur ad theseos sive universalis doctrinæ confirmationem; sed etiam illud maximè, quòd argumentatio fit à rebus disparatis: nimirum à corporalibus & temporariis benedictionibus ad spirituales, æternásque. Ac de priore quidem absurdi (ut illis videtur) parte jam in Parallelo proximè præcedente diximus: ubi ostendimus optimè ab hoc hypothesium genere adstrui consequentiam theseos sive doctrinæ generalis. Restat igitur, ut de posteriore dicamus paucis. Ac primùm quidem, etsi res quæ in hunc locum adducuntur ratione subjecti vel materiæ

suæ

suæ disparatæ videntur esse; genere tamen inter se habent convenientiam: ac proinde quatenus genere inter se conveniunt, communem habent generis analogiam. Sed ne hæc quidem solutio satis est: altera hęc indubitata est, & omnium bonorum judicio inexpugnabilis: Quę Deus conjunxit promissionibus, ea nemo potest divellere: Promissiones autem corporales & temporarias spiritualibus æternisque conjunxit Deus; non solùm ut promissionum partes, verumetiam (quod gravius est) ut rerum majorum symbola atque sacramenta, ad relationem rerum spiritualium æternarúmque ex Dei institutione pertinentia. Hæ ergo nulla ratione ab ullo homine inter se divelli possunt. Ac proinde cui temporalem dilectionem, dominium, & benedictionem ex promisso adjudicavit Deus olim, quum Ecclesia vetus promissionibus symbolisque temporalibus fulciretur ad exspectationem melioris vitæ civitatisque in cælis; eidem benedictionem spiritualem ex verbo Dei censemus competere: è diverso autem, cui odium, servitutem, & maledictionem denunciavit Deus, eidem competit spiritualis maledictio. Quum autem de Jacobo & Esavo Deus loquutus est nondum natis pueris, ut propositum ipsius secundùm electionem permaneret, dixit, *Major serviet minori:* & Malachias Propheta altiùs conscendens, causam hujus eventus explicat, dicens, *Jacobum dilexi: Esavum verò odio habui.* Stat igitur firma & immota Dei sententia, cùm corporalium terrenarúmque rerum respectu, tum verò maximè spiritualium atque cælestium. Optimè ergò argumentatur Apostolus, non tanquam simpliciter à parte ad totum, sed à signo divino transcendens ad rem significatam illius. Quod argumentum nullo planè sophismate eludi potest.

PARALLELUS XI.

Exod. 33.	Rom. 9.
19 *Gratiosus ero cui fuero gratiosus, & miserebor cujus misertus fuero.*	15 Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem cõmiseratus fuero.

CUm de fine & argumento utriusque loci facilè inter omnes bonos conveniat: hic de accommodatione solùm dicturi sumus. Videtur enim, ut in antecedentibus duobus Parallelis, ita in hoc loco infirmam consequentiam nectere Apostolus ab exemplo singulari vel particulari. Sed cùm ad istud objectionis genus satis copiosè pro instituto nostro responderimus in Parallelum nonum, non sumus inculcaturi ea quæ illic explicavimus: hoc ampliùs dicturi sumus, quod hujus loci proprium est; sententiam Dei, quę Mosi his verbis fuit enunciata, non esse particularem; sed universalem: ac proinde optimè Apostolum sequente versu ἐξηγητικῶς doctrinam universalem conficere ab authoritate loquentis Dei. Nec refert, quòd occasione particularis historiæ atque postulati hæc verba pronunciavit Deus. Nam quis nescit factum quidem singulare, jus verò commune & causas illius universales esse? Quemadmodum libro 1. Parallelo 6. docuimus. Quòd si juris apud homines una est perpetuáque a natura & constans regula, multo magis eadem constantia affirmanda est in Dei administratione; qui numquam non est idem & seipsum negare non potest. Itaque certissima est & invicta probatio ab authoritate; qua ostendit Apostolus nullam

nullam apud Deum injustitiam esse, quòd nonnullos eligit pro sua misericordia; quia solum electionis fundamentum est beneplacitum voluntatis ejus in Christo Jesu: in quo, sic ab æterno electorum suorum misertus est, ut in tempore faciat eis misericordiam, quam ab æterno decreverat secundùm electionem gratiæ. Atque hæc duo, æternum, inquam, decretum divinæ misericordiæ, & demonstrationem sive explicationem decretæ misericordiæ in Christo Jesu, Deus Mosi exposuit, dicens, *Miserebor* nimirum ex facto, *cujus misertus fuero*, puta in æterno decreto & beneplacito voluntatis meæ.

PARALLELUS XII.

Exod. 9.	Rom. 9.
16 *Propterea institui te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut enarretur nomen meum in universa terra.*	17 Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra.

Finis, propter quem hunc locum adducit Apostolus, ex versu 14. petendus est. Quæsiverat Apostolus per occupationem *num injustitia sit apud Deum*, quòd hos diligit & illos odit, hos eligit & illos præterit. Quòd eligit non esse injustum, probavit versibus antecedentibus. Jam quòd odit & præterit pro placito voluntatis suæ, id non esse injustum confirmat his verbis, quæ Pharaoni indixit Moses. Summa igitur est, Quos Deus præteriit in æterno decreto suo, ac non tradidit Filio dilectionis suæ, eos sibi ipsis permitti & tradi cupiditatibus carnis suæ, adeóque ad peccata sua obstinari atque proritari justo judicio Dei; ut potentiam suam in eis & gloriam suam in omnibus testatam faciat. Est quidem (ut in superioribus diximus) istud exemplum particulare facto; sed jus illius, quod Deus pronunciavit, est constantissimum: ac propterea optimè Apostolus ex hypothesi constituit thesin, dicens, *Itaque cujus vult miseretur; quem autem vult indurat.* Hic verò fortasse objecturi sunt, qui sanctissimæ huic doctrinæ adversantur, non solùm eo nomine huic locum adduci iniquè & præter consilium Dei, quòd exemplum agitur particulare in persona Pharaonis; sed etiam eo maximè, quòd Deus videtur causam ostendere, cur superstitem ipsum adhuc reliquerit ex peste AEgyptum infestante; non autem ad mysterium illud reprobationis respicere. Atque hanc sententiam videntur illi ex adjunctis confirmare posse, cùm antea disertis verbis ita sit loquutus Dominus, *Modò enim quum extendi manum meam, percussissem etiam te & populum tuum peste; sic fuisses excisus e terra. Verumtamen propterea excitavi te*, &c. Sed utrumque illum objectionis locum, ne longiùs abeamus, ex ipsa Mosis narratione facile est refellere. Nam primùm non esse particulare personæ Pharaonis, sed commune ipsius & populi AEgyptiorum, qui partes ipsius protervè contra mandatum Dei sequutus est, illa ipsa antecedentia verba clamant, nobis tacentibus. Non enim simpliciter dicitur, *percussissem te*, sed potiùs, *percussissem etiam te & populum tuum.* Non igitur particulare exemplum est, sed latè patens ad confirmandam justitiam Dei contra immorigeros, qua indurantur illi, & suis ipsorum peccatis in ruinam gravem impelluntur. Deinde verò,

non

non simpliciter a Deo dicitur, *Feci ut restares ex illa peste*; sed respicitur ad illud totum Pharaonis opus, quo in obfirmatione sua Deo restiterat, & porrò erat restiturus; ut duobus antè versibus Deus pronunciaverat, & Moses ipse in narratione dixerat, *obfirmatum fuisse a Jehova cor Pharaonis, ut non auscultaret eis, quemadmodum prædixerat Jehova Mosi.* Quæ verba non obscurè docent; hanc Dei sententiam ad totum historiæ contextum, ac non ad membrum illud solum pertinere. Postremò autem, ut demus ita esse; tamen certum est in Dei operibus & administrationibus tam constantem esse rationem; ut certissima sit argumentatio, quæ ab effectis ejus ad causas, & quæ a consequentibus ad antecedentia necessariò conjuncta adstruitur. Est autem hæc induratio sive obfirmatio: qua Deus improbitatem Pharaonis ampliùs exacerbavit, certissimus effectus malitiæ Pharaonis: malitia verò illius, certissima & indubitata præteritionis illius sive reprobationis divinæ consequentia. Nam si Deus non præterivisset ipsum, reprobavissétque; non fuisset Pharao in tantum odium apud Deum & in tantam insaniam impietatémque deventurus. Igitur utcumque accipiatur, optimè concludit Apostolus: Quemadmodum Pharao induratus est sua ipsius malitia in Dei odio, quod odium non aliunde quàm ex præteritione ejus & consequente reprobatione profectum est: sic etiam omnino fieri, neque aliter fieri umquam posse in iis qui pereunt, quin versentur in odio Dei propter malum suum, & in malum ruant per se instinctu Satanæ de sua vitiositate, quia præteriti sunt a Deo, ac non probati & electi in Christo Jesu.

PARALLELUS XIII.

Oseæ 2.	Rom. 9.
23 *Miserebor* Lo-ruchamæ, *&* *ad* Lo-hammi *dicam, populus meus es, & ipse dicet, Deus mi.*	25 Vocabo populum qui meus non erat, populum meum; & eam quæ dilecta non erat, dilectam.
Oseæ 1.	
10 *Eritque loco ejus quod dictum fuerat eis, Non populus meus estis, ut dicatur illis, filii Dei viventis.*	26 Et erit in loco ubi dictũ fuerat eis, non populus meus vos, illic vocabuntur filii viventis Dei.

HI duo Prophetæ loci non obscurè ad eum finem, & argumento eodem adducuntur, quo a Propheta fuerunt enunciati. Ostendit enim Apostolus, quòd in sua illa prophetia Oseas prædixerat de gentium vocatione in Ecclesiam Dei, id hoc demum tempore completum esse. Nam primum & secundum caput Oseæ totum in eo argumẽto consumitur, ut evicti suæ impietatis & improbitatis Judæi & Israëlitæ omnes sentiant optimo jure a Deo decretum esse, ut ipsos deserat, & gentes advocet ad communionem Ecclesiæ suæ. Quam rem ut Judæi commodiùs intelligerent, neq; ulla tergiversatione possent eludere; visum est Domino per Prophetam suum totum humanum genus in duas classes distribuere, quarum una est populi sui, & gentis misericordiam consequutæ; altera non populi & gentis non consequutæ misericordiam. De his autem diversos eventus & quasi in contrarium commeantes Propheta denunciat: nempe fore ut ex populo & gente misericordiam obtinente, efficiatur non populus, & gens expers misericordiæ: contrà

contrà verò ex eo qui fuit non populus & gens expers misericordiæ, fiat populus Dei & gens adepta misericordiam. Hanc verò gentem utramque nemo, qui quidem mediocriter imbutus sit literis sacris, non potest internoscere. Nam si populus Dei & gens adepta misericordiam fuit populus Israëlis & Judæ; omnino sequitur appellatione non populi & non assequutæ misericordiam reliquas gentes a Propheta designatas esse. Quod si est (ut profectò est) sequitur optimè hoc loco eventum gentibus accommodari, quem de non populo & de gente experte misericordiæ Oseas prænunciaverat: nempe hoc demum illud tempus esse, quo pars illa humani generis, quæ tum fuit non populus, adoptata est in populum & numerum filiorum Dei assequutum misericordiam & dilectionem ejus, quod præcedente versu Paulus disertis verbis affirmaverat. Quòd autem partim verborum Propheticorum ordo inversus est, partimque mutatio quædam facta in alias voces argumento & significatione conjunctissimas, alia verò prætermissa: ideò factum est, ut partim res evidentiùs ad tractationem antecedentem accommodaretur, partim ut brevitati consuleretur; quia satis id esse visum est Apostolo, si locos illos duos, qui evidentissimè vocationem Gentium docuerunt, pro ratione instituti, omissis aliis rebus non ita ad argumentum hoc pertinentibus, perstringeret.

PARALLELUS XIIII.

Esa. 10.	Rom. 9.
22 *Si fuerit populus tuus Israël numero sicut arena maris, reliquū ex eo reversurum est: consummationē præcisam cōsummabit exundans justitia.*	27 Etiamsi fuerit numerus filiorum Israëlis ut arena maris, reliquiæ servabuntur.
23 *Nam consummationem & quidem præcisam Dominus Jehova exercituum facturus est in universa terra.*	28 Rem enim conficit & concidit cum justitia, quoniam rem cōcisam perficiet Dominus in hac terra.
Esa. 1.	
9 *Nisi Jehova exercituum reliquisset nobis superstites, utique paucos; ut Sodomum essemus, Gomorrhæ facti fuissemus similes.*	29 Et sicut priùs dixerat Esaias, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorrhæ similes facti fuissemus.

QUemadmodum præcedente Parallelo diximus, voluisse Apostolum authoritate Scripturæ confirmare unum propositionis illius membrum, quam versu 24. antè statuerat: id etiam in hoc Parallelo tenendum est. Fuerat enim propositio, Deum vasa misericordiæ, quę præparavisset ad gloriam suam, non solùm ex Judęis, verum etiam ex Gentibus vocaturum esse. Ac de Gentibus quidem hysteron proteron ex Osea Propheta duobus versibus proximè præcedentibus loquutus est; & simul ostendit ex loci illius indicio, in quantam zelotypiam Dominus Judæorum gentem provocaturus esset. Nunc ergo alterum hoc membrum de Judæis confirmat duobus Esaiæ locis: Sed ita ut ostendat sola Dei misericordia & gratuita electione fieri, ut aliquæ saltem reliquię ex Judęorum gente salutem consequantur. Sunt autem Esaię verba adeò luculenta, ut ampliore interpretatione opus non esse videatur. Sed quia partim accommodationem a Paulo institutam, partimque

tímque mutationem verborum ejus, imperitiores mirari ex ignoratione, impii verò improbè exagitare possunt, de utroque paucis dicendum est. Accommodationem paulo duriorem id videtur facere, quòd de singulari aliquo tempore videtur Esaias loquutus esse. Atqui primò omnium falsum illud est, quum particularis dicitur esse loci illius interpretatio. Nam sive ea verba spectes, quæ ex capite 10. sive sequentia, quæ ex primo adducuntur; adjuncta omnia Judæis omnibus invitis clamant, hæc verba quæ adduxit Paulus ad plenitudinem temporum, quibus Deus in carne patefactus est & Euangelium prædicatum, maximè pertinere. Nam cùm Propheta utroque in loco inde a suo tempore sigillatim omnia velut momenta percurrat afflictionum usque in adventum Christi, & in postremo hoc tempore maximè observari doceat minarum promissionúmque Dei complementum oportere: iniquum est planè si quod de toto tempore & singulis ejus partibus affirmatur, ad singulare aliquod tempus restrinxeris. Sic autem se habent illæ Dei interminationes per Prophetam enunciatæ. Propterea enim & caput ipsum primum & caput secundum promissionibus de regno Christi concluditur, unde octavum & nonum incipitur. Deinde verò, ut demus particularem alicujus temporis fuisse illam Prophetæ denunciationem de facienda consummatione & servandis pauculiis reliquis; omnino tamen constat unicam semper esse & perpetuam justitiam Dei, perpetuámque hominis injustitiam; nisi reliquias ex genere nostro servaret misericors Deus secundùm electionem gratiæ. Cùm ergò insit in homine naturalis causa perditionis ipsius naturaliter, in Deo verò solùm causa gratiæ supernaturalis; atque hanc erga reliquias effusum iri Deus pronunciaverit: quæ dementia homines invasit, ut illud sanctissimum decretum Dei & constantissimum conentur labefactare? Quemadmodum profectò faciunt, si ex universali pronunciato gratię particularem sententiam effecerint: Quæ etiamsi particularis esset, tamen ex universali sententia & perpetuo fonte misericordiæ Dei ducitur, ac proinde legem universalem constantissimæ administrationis ejus complectitur. Quæ cum ita sint, omnino statuimus justam & necessariam horum locorum accommodationem esse. Quòd autem mutationes quædam intercidunt, id non evenit temerè; sed certo consilio factum est ab Apostolo: tum ut ea quæ ad hoc argumentum propriè non pertinent missa fierent, tum ut evidentiora essent, quæ alioqui plus obscuritatis fuissent habitura. Prioris generis illud est, quod Apostolus nonnullas voces missas fecit, quæ Esaiæ 10. cap. habentur. Quarum adjectio nihil lucis ad hanc rem attulisset; quia ad circumstantias veteris Ecclesiæ, quæ typus est nostræ, pertinebat. Posterioris verò generis illud est, quòd loco illorum verborum quæ cap. 10. Esaias pronunciavit, *Nisi Dominus exercituum reliquos fecisset nobis superstites, utique paucos*, &c. illorum igitur loco adscripsit Paulus, *reliquum fecisset nobis semen*; ut in hac temporum plenitudine ostenderet longè fuisse paucissimos, quos Deus ex communi illa gentis Judæorum perditione exceperit. Etsi haud scio an hoc ipso loco Apostolus de industria nomen seminis adhibuerit, ut ad Christum, qui ex Judæis secundùm carnem ortus est, respiceret: Quemadmodum videmus a Paulo factum reliqua parte capitis hujus & toto sequente; ut Christum velut benedictionis semen proposuerit, in quem quisquis credit, non sit pudorem experturus. Sed de hac re penes doctos & pios judicium esto.

Parallelus XV.

Esai.28.

16 *Ecce pono in Sione lapidem, lapidem probationis, angularem, pretiosum, fundatione fundatissima. Qui credit non præfestinabit.*

Rom.9.

33 Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis: & quisquis credit in eum, non pudefiet.

Videntur quidem hi duo loci non satis commodè inter se respondere, si prima specie ad verba eorum respexeris. Sed tamen non est dubium, quin & fine & argumento summam habeant convenientiam. Etenim finis est, ut exponatur occasio data divinitus, qua homines reprobi, adeóque gens ipsa Judæorum in peccata ruens, per contumaciam suam in ruinam dentur præcipites. Summa est, cùm Judæi legem justitiæ sectantes pergant provehántque in sua injustitia, & contumaciter justitiam eam quæ est ex fide aversentur in pernitiem suam, Deum hoc demum tempore, id est, in temporum plenitudine, Filium suum misisse in carne, qui credentibus quidem, id est, justitiam quæ est ex fide amplectentibus petra sit receptus, salutis, & gloriæ æternæ: aliis verò, non sua; sed ipsorum contumacium hominum & ad peccata projectorum culpa, lapis sit offendiculi & petra offensionis, in quam irruentes corruant magno malo suo. Atque hæc quidem ab Esaia fuisse in hanc sententiam intellecta totū 28. caput tam clarè loquitur, ut actum agere nobis videamur, si de hac re probationes afferre studeamus. Quamobrem cōmodissimè a Paulo adduci nemo pius non confitebitur. Sed quædam sunt mutationes, quibus fortasse imperitiores movebuntur ut de fide hujus loci dubitent, nisi adhibeatur interpretatio. Ut autem nihil dicamus de iis rebus quas de industria omisit Apostolus, eò quòd nihil viderentur ad argumentum istud hoc loco pertinere: Duæ sunt mutationes gravissimę, quę scrupulum possunt injicere. Una, quòd Esaias *lapidem probationis* dixit, Paulus verò *lapidem offendiculi & petram offensionis*. Altera, quòd pro illis Esaiæ verbis, *non præfestinabit*, scripserint Apostoli, *non pudefiet*. Utriusque verò mutationis quædam est communis ratio, quam metalepticam dicimus; quia ex antecedentibus intelliguntur consequentia, eodémque jure hæc sufficiuntur in illorum locum. In priore loco Epitheton est Christi, quòd sit *lapis probationis*, id est, ad quem futurum est ut homines omnes probentur, utrùm probi an reprobi sint. Hujus verò probationis consequens est, si ad impios atque reprobos respexeris, quòd illis est lapis offendiculi & petra offensionis, id est, quòd illi sua malitia allidunt, non autem credunt; Ac proinde allidentes corruunt, non autem credentes salutem consequuntur. Etsi hoc quoque ampliùs tenendum est, in hujus loci interpretatione prudentissimè operam dedisse Paulum, ut hanc suam interpretationem (quæ justa est certissimáque interpretandi ratio) ex eodem spiritu hauriret, & ex eodem Esaiæ Prophetæ libro. Nam hæc ipsa interpretationis verba apud Esaiam exstant cap.8.v.14. & seq. In posteriore autem mutatione non admodum est gravis quæstio. Nam optimè inter se conveniunt Prophetæ verba, atque Apostoli, hoc & sequente capite. Præfestinare apud Esaiam nihil aliud sonat, quàm fiducia sui Christum (ut ita dicamus) antevertere, vel fiducia Legis justitiæ,

quam inconsulti homines sectati sunt, justitiam quæ est ex fide negligere,& per se suáque opera ad salutem contendere. Hujus autem præproperę & inconsultę actionis consectarium est indubitatum,confusio. Nam ut credentes & Christum sequentes ducem, non pudefiunt; sic *αὐτοδίκαιοι*,sectantes justitiæ Legem,non possunt non pudefieri. Optimè igitur Apostoli pro eo quod dixerat Esaias,*Qui credit in eum,non præfestinabit*, interpretationis ergô reddiderunt in hunc modum, *Quisquis credit in eum,non pudefiet*;cùm pręfestinantes non alium eventum quàm confusionis assequantur.

Parallelus XVI.

Levit. 18.

5 *Qui fecerit ea,homo victurus est eis.*

Deuteron. 30.

11 *Præceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum a te, neque longinquum est.*

12 *Non est in cælis,ut dicas, Quis ascendit nobis in cælum, qui perceptum tradens illud nobis, enunciet nobis illud,ut faciamus illud?*

13 *Neque ultra mare est, ut dicas, Quis transeat nobis in tractũ ulteriorũ maris,qui perceptum tradens illud nobis,enũciet illud,ut faciamus illud?*

14 *Nam propinquum tibi est hoc verbum valde: in ore tuo & in corde tuo,ut facias illud.*

Rom. 10.

5 Moses enim describit justitiam quæ est ex Lege, quòd homo qui fecerit ea, vivet eis.

6 At quæ ex fide est justitia ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascensurus sit in cælum? hoc est,Christum deducere ex alto.

7 Aut, quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.

8 Sed quid dicit? Prope te hoc verbum est, in ore tuo, & in corde tuo.

EXistimat quidem vulgus interpretum hunc Mosis locum sic a Paulo adduci, ut magis alludat ad Mosis sententiam, quàm ex ea concludat & conficiat argumentum vel probationem institutæ ab eo quęstionis; nempe Christum finem esse Legis ad justitiam cuivis credenti. Alii verò, quibus hoc genus interpretationis non videtur sufficere,argumentum fieri per comparationem minoris arbitrantur in hanc sententiam: quòd si hæc Moses de lege pronunciavit adeò magnificè, multo magis de Euangelio Christi oporteat accipi, in quo est præstatio & complementum Legis. Alii denique, ut Veteres non pauci, Mosis verba de justitia quæ est ex fide & de verbo fidei interpretati sunt. Sed non satis judicio meo ostenderunt, quàm benè Moses eo in loco de Christo & justitia, quæ est ex fide, verbóque fidei magnificas illas antitheses & cautiones religiosissimas posuerit. Cùm itaque ex variis illis interpretationibus hæc postrema probetur mihi omnium maximè, & id tantùm desiderem, ut accedat ad eam aliqua illustratio & confirmatio veritatis; secundùm quam Mosis verba ad doctrinam Euangelii dicuntur propriè & singulariter pertinere: videndum nobis est, ut in hoc loco probemus documentis certis & evidentibus hanc Apostoli accommodationem. Nam finem utrobique & argumentum commune idémque esse statuimus.Finem,ut Judæi omissa justitia legis

ad

ad Christum & ad justitiam ejus, quæ est ex fide, pædagogio legis adducantur. Summam verò, quòd severitas justitiæ legis demonstratur, ut ab ea deterriti Judæi, cùm illud ἀδυνατον legis animadvertissent, ad justiciam fidei, quæ est in Christo testata per verbum ipsius & prehensa fide, confugerent. Hoc verò negaturi sunt tum Judæi omnes, tum imperiti Judæorum interpretationibus fascinati, & quicunque seriem documentorum Mosis in eo loco non animadverterint. nos autem (ut his omnibus respondeamus paucis) confirmamus hanc Mosis, ac non aliam fuisse sententiam, duobus modis: Primùm totius illius tractationis serie: deinde verò natura ipsius loci. Series hujusmodi est: Moses propositis Dei legibus in libro Deuteronomii ad caput usque 26. eas omnes concludit: a populo quidem solemni professione sive federis divini cum populo repetitione, & legalium observationum sponsione ac protestatione, cap. 26. & 27. a Deo verò, legalium promissionum erga morigeros & minatum adversum immorigeros denunciatione, cap. 28. His factis Moses 29. capite ex mandato Dei fedus renovat, ac potiùs fedus Euangelii populo exponit, præter illud legale fedus quod cum ipsis in monte Horeb pepigerat; prout ipse disertis verbis versu 1. capitis 29. exponit Ecclesiæ Dei. Hujus federis propositionem sic instituit Moses, ut primùm attentos & dociles Israëlitas exordio faciat, ad versum usque nonum illius capitis: deinde propositione federis utitur gravissima, inde ad versum usque 16. tum verò partes federis enarrat; legales quidem, conjunctas prophetia calamitatum quæ Judæos propter peccata ipsorum erant oppressuræ, reliquo capite; Euangelicas verò, cap. 30. Neque enim solùm in hoc cap. 30. ponuntur promissiones de corporali illa restitutione, quę Dei beneficio facta est quum ex Babylonia Judæi reversi sunt, versu 3. & duobus sequentibus, verumetiam ampliores & gratiosę promissiones adhibentur, his verbis: *Benefaciet tibi, & augebit te supra quàm majores tuos, & circumcidet Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui ad diligendum Jehovam*, &c. id est, Filius Dei qui Jehova est circumcidet te circumcisione ἀχειροποιήτῳ, ut diligas Jehovam, &c. Sic enarrato federe, Moses ad hortationem venit, inde a vers. 11. & tandem concludit protestatione, duobus ultimis. Ex hac igitur consequutione tota facilè animadvertitur Christum finem esse legis ad justitiam omni credenti, cùm lex ipsa non sola proponatur; sed revocetur ad fedus alterum; neq; ipsa sui complementum exhibeat, sed tamquam pædagogus sit deducens ad Christum, in quo exhibetur à Deo complementum ejus; neq; in illud tempus promissiones hæ a Mose proponantur; sed in tempus restitutionis & instaurationis futuræ; neque legales promissiones, sed Euangelicæ. Sed hæc quoque omnia potentissimè ipsius loci natura confirmantur. Nam promissionis hypotheticæ sive conditionalis summam Moses proposuerat tribus versibus proximè præcedentibus, in hanc sententiam: *Quum tu reversus obsequeris Deo & facies præcepta ejus, omnino tibi benedicturus est.* Atque hanc propositionem illustraverat luculentissimè proposito illius benedictionis modo, & singulis Dei Patris ac filii in Euangelio patefacti operationibus, dicens, *Nam rursus Jehova*, id est, Deus Pater, *lætabitur de te benefaciendo tibi, quemadmodum lætatus fuerat de majoribus tuis, si auscultaveris voci Jehovæ Dei tui*, id est, Domini Jesu Christi, Prophetæ nobis a Patre dati, *observando præcepta ejus*, &c. Hujus promissionis Euangelicæ antecedens sive annexa conditio poterat multorum animos deterrere, ac potiùs om-

nium; si legis ἀδυνάτον in carne nostra (ut necesse est) expendissent: cujus ἀδυναμίας inde a principio sermonis hujus conditionem Moses expresserat, dicens, *nondum dedit vobis Jehova mentem ad cognoscendum, & oculos ad videndum*, &c. Ne igitur impossibilem conditionem propositam sibi a Deo fuisse quererētur, commoditatem illius Moses his verbis explicat: *Nam praeceptum hoc quod ego praecipio tibi*, &c. quasi dicat, hactenus proposui tibi partem priorem federis, ut obsequaris Deo: sed quia altera quoque pars federis est tibi necessaria, ut Deus tuus, quasi novo federe (quod tamen reipsa unum est) suis partibus erga te desungatur, cùm tu ipse non possis, & circumcidens cor tuum inscribat ei Legem suam & fedus suum ad obedientiam fidei: nunc demum hoc tibi testor, Deum ita præcepta sua imperare Lege, ut jam jam ea præstandi facultatem paratus sit dare ex promissionibus Euangelicis, cor tuum circumcidere, in ore tuo & in corde tuo præcepta sua inscribere, vitam denique & bonum pręstare, quod per te non potes assequi. Cùm ergò duo antè Moses præceperit, nempe Legem, & fidem; verè fallacia divisionis (ut vocant) futura est, si quis præceptum de Lege tantùm intellexerit, quum dicit Moses, *Praeceptum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, occultum non est a te, neque longinquum:* præsertim quum eo die non Legis præcepta, sed fidei præceperit, Legémque totam verè in hoc præcepto demonstraverit terminari, & utiliter salutaritérque præstari in Christo Jesu. Optimè igitur generalem hanc propositionem, quam Moses 11. versu pronunciaverat, κατ' ἀνάλυσιν καὶ θέσιν exornat, atque declarat sequentibus: Optimè verò Apostolus quoque hoc loco interpretatur, & ad Christum credentésque in Christum accommodat ex consilio Mosis; ac propterea id sibi faciundum esse duxit, non ut singula Mosis verba quæ eo in loco exstant percurreret; sed potiùs ut illis quasi digito commonstratis, interpretationem suam adhiberet in partes singulas, & argumentatione ex absurdo confirmaret. Hac ratione optimè constat antithesis ab ipso instituta, justitiæ legalis, & Euangelicæ. Nam de legali dicit, *Moses describit justitiam quæ est ex Lege*. Levit. 18. *Quòd qui præstiterit ea, per ea vivet*: hoc autem fieri non potest ab ullo puro puto homine. Non enim justificabitur ulla caro in conspectu Dei ex Legis operibus. Ergo alteram justitiam a Mose pronunciari opus est, quum justitiam ad pios docet perventuram. Hæc verò justitia illa est quæ est ex fide. Probat altero membro antitheseos: *Nam quæ ex fide est justitia, eodem Mose testante, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendat in cælum?* aut, *quis descendet in abyssum?* id est, quis profunda & ulteriora maris ipsius pervestiget? *Sed dicit, prope te verbum est* hoc, *in ore tuo & in corde tuo*, id est, hoc præceptum fidei, quod ego eloquor, neque occultum neque longinquum est, cùm id ipsum in ore tuo & in corde tuo Deus gratiosè indat, si tantùm fide voles prehendere. Quamobrem istis absurdis quæstionibus & a Christiana fide alienissimis per absurda duo ex contrario respondet Paulus, cum antecedente propositione conjunctissima. Dixerat enim, *Finis Legis est Christus ad justitiam cuivis credenti*; unde omnino consequitur, Ergo quisquis Christum ad justitiam cuivis credenti datum evertit, finem evertit Legis. Ex hac verò consequutione, quæstiones absurdas quibus Moses interdixerat studiosissimè, confutat absurdis propositis a persona Christi, quem finem Legis esse ostenderat. Absurda est, inquit, inepta, impia quæstio hæc; Quisnam sit in cælum ascensurus ut verbum illud fidei confirmet,

quod

quod indicabat Moses. Nam quisquis hoc desiderat, actum agi desiderat, subruit veritatẽ Christi, & perinde facit ac si Christum ex cælis de integro deduceret expositurũ voluntatẽ Dei: Deniq; omnino pernegat Christum a Patre missum ex alto, descendisse, ut Prophetę partes apud homines ageret, & voluntatẽ Dei Patris Ecclesiæ exponeret. Nec alia ratio est, qua Moses alterũ quoq; absurdũ affert, dicens, Quis trãseat in partes ulteriores maris, id est, (ut optimè interpretatur Paulus) in ipsam abyssum & sedem maris extimam, nimirum ut de eventu illius fidei homines confirmet, & ab eventu probet veritatem ejus? Respondet enim Apostolus absurdo altero commodissimè: eventus quem Christus potentissimè demonstravit per resurrectionem ex mortuis, veritatem hujus verbi de justitia fidei confirmat luculentissimè. Quisquis ergò ampliùs desiderat ut in abyssum descendatur, & ab eventu novo requirit hujus Euangelicæ doctrinæ confirmationem; is non enervat solùm, verum etiam pernegat veritatem resurrectionis Christi & virtutem illius: quandoquidem resurrectionem suam tam multis testibus voluit testatam fieri, ut in æternum de veritate, virtute, fructibusque ipsius apud omnes credentes cõstare posset. Quæ cum ita sint, non debet cuiquam videri mirum, si Paulus hoc in loco quibusdam interpretamentis tam necessariis illa Mosis verba locupletaverit, omissis aliis quæ a Mose fuerant interjecta. Nam Paulus hoc pacto & Mosis authoritatem asseruit adducendis illius verbis, & veritatem illustravit, quum res ab eo jam olim prophetatas auxit enarrationibus quibusdam Euangelicis, ad complementum Mosis & finem Legis pertinentibus.

Rom. 10. 11. Quæ ex Esaiæ cap. 28. 16. adducuntur, exposita sunt Parallelo 15. hujus libri.

Rom. 10. 13. Quæ ex Joëlis 2. 32. adducuntur, ea in caput 2. Actorum fuerunt exposita, Parallelo 87. libri 1.

PARALLELUS XVII.

Esa. 52.	*Rom.* 10.
7 *Quàm speciosi sunt super istos montes pedes Euangelizantiũ, pronunciantiũ pacem, euangelizantiũ bonum, pronunciantiũ salutem, dicentis Sioni, Regnat Deus tuus.*	15 Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!

HIc locus nihil obscuritatis habet; cùm id ipsum quod Propheta futurum prænunciaverat, Apostolus demonstret factum. Quamobrem id unum hîc nobis videndum est, quomodo hæc verba cum illo Sorite, quo Paulus utitur, cõveniant, & pertineant ad ejus cõfirmationem. Sorites fuit hic, Qui missi sunt, prædicant: qui prædicant, ii audiuntur: qui audiuntur, iis creditur: prout his creditur, sic invocatur Deus: a quibus invocatur Deus, ii salutem consequuntur. Confirmat igitur has singulas propositiones Paulus adducto 52. cap. Esaiæ, quod totum has singulas Soritæ partes sic interpretatur atque prænunciat, ut vix commodior locus adhiberi ex Scriptura reliqua Testamẽti

veteris potuerit ad justam earum probationem. Nec refert quòd Paulus unicam solùm partem unius versus ex eo capite inseruit in hanc Epistolam. Nam id Apostolo visum fuit satis, si amplissimum illum locum de ministerio Euangelico cæterísque rebus eò pertinentibus velut digito indicaret, & fidelem quemq; lectorem ad Esaiam ipsum velut Prophetam Euangelicum, rejiceret. Hæc autem ita se habere, nemo dubitaturus est, qui vel leviter illud Esaiæ caput legendo percurrerit.

Parallelus XVIII.

Esa. 53.	Rom. 10.
2 *Quis credit auditioni nostræ?*	16 Domine, quis credidit auditioni nostræ?

Utriusque loci idem finis est, & argumentum idem: Nam & Esaias in Prophetia illa sua, & Paulus in hoc loco antè explicaverunt gratiam Euangelii de justitia fidei, quam pios omnes in Christo solùm consequi tradiderant. Hic autem uterq; indignè factum conqueritur, quòd gratiosam illã Euangelii prædicationẽ justus eventus apud Judæos minimè consequatur; Quamobrem Esaias ex abrupto orationem ad Deum & Ecclesiam cõvertens his verbis utitur, *Quis credidit auditioni nostræ? & brachium Jehovæ cui relevatum est?* nimirũ in hac perdita & deplorata Judæorũ gente. Paulus verò in eodem argumẽto pergens (nam hactenus de Judæis egit potissimùm inde a principio capitis noni) Dominum appellat, tamquam veritatis & complementi testem, earum rerum quas suo tempore Esaias deploraverat; & dicit, *Domine quis credidit*, &c. ut hac loquutione ostenderet, jam suo tempore ita obfirmatam fuisse Judæorum gentem, ut neminem fermè ex ea reliquum esse animadverteret, qui licet vehementissimè Paulo appellante, ad obfirmationem & incredulitatem suæ gentis, vel minima ex parte, attenderet. Ac propterea sibi necessariò Dominum fuisse appellandum, cùm Judæi tam graviter obsurduissent, & in Christum lapidem offensionis impegissent.

Parallelus XIX.

Psal. 19.	Rom. 10.
5 *In omnem terram prodidit delineatio eorum, & in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum*, &c.	18 Sed, inquam ego, annõ audierunt? imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis habitabilis, verba eorum.
Deut. 32. 21 *Ego provocabo ipsos ad zelotypiam per eum qui non est populus meus: per gentem expertem intelligentiæ, ad iram provocabo eos.*	19 Sed, inquam ego, numquid Israël nõ cognovit? primus Moses dicit, Ego ad æmulationem provocabo vos per gentem quæ non est gens: per gentem intelligentiæ expertẽ, ad iram provocabo vos.
Esai. 65. 1 *Expositus sum iis, qui non interrogabant: inventus sum ab iis, qui non quærebant me.*	20 Esaias autem ex eo audacia utitur, & dicit: Inventus sum ab iis, qui me non quærebant: conspicuus factus sum iis, qui de me non interrogabant.

2 *Expandi*

2 *Expandi manus meas totum diem ad populum rebellem, qui ambulant via non bona, sequendo,&c.*

21 Ad Israëlem autem respiciens dicit, Totum diē expandi manus meas ad populum non credētem,& contradicentem.

HI omnes loci ita a Paulo cōjuncti sunt,& pressè(ut ita dicamus) adunati,ut nobis visum fuerit Parallelo uno simul omnia cōcludere,ad commodiorem argumentationis institutę ab eo declarationem. Dixerat antè Judęorum gentē suo ipsius vitio non esse assequutum justitiā fidei,& sermoni Euangelii minimè credidisse:hoc tantum malum, quia impii & infideles excusant studiosissimè; visum est Paulo per occupationem singulas ipsorum cavillationes breviter percurrere,& ad eas authoritate divini verbi respondere. Tres igitur omnino sunt cavillationes ejusmodi,quę suo ordine hoc in loco exponuntur.Prima:At fortasse non audiverint doctrinam fidei; quod si non audiverunt,injustè videntur incredulitatis damnari nomine.Secunda; At fortasse Deum antè non cognoverant; ac proinde iniquum fuerit eos tam præcisè damnari,qui Dominum ipsos compellantem verbo,statim non agnoverint.Tertia,ex absurdo est,principio capitis 11.Atqui si res ita se habet,videtur Deus populum suum totum abjecisse; quæ res planè absurda est,& veritate Dei indignissima.Ad primam respondet Paulus versu 18.adductis quibusdam verbis,quæ ex Psalmo 19.videntur desumta esse. Et quidem revera ita sunt; sed de eorum verborū interpretatione,accōmodatione,& mutatione hactenus mihi non videtur satis apud Interpretes convenisse.Quamobrem,ut singula hæc ordine conciliemus, priùs de fine & summa illius loci dicendum est. Finis totius Psalmi est; ut videant omnes,quæ documenta sibi a Deo data sint; & quibus documentis ad certam & veram salutarémque Dei notitiam vocentur atque adducantur.Summa est,Deum post omnem hominum memoriam duobus documentis ad informandos homines usum esse,operibus,& verbo:Nam de operibus,ad versum usque 7.de verbo autem sequentibus versibus Propheta agit.Hunc igitur Psalmum adducit Apostolus, demonstraturus Judæos audivisse verbum Dei,& ex eo fuisse institutos de fide,qua Christum ab ipsis percipi oportuit. Sensus igitur est; non solùm delineationem, & constitutionem σύμμικτον rerum creatarum,verumetiam verbum Dei,adeóque doctrinam ipsam Euangelii jam olim Judæis fuisse propositam: & ita quidem propositam, ut non potuerint ipsi non audivisse: quia non clanculum,sed in propatulo; non in angulo aliquo,sed in publico coram Sole & toto mundo fuit enunciata Apostolorum sanctorum ministerio, ex Prophetarum (quibus Judęi se prædicabant credere) prædictionibus. Horum igitur verborum evidens est interpretatio; éstque hujusmodi judicio meo.Quid? annon Judęi audiverint illam prædicationem verbi & doctrinæ fidei? ad quos primùm pervenisse ex Mose suprà ostendimus versu & seq. Imò verò(quod amplius est)Annon audiverint illi, quibus jam olim fuit prædicata, cum hoc tempore vox Euangelii ab ipsis in universam terram dimanaverit? sic ergo comparatio est minoris: Nam si audiverunt longissimi, & quibus hæc doctrina recens fuit oblata: quantò magis propinquos atque domesticos audivisse eam oportuit? præsertim cum jam olim ab ipso Mose traditam eamdem doctrinam habuerint, & asservaverint. Atque hæc quidem vera esse dixerit fortasse quispiam; sed

sed Davidem longè aliud sensisse, in eo loco qui hic adductus est: propterea ineptam videri accommodationem. Nos verò accommodationem omnium aptissimam esse statuimus ex argumento Psalmi, quod antè tradidimus: Nam accommodatio hæc (ut ita dicam) non est ab Apostolo, sed a Propheta ipso, qui comparationem instituit operum Dei cum verbo; & demonstrat ibidem, quæcumque de operibus Dei ad documentum, & institutionem nostram adferuntur, ea multò magis de verbo credi oportere. Nam eò pertinent quæcumque posteà magnificis verbis de doctrina & sermone Dei prædicantur; lucere quidem diem & Solem de die, cælúmque & res creatas omnes enunciare voluntatem Dei: sed aliam esse efficacitatem verbi. Nam recreant corpus diei & noctis vicissitudines: sed verbum animam dicitur instaurare; & illa quidem res de nocte latentes retegunt in oculis nostris; verbum verò ex fatuo sapientem facit, &c. Si ergo operum illorum aspectabilium tanta est vis, ut totum orbem terrarum perlustrent: quanto ampliùs id sensit Propheta, Euangelium, quod potentia est Dei ad salutem cuivis credenti, suo tempore, id est, in plenitudine temporum singulas orbis terrarum partes esse perlustraturum? sed hoc non dixit Propheta: objiciet quispiam. Fateor illud quidem non dixisse in eo versu; sed posteà ex consequente intellexisse, ut Prophetam Dei & legis peritissimum, instituta comparatio demonstrat luculentissimè: deinde verò Paulus his verbis agit interpretem comparationis illius a Prophetà institutæ; & docet quàm certò in omnem terram cælorum delineatio & documenta prodierunt, hominibúsque omnibus (ut loquitur Moses) data sunt, tam certò his temporibus ultimis doctrinam Euangelii in universum orbem terrarum dimanasse, Apostolorum prædicatione. Ac propterea non temerè vocem unam Prophetæ Apostolus permutavit, tamquam si veritatem Scripturæ, quam religiosissimè agnovit & coluit, corrumperet: sed certo consilio in locum vocis illius, *Delineatio*, substituit hanc, *Sonus*; respiciens ad præsentissimum illius promissionis complementum, qua Deus per Mosen & Prophetas fore prædixerat, ut omnes gentes ad Euangelii communionem vocarentur, atque ad hunc finem præcones suos a se datum iri prænunciaverat. Quòd si non corruptio, sed interpretatio & illustratio est illius loci, quam Apostolo visum est adhibere ut luculentiorem Euangelii gratiam esse ostenderet; nemo profectò vir bonus futurus est, qui optimam hanc interpretationem ex ipso Propheta haustam & his temporibus ultimis accommodatam, optimè non sit accepturus: impius autem quomodo hanc interpretationem probet, qui non probet Euangelium Christi? Atque hæc quidem de primo diagrammatis nostri Paralleli loco, quem non allusione, ut putavit vulgus Interpretum; sed sanctissima & pernecessaria interpretatione auctum ab Apostolo fuisse hactenus docuimus. Sequuntur jam loci ad cavillationem secundam pertinentes. Duplex ergò a Paulo hic proposita est authoritas, ut cavillationem istam dilueret, nimirum Deum antea fortasse non ita fuisse à Judæis cognitum; contrà verò affirmat Apostolus eos cognovisse, & duobus locis confirmat, argumentationibúsque ex contrario eventu sumptis; nempe ex æmulatione Judæorum primùm, deinde verò ex infidelitate & contra dictione. Sic enim Apostolus optimè arguit: Rei inauditę non est Zelotypia, aut invidentia & indignatio. Utrumq; verò in Judæis futurũ esse jamolim Moses prædixerat. Omnino igitur

igitur doctrinam Dei, & justitiæ fidei per Mosen audiverunt. Idem quoque de Esaiæ loco. Non possunt incredulitatis damnari, & rebellionis aut contradictionis, quibus doctrina credenda non est proposita. Judæi autem eo nomine à Deo condemnantur. Audiverunt igitur. Imò verò non audiverunt solùm; sed Deum quasi obsecrantem contemserunt, & ad indignationem provocaverunt: Nam *Totum diem*, inquit, *expandi manus meas*. &c. Cognovit ergò Israël, concludit Apostolus: sed cognitum oppugnavit. Cæterùm quæ mutationes his in locis factæ sunt, nemini vel mediocriter docto possunt dubitationem injicere, ut quum in illo Deut. loco, pro eo quod Moses dixit, *provocabo eos*, Apostolus reposuit, *provocabo vos*, ut vehementius dictum exprimeret. Similiter, quòd primus Esaiæ versus ordine inverso proponitur, factum est ab Apostolo, ut gradationem beneficiorum Dei erga gentes in Euangelio ampliùs revelaret. Reliqua contra Judæos ultimo versu dicta, quia pluribus ab Esaia contra Judæos fuerant adducta, Paulus (ne esset longior) συντόμως complexus est populi contradicentis appellatione. Atque hæc de horum locorum convenientia, judicio meo, satis.

PARALLELUS XX.

1.Reg.19.	Rom.11.
10.& 14. *Et dixit Elias, zelotypia affectus sum pro Jehova Deo exercituum: quia reliquerunt fœdus tuum filii Israëlis: altaria tua destruxerunt: & Prophetas tuos occiderunt gladio. Ego verò sum relictus solus & quærunt animam meam, ut intercipiant ipsam.*	2 An nescitis de Elia quid dicat scriptura? quomodo colloquatur cum Deo, dicens, adversus Israëlem. Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderũt; Ego verò sum relictus solus, & quærunt animam meam.
18 *Feci autem ut remanserint in Israële septies mille, qui omnes genua sua non flexerunt Baali.*	4 Sed quid dicit ei divinum responsum? Feci ut remanserint mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genu Baali.

HIc locus nihil obscuritatis habet; ac propterea a longiore ipsius interpretatione supersedebimus: tantùm id observandum est, confutari his verbis tertiam illam cavillationem, qua Judæi traducturi esse videbantur sapientissimam Dei administrationem dicentes, *Ergò Deum abjecisse populum suum*. Hanc cavillationem negat Apostolus, & defensionem suam confirmat duobus exemplis. Prius exemplum est a persona sua, versu 1. Posterius autem ab authoritate scripturæ, & Israëlitarum exemplo, quo tempore perditissimus illorum status etiam ab ipso Propheta Elia judicabatur. Hujus exempli ἀπόδοσις sive applicatio versu quinto, ab eodem Apostolo ponitur elegantissimè quum ait, *Ita igitur & hoc tempore reservatio secundùm electionem gratiæ facta est*. Est autem tota vis hujus argumentationis posita in Dei appellatione, & verbo *præcognoscendi*, quo in versu secundo utitur. Sic enim argumentatur a natura Dei. Deus semper unus est, sibi ipse constans, & consilio, modisq; omnibus immutabilis: Præcognovit autem Israëlem: Ergo non abjecit. Quòd si qui eò abjecisse putant judicio a majore parte (ut vulgò loquuntur) facto, quòd Populi corpus atque universitatem

tem rejecerit,plurimum falluntur: Nam etsi membra multa tamquam putrida abjecit ex isto corpore,tamen electio remansit in omni corpore,ut Dei veritas & fides constaret. Itaque,ut infra versu 28. Apostolus optimè statuit, hi secundùm electionem diliguntur : illi secundum incredulitatem, qua obsistunt Euangelio, Deo inimici sunt. Sic omnino constat falsum illorum judicium esse; quia duplicem hunc respectum nequeunt distinguere ex Elenchi(ut vocant)ignoratione. Quòd autem paucula mutationes quædam in his verbis videntur esse, eæ non sunt tantæ,quæ hominem mediocriter peritum movere possint; ut sunt mẽbrorum ὑστέρωσις, & unius tantùm partis ex versu historiæ veteris adscriptio: Nam partem aliquam ex narratione aut versu adscribi, tum demum moris est,quum aut aliqua tantùm pertinet ad rem quę agitur: aut locus magis innuitur, quàm explicatur brevitatis causa, quemadmodum in Matthæum Parallelo 5.docuimus.

Parallelus XXI.

Esa.29.	Rom.11.
10 *Effudit super vos Jehova spiritum soporis : & obfirmavit oculos vestros.*	8 Sicut scriptum est: dedit Deus eis spiritum soporis,oculos ut non videant: & aures ut non audiant.

Quod sit argumentum & finis hujus loci, res ipsa tam apertè loquitur, ut non sit opus nos hic de explicatione eorum laborare. Dixit Apostolus, *Electi assequuti sunt*; *reliqui verò occalluerunt*. Hoc posterius membrum confirmat Apostolus authoritate Scripturæ. Unde autem petita sit hæc scripturæ authoritas apud Interpretes est controversia; Ego autoritatem hujus loci non alibi exstare puto,quàm Esai.29.ut in diagrammate nostro posuimus; sed obscurioris unius dicti assumtã esse aliunde interpretationem:Nam pro eo quod Esaias dixit, *Effudit super vos*,&c. Paulus mutato dicendi genere, ex translato fecit proprium,dicens,*Dedit*,vel *indidit eis*;& pro illis verbis,*obfirmavit oculos vestros*, substituit illa, *dedit oculos*; nimirum excæcatos, *ut non videant*: quæ omnia etsi verbis divisa sunt; re tamen & argumento sunt eadem. Cætera quæ Paulus adjicit,etsi ita defendi possunt ut dicantur adjecta ex analogia;omnino tamen interpretamentum videtur esse ex Esaiæ 6. sumtum.Cùm igitur nihil sit in quo hi duo loci discrepare videantur,nisi quòd pietatis hostes justam esse accommodationem,negaturi sunt, de ea videamus. Justam non esse accommodationem, duobus modis contendi potest.primùm,quòd argumentũ videtur esse inconsequens, prout a Paulo adducitur: deinde,quòd particulare,ut vocant, testimonium non potest efficere regulam generalem.Ad priorem objectionem videtur facere, quòd diversi a Paulo(ut loquuntur)termini apponuntur: *reliqui*, inquit,*occalluerunt,sicut scriptum est:Dedit eis Deus spiritum soporis:* Oportebat enim judicio istorum hominum testimonium adduci de illis quòd occalluerunt; non autem de Deo,quòd Spiritu soporis ipsos perfuderit. Atqui non est eo nomine reprehendendus Apostolus, quòd & illorum malitiam,& Dei judicium expressit simul: Nam utrumque verum est,reliquos occalluisse,qui id non sunt assequuti quod desiderabant: & illos in malitia sua occallescentes a Deo ampliùs obduratos esse,ut gratiam ipsius justitiámque fidei minus agnoscerent, &

magis oppugnarent magno malo suo. Nam quòd occallescunt, sua ipsorum vitiositate & malitia occallescunt per se: quòd Dei facto indurantur, id Deus non simpliciter per se, sed per accidens facit: Nam subjecti vitium est; non autem agentis Dei, quum gratia Dei per se salutaris ab impiis depellitur; & ita quidem depellitur, ut peccatum ipsorum fiat magis peccans, oblatione divinæ gratiæ: quemadmodum de legis mandato simile responsum docet Apostolus ad Romanos 7. Altera objectio, malè concludi ex particulari, ipsis Esaiæ verbis refellitur, & totius capitis argumento. Nam ille ipse versus & qui eum sequuntur proximè, testantur evidentissimè Prophetam eo in loco agere de Judęorum gente, ac velut corpore: quemadmodum tertio post versu habentur verba istius argumenti: quæ Christus contra Judæos adduxit commodissimè, ut in caput. 15. Matthæi exposuimus. Totum verò caput, quod argumento cum præcedente est conjunctissimum & Prophetia tota continens, ad regnum Christi respicit: cujus statim disertis verbis Propheta prænunciaverat; ut bonos consolaretur, & impios perterrefaceret, denunciata judiciorum Dei per Christum gravitate, ut Parallelo 15. ostendimus. Deinde verò, ut demus non agi disertè in eo loco de tota Judæorum gente & temporibus Euangelii, certum est (quod jam multoties diximus) αἰτιολογίαν, id est, justi & injusti legem etiam in rebus humanis esse constantissimam: quantò magis in natura Dei? qui ipsissima est justitia, & negare seipsum non potest. Si ergò justum fuit, quum Esaias viveret, quòd Deus occallescentes obduraverit ampliùs & spiritu soporis eos perfuderit: idem certè omni tempore in obstinatos justum est à Deo fieri. Tertiò (quod amplius est) si gravior fuit Judæorum pertinacia in plenitudine temporum, quum Deus patefactus est in Carne, quàm cùm Esaias futurum prophetaret; omnino justitiam Dei pariter exerceri, adeóque graviùs, oportuit in perditam Judęorum gentem, quę peccata majorum suorum omnibus numeris superaverat. Postremò autem, si illud verum est (ut est) Quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, Rom. 15.4. quid ni etiam à particulari concludamus in hoc argumento? cùm, si à personis & quasi individuis discesseris, eadem semper coram Deo sit Thesis, ut ita dicamus, eadémque subjecti de quo agitur constitutio, nisi corrigatur, emendetúrque per spiritum regenerationis in Christo Jesu. Stat igitur illud firmum & immotum, causam indurationis primam & per se esse in hominibus; accidentariam verò eámque justissimam, in Deo vitiositatem hominum rebellium & contumacium spiritu soporis (quem imbiberunt ipsi, & quem hauriunt avidissimè, sempérque sitiunt) cumulante justissimè ad casum & ruinam ipsorum.

PARALLELUS XXII.

Psal. 69.	Rom. 11.
23 *Sit mensa ipsorum ante ipsos pro laqueo: & ad retributiones pro tendicula.*	9 David dicit, Fiat mensa ipsorum pro laqueo, & pro tendicula, & pro offendiculo, & pro retributione ipsis.
24 *Obtenebrentur oculi ipsorum, ut non cernant: & lumbi ipsorum fac ut jugiter vacillent.*	10 Obtenebrentur oculi ipsorum ut non cernant: & tergum ipsorum semper incurva.

Hic

HIc locus, quem ex Davide adducit Paulus, etsi de quibusdam personis & quasi individuis subjectis loquitur; tamen ratione causæ & justitiæ, cujus lex perpetua & immutabilis est (prout de Aetiologia anteà monuimus) generalem doctrinam habet. Nam si justum fuit eos homines, qui Davidem injustè persequuti sunt, aut qui Dominum & Servatorem nostrum Christum tam contumeliosè exceperunt, à Deo affligi; & quidem his ipsis afflictionum generibus, quæ à Davide fuerunt proposita: certum est eamdem justitiæ legem obtinere adversus eos, qui non fuerunt electi à Deo; sed sua ipsorum vitiositate & malitia occalluerunt in peccatis suis. Est igitur hic non abusus loci, aut levis accommodatio, aut allusio, ut nonnulli vocant; sed argumentum verissimum firmissimúmque à natura Dei, & justitia ejus constantissima, quæ non potest non castigare peccatores cæteros, ut illos castigavit. Nam quod David de illis dixit, ita de illis dixit, ut universè hoc de omnibus à justitia Dei constitutum esse senserit, qui ejusmodi futuri essent. Itaque, si quis ex verbis Davidis documentum ejusmodi eruit, non discedit à mente, sed ab hypothesi illius, quia quicquid de hypothesi David prædicabat, illud de Thesi hauserat, quam divinitus didicerat. Cæterùm, ut locus intelligatur evidentiùs, unum præter institutum hujus operis nostri sumus adjecturi: nempe duos à Davide modos disertè exprimi, quibus ostendit quomodo occallescant impii atque obdurentur: prior est, quòd ipsi sua vitiositate omnia Dei beneficia, adeóque suam ipsorum mensam & convictum ordinarium vertunt in damnum suum: denique ad singula Dei beneficia offendunt; quæ quum Deus utenda dederit, ipsi ad abusum, & perniciem suam transferunt indignissimè; Posterior est, quòd nefariam istam contumacium hominum nequitiam Deus novis peccatis castigat; & quia oculos occludunt ultrò ad verum usum beneficiorum Dei, vicissim oculos ipsorum occludit Deus, & ita obtenebrat, ut, quia peccato addicti sunt, eos peccatis suis mancipet: Nam ut optimè ait Apostolus, sicut non visum est eis Deum in notitia retinere: ita tradit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut faciant, quæ minimè conveniti id est, (ut forensi
Rom. 1. loquutione utamur) miseros istos peccati nexu obligatos addicit peccato, in quod ultrò natura sua projecti sunt.

PARALLELUS XXIII.

Esai. 59.	Rom. 11.
20 *Veniet Sioni vindex, & revertentibus a defectione ex Jacobo, dictum Jehovæ.*	26 Veniet ex Sione liberator ille, & avertet impietates a Jacobo.
21 *De me autem hoc fedus meum cum illis, ait Jehova, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, &c.*	27 Atque hoc illis a me fedus futurum est, quum abstulero peccata ipsorum.

NOn est obscurus finis, propter quem hæ promissiones tum a Propheta fuerunt prænunciatæ, tum etiam ad hunc locum ab Apostolo adhibentur: Nam quum Propheta miseram Iudæorum conditionem, in suis peccatis versantium antè explicavisset, &

calamitates

calamitates eorum caussa Judæos invasuras; concludit tandem Deum propter seipsum, sive propter fidem & justitiam suam toti mundo lucem Euangelii omnibus hominibus salutarem prælaturum esse; nominatim verò missurum esse vindicem, Redemtorémque nostrum ad Sionem & ad Judæos a defectione sua reversuros; quos ubi Christus apprehenderit & in fedus gratiæ adsciverit, fore ut obsignati promissionis Spiritu obtineant libertatem filiorum Dei, servati ex peccatis suis. Commodissimè igitur hoc loco Apostolus Esaiæ verba ad argumentum suum adhibet: Nam ostendit antè reliquo capite, Etsi Judæorum corpus in speciem defractum est, & exsectum a vera & germana olea; tamen reservationem ex eo corpore factam esse secundum electionem gratiæ; neque esse, cur gentium corpus (ut ita dicamus) adversus Judæorum corpus glorietur: quia ista rejectio non ex toto, sed ex parte evenit Israëli, donec advenerit plenitudo gentium; partem verò Israëlis servandam esse quemadmodum Esaias Propheta prædixerat. Restat ut de mutationibus aliquid dicamus; quia plurimum a Prophetæ verbis videtur Paulus discedere. Nam primùm pro eo, quod Esaias dixerat, *Veniet Sioni Redemtor aut vindex*, dixit Apostolus, *veniet ex Sione*: sed non debet hæc mutatio permovere quemquam, ut de fide Apostoli aut Spiritus sancti veritate dubitet in proferendis his testimoniis; si tempora distinxerit ad quæ Propheta & Apostolus respexerunt. Etenim Esaias ipsum quasi momentum adventus Christi notavit illis Prophetiæ suæ verbis; ac proinde non potuit aliter enunciare, quàm hoc modo, Veniet Sioni, &c. Paulus verò progrediens ab adventu Christi ad res alias ex eo adventu consequutas, jam non dicit venturum Sioni (venerat enim) sed pro ratione temporis, venturum ex Sione, id est, ex Ecclesia sua, ut Judæis quoque benefaciat. Itaque non simpliciter agit Paulus interpretem, sed etiam accommodat suis temporibus ea quæ ex justa illius loci interpretatione omnino consequuntur: quod genus accommodationis planè apodicticon quis, nisi demens aut impius oppugnare ausit? De sequente membro idem judicium est: Nam pro illis verbis, *veniet revertentibus a defectione ex Jacobo*, metaleptica gravitate quadam beneficium adventus illius consectarium Paulus pro adventu ponit, dicens, *Avertet impietates a Jacobo*. Nam Græci; plurimùm defectionis Hebræum nomen nomine ἀσεβείας interpretati sunt. Sequens autem versus eodem ex loco petitus est, neq; necesse est ut confugiamus ad alterum ullum Esaiç locum, unde hæc verba explicamus: Nam petita sunt omnino ex postremo versu illius capitis: sed ita tamen, ut brevitatis causa principio tantùm illius posito, reliquam partem omiserit, perinde ac si communem illam notam adhibuisset, *& cætera*: quæ nota in longioribus sententiis fermè adhibetur, ubi aut brevitas desideratur, aut non postulat reliqua adjici commoditas loci; aut denique locus est notissimus, & tamquam in ore omnium: Quæ omnia de illo Esaiæ loco, quem adducit Paulus, verissimè prædicari possunt. Quòd autem postremò adjicit verba hæc, *quum abstulero peccata ipsorum*, ex præcedente versu petita sunt: Proptereà verò a Paulo adjecta, quòd tum ordinem beneficiorum Christi optimè distinguere voluit, tum gentes confirmare hac inculcata repetitione, non esse desperandum quin Judæis peccata sua remittantur, & reconcilietur Deus fœdere gratiæ; ac proinde non habere gentes cur adversus Judæos insolescant.

PARALLELUS XXIIII.

Deut.32.	Rom.12.
35 *Mea est ultio & retributio.*	19 Scriptum est enim, Mihi est ultio, ego rependam, ait dominus.

AEtiologiæ, id est, justi & injusti constans est perpetuáque regula, quam eodem sensu pronunciavit Deus in hoc argumento, atque ab Apostolo in hoc loco adducitur: nempe, non esse cur homines solliciti sint de ultione procuranda aut sumenda, si quando ab impiis iniquè injuriam pertulerint; sed potiùs oportere, ut conquiescant in Domino, eique omnes injurias permittant, confidentes justitiæ illius. Quòd autem vocem illam, *Retributio mea est*, Paulus per conjugatum verbum explicavit, mutatio est exegetica, nihil de sensu detrahens, sed potiùs addens illius intelligentiæ; quia hoc est evidentius atque faciliùs intellectu, quàm illud ipsum quod adhibuit Moses.

PARALLELUS XXV.

Esai.45.	Rom.14.
23 *Per me juravi, prodiit ex ore meo justè verbum, nec revocabitur: quòd mihi flectet sese omne genu; per me jurabit omnis lingua.*	11 Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi sese flectet omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.

ETsi hic locus apud Esaiam videtur in speciem aliò pertinere, quàm ad eum finem, quem hoc loco monstrat Apostolus: tamen non dubium est, quin duobus modis ille ipse sermo conveniat personæ Christi; primùm, secundùm deitatem, quà Deus unus est ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος cum Patre & Spiritu sancto; deinde verò secundum personam totam, qua sermo factus est verbum, & mediator est Dei & hominum, homo Christus Jesus. Etenim, quà Deus est, omnino eadem gloria (ut ita dicamus) conglorificandus est, & coadorandus una eadémque adoratione cùm Patre & Spiritu sancto, quandoquidem tres illæ personæ una sunt essentia & unus Deus, prout optimè atque sanctissimè in Ephesina Synodo fuit expositū: Quà autem mediator est secundùm utramq; naturam in unitate personæ, tantum abest ut gloriam illam, jus adorationis, & cætera, quæ ab æterno cum Patre & Spiritu habet, amiserit aut deposuerit, quando seipsum exinanivit forma servi accepta, ut contrà novo quodam modo clarè ostenderit eadem omnia ad se pertinere. Quamobrem etsi Esaiæ verba in eo loco speciatim personæ Christi vindicari possunt, cùm sequentia omnia ferè de persona Christi distinctè enuncientur; id tamen religiosè & sanctè concedimus, illa apud Esaiam verba, esse verba Dei Patris, filii, Spiritus sancti. Quòd autem speciatim hoc loco, ut in Epistola ad Philippenses, hæc verba de Christo prædicantur; illud statuimus nihil derogare de dignitate Patris & Spiritus sancti, aut de Prophetiæ illius veritate. Nam inter omnes pios de eo convenit; quæcunque prædicantur de essentia Dei, eadem optimè sanctissiméq; de personis prædicari in essentia illa subsistentibus; si proprietates personarum, & respectus relationémque

inter personas exceperis, & quæ illius relationis sunt. Glorificatio autem, adoratio, & cætera ejusmodi, officia sunt quæ a rebus creatis omnibus essentiæ Dei tribuuntur, nec sine impietate & contumelia flagitiosissima denegari possunt. Hęc igitur speciatim quoque personę Christi competunt, cùm propria sint totius essentiæ, singulisque personis inter se communia. Sed cur speciatim, dixerit quispiam, commune illud officium toti essentiæ divinæ, tribuendum Christo Paulus Apostolus asserit: nónne hoc facto injuria fit Patri & Spiritui sancto, ad quem una eadémque gloria pertinet? Responsio: Et justæ causæ sunt, cur id Paulus fecerit, & absurditate vacat. Causæ cur hæc verba Paulus Christo accommodet, tres ad hunc locum afferri videntur oportere. Prima est, quòd de persona Christi hoc loco agitur, ad quam si id accommodat Paulus quod ipsi cum Patre & Spiritu sancto commune est, sermonem præsentem confirmat de persona Christi sine ulla Patris sanctive Spiritus contumelia; quia de hoc in præsentia, non de Patre aut sancto Spiritu agitur. Secunda est, quòd omnino gloriosam hanc prædicationem attribui Christo oportuit, quo amplius gloriam suam deposuisse suscepta carne videbatur; ut eo pacto omnes, qui vocantur ad Euangelium Christi, certò intelligant Christum (ut in vetere Ecclesia dicebatur) semper id esse, quod erat, neq; de sua conditione aut jure æterno quicquam vel minimum amisisse. Tertia denique est, quòd hic de summo illo judicio, quod Christus habiturus est, deque nostro officio agitur in exspectatione illius; ad hoc enim, inquit Apostolus, *Christus & mortuus est & resurrexit & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur*: deinde, *Omnes enim sistemur apud tribunal Christi. Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus*, &c, quasi dicat, Quid tu miser, oculos configis in fratrem tuum, ut cognoscas labes ipsius, & eum condemnes? quin potiùs attendis ad te, & teipsum comparas ad exspectationem illius judicii, quo tu judicaberis æquè ac frater ille tuus, quem judicas? Ne igitur antevertas judicium illud, aut tibi arroges; sed potiùs fac, ut in exspectatione illius humiliter ambules, & jam jam te sistas Domino judicandum; non autem judicium (quod illius est) aut partem judicii arroges tibi magno malo tuo. Quæ cum ita sint, nihil hac interpretatione vel accommodatione Paulus Deo Patri, aut Spiritui sancto eripit, de quibus personis hoc loco minimè agitur; sed id quod trium personarum commune est, de una Filii persona enunciat; quia hîc de Filio agitur & de officio ipsius, quatenus omne judicium Filio dedit Pater; in primis autem, quia asseri de Filio oportuit in hoc argumento ea, quæ per infirmitatem carnis, quasi erepta fuisse videbantur.

PARALLELUS XXVI.

Psal. 69.	Rom. 15.
10 *Opprobria eorum qui probro afficiunt te, acciderunt mihi.*	3 Christus non indulsit sibi ipsi; sed sicut scriptum est, Convitia eorum qui convitiantur tibi, inciderunt in me.

IDem est finis & argumentum utriusque loci: Nam & communis piorum omnium conditio utrobique describitur, quòd ab hostibus Dei afficiuntur probris propter justitiam ipsius; & singularis personæ

 Christi,

Christi, qui nihil non est perpessus, per voluntatem Patris, ad salutem Ecclesiæ suæ: Nam quod David in eo Psalmo dixit, tum de seipso dixit tamquam membro germano Christi & Ecclesiæ ejus; tum de Christo, cujus typus fuit, & in quem omnes osores Dei tamquam in petram offensionis, semper allisuri sunt; tum etiam de omnibus Christi & Ecclesiæ membris accipi voluit per analogiam; quam analogiam spectari eo in loco oportere, puta a capite Ecclesiæ ad membra ipsius. Apostolus hoc loco ostendit luculentissimè: Nam propositio est, nos omnes teneri proximis nostris indulgere in bonum ad ædificationem; Confirmatio ab exemplo Christi, hoc versu apponitur: quod exemplum non simpliciter exempli vim habet, sed authoritatem legis; quia vivimus omnes de capite, vivit in nobis Christus, & nos oportet imitatores esse illius. Hoc verò ut melius a credentibus singulis percipiatur, ostendit Apostolus sequente versu constantissimam esse analogiam factorum Christi, & certissimam justitiæ Legem; neq; solùm factorum ejus, sed etiam exemplorum omnium, quæ per administrationem Dei in sanctis hominibus & electis ejus acciderunt, dicens: *Nam quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Quorum verborum sensus est, ita scripturam sacram per Dei Spiritum temperatam esse, ut ne jota quidem in ea otiosum deprehendi possit; Cúmque triplex sit consensu omnium docendi via (ut alicubi Augustinus monet) authoritas, ratio, & exemplum; e quibus exemplum minimè potest omnium; eam tamen esse Dei optimi maximi sapientiam, ut ne minimum quidem exemplum in scripturam sacrã retulerit, quin pertineat ad bonum & ædificationem piorum, per applicationem sive accommodationem justissimam; sive ex analogia capitis cum membris, sive ex membrorum horum cum illis comparatione; quia semper sibi constat Deus in electorum gubernatione: ut qui eos velit communi analogia cum Christo sociari, & in Christo experiri tum afflictiones, tum liberationes & benedictiones ejus.

PARALLELUS XXVII.

Psal. 18.	Rom. 15.
50 *Propterea celebrabo te inter gentes, Jehova, & nomini tuo psallam.*	9 Propterea cõfitebor tibi inter gentes, & nomini tuo psallam.
Deut. 32.	
43 *Cantate gentes cum populo ejus.*	10 Et rursum dicit, Gaudete gẽtes cum populo ejus.
Psal. 117.	
1 *Laudate Jehovam omnes gentes; collaudate eum omnes populi.*	11 Et rursum, Laudate Dominũ omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.
Esaiæ 11.	
10 *Erit autem die illo radix Jessè, qui consistet ut signum sit populis: ad ipsum gentes consultura venient, eritque requies ejus gloriosa.*	12 Et rursum Esaias dicit, Erit radix Jesse, & qui existet ad imperandum gentibus, in ipso sperabunt gentes.

NOn dubium est, quin omnes hi loci in Testamento vetere, & quàmplurimi alii consimiles, de vocatione gentium in communionem federis cum Judæorum populo, accipiendi sint: quam rem

rem ne ipsi quidem Judæi negare ausi sunt; quamvis pro more suo ad ludibria & somnia sua, de imaginario quodam regno sibi tribuendo in gentes, detorqueant. Cùm itaq; de fine & argumento eorum locorum constet; id unum nobis hoc loco videndum est, quomodo & ad quam argumentationem Paulus eosdem adhibuerit. Propositio fuit hortatoria in versu septimo: *Assumite alii alios; sicut & Christus assumsit nos in gloriam Dei:* nos autem, id est, tum Judæos, e quorum numero sum, tum vos ex gentibus. Hoc, quia fortasse aut non fuissent animadversuri imperitiores, aut malitiosi homines negaturi; Paulus deinceps explicat, & confirmat ab autoritate Scripturæ. Subjicit enim propositionem (ut appellant) minorem sequentibus, in hanc sententiam; Christus autem nos omnes assumsit pro Dei veritate & singulari erga nos misericordia, quum minister factus est circumcisionis omnibus: id est, nos omnes peccati & iræ filios a natura, ac proinde veritate promissionum Dei indignissimos, circumcidit circumcisione ἀχειροποιήτῳ, id est, non manu facta, exuto corpore peccatorum carnis per circumcisionem illius, Coloss. 2. 11. Hinc efficitur conclusio, quam etsi Paulus videtur reticere, tamen post sanctum illud optatum versus 13. proponit artificiosissimè, versu 14. dicens. Persuasum autem habeo ego ipse de vobis, fratres mei, quòd ipsi pleni sitis bonitate, &c. Minorem autem hanc probat Apostolus ex partium enumeratione: Nam, inquit, minister fuit circumcisionis omnibus, & Judæis, & gentibus: Judæis (quos ellipsi quadam reticet in membris antithetis frequentissima) pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones Patrum, easque re ipsa præstaret erga illos & semen illorum; gentibus verò, ut gentes pro misericordia quam assequutæ sunt, glorificent Deum, sicut scriptum est, &c. Ac prioris quidem membri, de Judæorum gente, probationem adferri non fuit opus; cùm de ea re apud omnes in Ecclesia Dei semper constiterit: propterea posterioris solùm membri, de quo controverti poterat, adhibetur a Paulo confirmatio. Quatuor sunt autem confirmationis loci, omnes petiti ab authoritate scripturæ, primus est, ex Psal. 18. ubi David spondet confessionem Dei inter gentes. At quæ probatio ista est? inquiet Judęus, quid ista ad Christum? Respondeo, Contrà verò quid ad Davidem ista? qui regno illo cedens & fermè moribundus canticum illud cecinit Domino, ut testatur scriptura, 2. Sam. 22. Nam notum est illud Davidis & sæpiùs recantatum, *Non est in morte recordatio tui, in sepulchro quis profiteatur te? Non mortui laudaturi sunt Jehovam, neque ullus eorum, qui descendunt in silentium,* &c. Restat igitur, ut secundùm aliud, & aliud, id est, diverso respectu profiteatur David, quum moribundus esset, se Jehovam celebraturum; & idem agnoscat, eum a mortuis celebrari in Ecclesia non posse: Secundùm se vel personam suam (ut ita loquamur) non fuit celebraturus, ne in Judęa quidem: quantò minus inter gentes, ex quo defunctus est vita? Secundùm personam Christi veri Davidis, id est, filii dilectionis Dei, quem David ille olim adumbraverat, omnino inter gentes & in Ecclesia earum professus est Deum, atque dum stabit mundus, professurus est. Servivit quidem sua ipsius ætate, consilio Dei, Act. 13. sed posteà obdormivit: in Christo verò, cujus fuit membrum, se fidelem illam operam præstiturum esse, prævidit fide, atque lætatus est. Nam quemadmodum ait Apostolus, per Abrahamum (ut ita loquamur) etiam Levin fuisse decimatum, eò quòd adhuc in lumbis patris esset, quum Abrahamo occurreret Melchisedec: sic vicissim agnovit pia Hebr. 7. 9.

Davidis fides, seminis sui, Christi, officium quodammodo ad se pertinere, & partem illius per fidem sibi vindicavit. Secundus locus obscuritate vacat, quę dubitationem vel moram legenti queat injicere. Nam Moses suo illo cantico gravissimo, exposita Israëlitarum perfidia, & Dei in ipsos judiciis, venturáque reliquiarum conservatione, secundùm electionem gratiæ, hortatione illa concludit, *Cantate gentes, populus ejus*; quæ verba per asyndeton ad Emphasin dicta, Paulus hoc loco interpretatur adjecta conjunctione, ut sensum meliùs sublata emphaseos illius ratione exprimeret. Quòd si qui, sive Judæi, sive Judæorum authoritate abrepti reclament iniquam esse Pauli interpretationem; non animadvertunt se potiùs quàm Paulum de seipsis & sua gente iniquè statuere. Nam tollatur (ut isti volunt) conjunctio, certè tantùm abest ut loco hoc adjuventur, ut contrà sit adversus ipsos facturus evidentissimè. Nam, ut ipsa Mosis verba Grammaticè expendamus, triplex solùm justa dari potest eorum interpretatio: prima, Cantate gentes, populum ejus: secunda, Cantate gentes, populus ejus: tertia, Cantate gentes, & populus, vel cum populo ejus. Primam non esse hujus argumenti res ipsa loquitur. Nam subjectum Cantici quod cantari & prædicari præcepit Moses, non est populus; quem tam graviter increpavit, impietatis nomine, & quem severissimis Dei judiciis obrutum iri pronunciavit: ac ne reliquiæ illæ quidem sunt, quas Deus gratiosè eripuit ex publico gentis incendio: sed Deus est subjectum laudis; quod proximè antecedentia & sequentia tam clarè demonstrant, ut qui hoc non videat, nihil viderit. Secundam si malint, hæc ipsis omnino adversatur. Nam, ea futurum est, ut gentem suam abdicari a Deo profiteantur; reliquas verò in filiorum numerum adoptari: quod numquam approbaturi sunt. Restat igitur, ut tertiam (quæ omnino cum Mosis argumento & prædictionibus convenit) nobiscum amplectantur; & intergerino pariete rupto Judæos & gentes ad communem gratiam in uno ovili, sub pastore uno percipiendam, & prædicandam, vocatos esse fateantur. Quam sententiam utrovis modo interpretemur, Cantate gentes cum populo ejus: vel, gentes & populus, idem est argumentum, quamvis differente in speciem interpretationis modo. Quartus quidem interpretandi modus adhiberi posset verbo transitivè sumto, Facite, ut canant gentes, popule illius. Sed primùm illa hortatio nihil planè ad argumentum pertineret, nisi quis fortè ex dicto Pauli, per ruinam Judæorum gentibus salutem obtigisse, intelligeret Judæorum vitio præbitum fuisse gentibus cantici & laudationis argumentum. Sed hoc illi multo minùs, quàm superiora comprobaturi sunt: qui tantum absunt a materia canticorum gentibus subministranda beneficio suo, ut contrà nihil nisi malè precentur, & in commentitio illo Messię (quem adhuc exspectant) adventu, omnia sibi læta, gentibus verò tristia & luctuosa prænuncient, atque minitentur. Duo qui supersunt loci, positi in Parallelo nostro diagrammate, ita sunt perspicui, & confirmant Pauli interpretationem, ut nihil lucis ampliùs simus allaturi, longiore nostra interpretatione. Id unum de posteriore monendum est, Esaiæ locum non plenum adduci hîc ab Apostolo, sed concisum & contractum in pauciora: quia satis visum est Spiritui sancto, si locus ille indicaretur & perstringeretur solùm, cùm sit admodum copiosus; non autem singula verba accuratè hîc perscriberentur. Quamobrem ad alia explicanda jam sumus transituri.

Rom. 11. 11.

PARAL-

PARALLELUS XXVIII.

Esa.52.	Rom.15.
15 *Quod non narratum fuerat eis, videbunt, & quod non audiverant, intelligent.*	21 Quibus non erat annunciatum de eo, videbunt; & qui non audiverant, intelligent.

VTrumque hunc locum eodem fine & argumento esse nemo negaturus est, qui ad Prophetæ & Pauli verba attenderit. Id tantùm interest, quòd hæc a Propheta dicuntur *θετικῶς*: Paulus verò ad hypothesin ministerii sui accommodat. Nam Thesis est: Gentes etiam remotissimas, quibus nec annunciatum fuerat nomen Christi, nec ad aures quidem ipsarum perlatum, visuras beneficium ejus, & intellecturas esse. Hypothesis verò, ad hujus Theseos effectionem electum & sanctificatum instrumentum, inter cæteros, fuisse Paulum, qui ambiverit prædicare Euangelium, & supra omnes laboraverit, quos Deus Apostolatus honore & onere instruxerat. Quemadmodum autem in præcedente Parallelo diximus Apostolum brevitati studuisse, sic nobis hoc loco dicendum est. Nam discedit quidem in speciem ab Esaiæ verbis; sed si quis prius membrum versus apud Esaiam cum posteriore contulerit; is animadvertet hanc mutationem certo studio fuisse factam; ut tantilla mutatione includeretur simul his verbis prioris membri argumentum. Nam priore membro exposuerat, quæ persona quibus annuncianda esset, nempe Christus gentibus, earúmq; regibus: posteriore autem effectum ex iis rebus consequuturum prædixerat: Utrumque (ne longior esset) Paulus hac unius aut alterius voculæ mutatione complexus est. Quæ cùm ita sint, nemo vir bonus, pietatis veritatísque studiosus, pro impedimento vel offendiculo id habiturus est quod maximo est adjumento, cùm ad memoriam, tum ad justam Scripturæ intelligentiam.

PARALLELUS XXIX.

Esai.29.	1.Cor.1.
14 *Peribit Sapientia Sapientum ejus, & intelligentia* hominum *intelligentium sese abditura est.*	19 Abolebo Sapientiam Sapientum, & intelligentiam *hominum* intelligentium tollam e medio.

HUjus loci evidens & familiaris est intelligentia. Quod enim de Judæis olim Esaias vaticinabatur, id Paulus de omnibus pronunciat, qui sapere sibi videbantur. Ac de Judæis quidem habita etiam ratione temporum plenitudinis, qua Christus Deus in carne patefactus est, hæc verba apud Prophetam enunciari luce meridiana clarius est; cùm citra rationem illius temporis nulla possit justa investigari Prophetiæ illius interpretatio, prout jam sæpe ostendimus. Quomodo ergo, dixerit quispiam, ex particulari de Judæis dicto universale statuit Apostolus: Primùm, secundùm ætiologiam: quia unica est justitia Dei & immutabilis; atque hæc justitia non potest eos non perdere, & sapientiam eorum evertere, qui sapiunt in oculis suis. Deinde verò, secundùm analogiam & comparationem majoris. Nam, si Deus ne

Judæis quidem parcit, ramis naturalibus, quid cæteris facturus est? Stat igitur planè & verissima est hæc Pauli accommodatio. Jam de mutatione videamus. Dixit Esaias in persona tertia, *Peribit Sapientia*, &c. Paulus verò in persona prima reddit, *Abolebo Sapientiam*, &c. nempe hic interpretatur illum, nec sine autoritate justa hanc interpretationem adhibet; sed ea ratione & via quam duobus Parallelis proximè præcedentibus modò ostendimus. Nam priore membro versus Deus per Esaiam hoc se dixerat effecturum: *Idcirco, Ecce ego*, inquit, *pergam res mirificas agere adversus populum istum indesinenter & admirabiles*: deinde subjicit, quid illud futurum sit. *Nam Peribit Sapientia Sapientum*, inquit, &c. Justa igitur est & commoda hæc Pauli interpretatio; quamvis contracta in eum modum, quem proximè exposuimus Parallelis antecedentibus. Quòd autem sequentis versus exornatio aliter ab interpretibus refertur ad aliquem scripturæ locum, & quidem nominatim ad illa Esaiæ verba, quæ habentur 18. capite, id mihi probari non potest. Nam ab illa opinione jam diu me tum locorum circumstantiæ, tum verò verborum discrimen deduxerunt, ἐπεὶ μάλα πολλὰ μεταξὺ, ut Homerus loquitur. Etenim hæc verba minimè omnium respiciunt ad illa Esaiæ, sed contrà exponunt præcedentem ætiologiam exornatione gloriosissima, hoc versu; in qua primùm generatim Propheta dicit, Ubi est sapiens? deinde speciatim enumerat duo sapientum genera; horum in Scripturæ sapientia exercitatorum, quos γραμματεῖς appellabant; illorum in sapientia hujus mundi, qui disquisitores hujus seculi appellantur. Atque hanc Prolepsin sequentibus verbis primùm quidem generaliter explicat, hoc reliquo & sequente versu: deinde verò demonstrat speciatim, ubi dicit, & Judæos (quibus concredita fuerant Dei oracula) signum petere, & Græcos sapientiam desiderare in hac prædicatione crucis Christi.

PARALLELUS XXX.

Jerem. 9.	1. Corinth. 1.
24 *In hoc glorietur, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me, me esse Jehovam*, &c.	31 Qui gloriatur, in Domino glorietur.

HOs duos locos inter se optimè comparari non solùm demonstrat verborum ratio, quæ in Parallelo diagrammate hoc descripsimus; sed etiam antecedens tota argumentatio. Dixerat enim Deus per Prophetam, *Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua, neque gloriator dives in divitiis suis*; deinde ex contrario subjecerat ista, *sed in hoc glorietur qui gloriatur*, &c. Hæc igitur lex est constans & immutabilis, pertinens ad gratiæ divinæ demonstrationem & humanæ vanitatis. Eadem verò omnia in causa Evangelii gloriæ Christi Apostolus optimè persequutus est, inde a versu 25. docens nullam esse posse justam comparationem rerum divinarum cum humanis; omnémque humanam gloriam, si ad res divinas comparabitur, nihilo vaniorem esse, ut nulla caro glorietur coram Domino. Itaque ut gloriam rerum divinarum, in primis verò Christi crucifixi, quæ Dei potentia est ac Dei sapientia, homo pius summa religione ac reverentia discat agnoscere; ostendit paucis, qui, a quo, & in

in quo gloriari possit. Ex Deo Patre, inquit, vos estis in Christo Jesu: deindè verò hoc dictum explicat singulari causarum omnium enarratione, Materia est Christus: Forma, quòd factus est nobis sapientia, justitiáque, & sanctificatio, & redemtio. Efficiens, quòd is nobis factus est a Deo: Finis, quòd ideo factus est, ut qui gloriatur, sicuti scriptum est, in Domino glorietur. Hæc igitur cùm plana per se atque aperta sint, pluribus non enarrabimus.

PARALLELUS XXXI.

Esai. 64.	1. Cor. 2.
8 *Quæ a seculo non intellexerunt, non perceperunt auribus, oculus non vidit, o Deus, præter te, facturus est præstolanti ipsum.*	9 Sed *eloquimur*, sicut scriptum est, quæ oculus non viderat, & auris non audiverat, & in cor hominis ullius non ascenderāt, quę prępraraverat Deus diligentib. ipsum.

OMnino quidem Interpretibus assentior, & piis viris, qui hęc Pauli verba cum illis Esaiæ comparari judicant oportere: ut etiam in argumento summam puto esse convenientiam. Sed quia multi plurimùm aberrant (nisi me fallit animus) a Pauli interpretatione vulgò; antequam de locorum convenientia aliquid dicimus, de interpretatione verborum Pauli præmitti sententiam meam necesse est. Hæc igitur Pauli verba, primùm quidem, si interpretationem desideres, aut cum septimo versu conjungi possunt, tamquam ex hyperbato: aut cum octavo, tamquam ex antithesi. Si versui septimo conjunxeris, hæc futura est interpretatio: *Sed loquimur sapientiam Dei positam in mysterio, occultam illam, quam præfiniverat Deus ante secula,* &c. Deinde per Epanaphoram (cujus index videtur esse repetita particula, *sed*, quæ in principio versus septimi habetur) hic versus hoc modo cohærebit: *Sed*, inquam, *loquimur*, *sicut scriptum est, ea quæ oculus non viderat*, &c. Sin autem cum proximè pręcedente versu placeat conjungere, ita constabit antithesis: Loquimur sapientiam Dei, quam nemo principum seculi hujus cognovit: imò verò, quam oculus cujusquam non viderat, &c. Quæ interpretatio non tam antithesi, quàm incremento & amplificationi deputanda est. Priorem probo. Sed rursum altera quęstio incidit, ad justam hujus loci interpretationem. Nam vulgò sic interpretantur hæc verba ut præteriti perfecti temporis, non plusquam perfecti esse videantur. Loquimur sapientiam Dei, res quas oculus non vidit, & auris non audivit, &c. Atque hinc factum est, ut plerique omnes hęc verba non de sapientia Euangelica & prædicatione ejus; sed de cœlesti gloria, sive (ut Paulus loquitur) de spe, quę nobis reposita est in cælis, acceperint. Error. Non enim hoc loco Paulus de illo extremo fine solùm agit, quem assequuturi sunt credentes Euangelio Christi; sed de illa ipsa doctrina Euangelii universè, quæ tum innotuerat in Christo Jesu, revelato mysterio, quod a temporibus æternis fuerat tacitum, ut idem loquitur. Ideoque mihi illud magis placet, ut totus hic Rom. 16. 25.
versus per pręteritum plus quàm perfectum exponatur, Nam antè quidem oculus non viderat, auris non audiverat, &c. Sed postquā Deus in carne patefactus est, factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui tenebantur lege redimeret: ex eo igitur tēpore vidit oculus, auris audivit, &

 mens

mens hominis percepit, quæ antè vidisse, audivisse, percepisse nunquam potuerat. Quis enim hæc non fuisse ab homine priscis temporibus illis percepta demiretur? cùm ipsis quoque Angelis & cœlestibus intelligentiis multiformis illa Dei sapientia fuerit abscondita, ut optimè idem Apostolus loquitur ad Ephe.3.& ex eo Chrysostomus in Joannem optimè observavit. Atque hæc de interpretatione: jam de convenientia videamus paucis. Idem est utriusque loci finis, idémque argumentum. Finis est, ut mirifica Dei gratia in declaratione Euangelii extollatur: summa verò est sive argumentum, doctrinam Euangelii olim exspectatam, his verò temporibus patefactam atque exhibitam, summum esse mysterium, quod neque ullus rerum creatarum sensus, neque ulla mens aut intelligentia, ne cœlestis quidem sive angelica percipere antè potuerit, quàm a Deo declarata esset. Hoc apud Esaiam supplex aespexit Ecclesia, quum exorsa a laudativa commemoratione antecedentium beneficiorum Dei, capite 63. sequente postulatum suum explicat de liberatione Ecclesiæ, tum ab infestantibus malis, tum a peccatis malorum causis; non solùm ad presens tempus verum etiam in perpetuum, per declarationem Euangelii gloriæ Christi: quo pii & fideles singuli, acerbis calamitatibus pressi vehementissimè, quasi cervices suas & mentes surrigebant, & sese consolabantur ejus exspectatione, Deúmque sollicitabant, ut propter electos acceleraret adventum filii sui, & declarationem Euangelii illius, ad salutem æternam Ecclesiæ suæ. Atque hoc tantum bonum prisca Judæorum Ecclesia cernebat quidem, sed per ænigma; & per ænigma Prophetæ de eo prædicabant: sed ubi Deo placuit filium suum mittere, & instituere prædicationem Euangelii; totum illud ænigma, quod oculus non viderat, nec auris audiverat, nec in mentem hominis venerat illius intelligentiæ, totum, inquam, illud solutum est, & in Ecclesia Dei expositum luculentissimè: quemadmodum sequentibus Paulus testatur dicens, *Nobis autem Deus revelavit ea per Spiritum suum*, &c.

PARALLELUS XXXII.

Jiob.5.	1.Cor.3.
13 *Qui deprehendit sapientes versutia ipsorum.*	19 Qui deprehendit sapientes versutia ipsorum.
Psal.94.	
11 *Jehova cognoscit cogitationes hominum esse vanitatem ipsam.*	20 Et rursum, Dominus novit cogitationes sapientum esse vanas.

HOrum locorum quos adducit Paulus finis communis est, & idem argumentum; summáque inter eos, & sententiam Pauli convenientia. Docuerat Paulus eos qui sibi videntur sapientes in hoc seculo, non aliter posse fieri sapientes quàm si fiant stulti, & pauperes Spiritu in oculis suis: id est, universæ hujus mundi sapientiæ ex toto animo renuncient, eámque exuant. Hoc documentum confirmavit propositione hac, quòd sapientia mundi hujus sit apud Deum stultitia. Hoc autem dictum, quia judicio hominum sibi indulgentium facilè oppugnatur, probat Apostolus duobus Scripturæ locis luculentissimè. Ac prior quidem ita planus est, ut nullus scrupulus inesse videatur, qui dubitationem offerre possit. Id tantùm observandum est, quòd Hebræa & Græca particula ab aliis accipitur pro materia simpliciter,

pliciter, quòd in ipsa versutia sua a Deo deprehendantur sapientes: ab aliis verò, pro circumstantia, nempe quòd ipsi deprehendantur cum versutia sua: ab aliis denique pro instrumento, nempe quòd sua ipsorũ versutia Deus deprehendat ipsos, hoc est, ipsi sibi laqueum inducant, & sapientia sua evertant sese. Quam postremam interpretationem, ut locupletiorem & cæteras unà complectentem, magisque argumento huic accommodam, libenter amplectimur. Posterior verò planè eadem est cum Davidis verbis, si unum exceperis; nempe quòd usus est David generali voce, cogitationes hominum vanas esse pronuncians judicio Dei: Paulus verò generis appellationem ad speciem, de qua agitur, accommodat. Quod argumentum a genere ad speciem est apodicticon, neque ratione ulla potest labefactari. Mutationis verò hujus duplex causa est; una, quòd commodius & illustrius visum est Apostolo, si eam ipsam speciem, quæ agitur hoc loco, velut genere illo comprehensam nominaret: altera, quòd emphaticum est hoc mutationis genus; & ex eo necessariò sequitur illa ipsa prædicatio de genere qua utebatur David, si comparationem minoris placeat instituere. Nam, si cogitationes sapientum ipsorum vanę sunt judicio Dei, quid insipientium cogitationibus futurum est, aut eorum omnium, qui non sunt cum illis sapientia comparandi?

PARALLELUS XXXIIII.

Genes. 2.	1. Cor. 6.
24 *Erunt duo in carnem unam.*	16 An ignoratis eum qui agglutinatur scorto unum esse corpus cum illo? fient enim, inquit, illi duo in carnem unam.

Hic locus etsi a Pauli argumento abesse videtur in speciem longissimè, quia Moses de justo conjugio; Paulus de scortatione agit: si quis tamen rem penitius introspexerit, animadversurus est nihil accommodatius ad probationem hujus dicti afferri potuisse. Finis, propter quem sermo ille a Mose institutus est, de verbis hominis uxorem suam agnoscentis ex spiritus Dei testificatione, hic est propriè; ut sancti matrimonii institutio generi humano exponatur, probetur, atque sanciatur in æternum. Summa, Deum sacri conjugii authorem, & jura illius, & opera sanctificavisse, ita ut propria sint humani conjugii, neque sine impietate & scelere gravissimo alteri cuipiam rei aptari possit. Itaq; jura conjugii declarat Moses, vers. 23. Opera, sequente. Jura conjugii ponuntur duo: unum, quòd vir & uxor sunt os & caro alter alterius; alterum, quòd uxor, tanquam de capite suo, denominatur de viro. Ex hac circumscriptione juris conjugalis, consequuntur opera cum eo jure conjunctissima. Primum est, quòd ex quo vir se eo jure obligari à Deo sensit, tantam vim & religionem esse experitur ejus, ut officium ejus naturali erga parentes officio anteponat: *propterea derelinquet*, inquit, *vir patrem & matrem suam.* Secundum, quòd animo & corpore arctissimè agglutinatus est uxori suæ juris illius conscientia, eámque habet consortem omnis divini & humani juris: ut gentes ipsæ olim agnoverunt, & testatur Paulus non ita multo pòst. Tertium, quòd 1. Cor. 7. 3. & 4
secundùm jus illud & communionem a Deo institutam, ex facto in carnem unam coalescunt, ad sufficiendam sobolem per benedictionem Dei,

Dei. Quę tria ordine in versu 24. a Mose proposita sunt. Hujus verò doctrinæ de jure conjugii, singula capita Apostolus noluit percurrere, quia non pertinebant omnia ad quæstionem hoc loco institutam; sed illud tantùm decerpsit ex eorum numero, quod vidit esse hujus argumenti, & facere ad probationem sermonis instituti. Sermo autem est, scortationem a Deo damnari, ac proinde fugiendam esse. Id certis argumentis docet. Primùm a fine, cujus causa corpus a Deo nobis datum est versu 13. Secundò, a certa illius in futurum gloria, & jam jam præsente per resurrectionem Christi, versu 14. Tertiò, a sanctissima communione nostra cum Christo, qua corpora nostra effecta sunt membra Christi; ac proinde non nisi impietate summa effici membra scorti unius possunt. Hoc verò argumentum ut meliùs intelligeretur, illustrat Apostolus, repetita illa antithesi quam modo diximus, & membro uno per authoritatem Scripturæ confirmato. Sic ergò argumentatur: Non potest idem & unum corpus membrum Christi & scorti esse. Qui autem agglutinatur scorto, unum est corpus cum eo. Non ergò idem corpus, Christi servatoris nostri membrum futurum est. Minorem, quam protervi homines & in libidinem projecti fortasse fuissent negaturi, probat Apostolus authoritate primę illius institutionis, quàm Deus ante peccatum fecerat, & homo divinitus quum primũ evigilavisset, visa uxore sua agnoverat. Est autem argumentatio, quam ex hoc testimonio conficit Apostolus, ducta a proprio, in hunc modum: Generi humano proprium est conjugium, juráque, & opera illius, ex instituto Dei, naturę luce, & singulorum conscientia. Est autem illa copulatio, quam in conjugio sanctificavit Deus, propria conjugii. Homo igitur non potest bona fide copulari cum muliere extra ordinem conjugii a Deo institutum. Ex hac argumentatione id planè sequitur, quod docet Apostolus, nempe virum & uxorem in sancto conjugio atque legitimo fieri carnem unam; primùm quidem institutione; secundò verò actu & re ipsa: sed eos contrà, qui actu & re ipsa inter se agglutinantur citra institutioné Dei, non eò minùs sic agglutinari, ut membra efficiantur alter alterius, sed illegitimè: quia semper idem effectus est, sed causa differens; qua in conjugio sanctificatur hęc copulatio, damnatur extra conjugium: in utroque verò, sive damnata sit, sive sanctificata, pariter aptari virum mulieri, ut hic sit illius membrum. Quamobrem sanctissimè Apostolus carnali isti & impuræ adhæsioni opponit nostram conventionem & conjunctionem cùm Domino, dicens. Qui verò agglutinatur Domino, unus est Spiritus: quasi dicat, Tribus modis agglutinatur homo: primùm, corpore & animo legitimè, quum vir adhæresceit uxori suæ ex instituto Dei: secundò corpore solùm illegitimè, quum vir agglutinatur scorto: tertiò denique Spiritu solùm & per gratiam singularem Christi, quum quis per Spiritum sic agglutinatur Dominó, ut unus sit Spiritus. Atque hi duo postremi adhæsionis modi tantoperè inter se discrepant, ut simul constare non possint: quia nulla est justitiæ cum injustitia communicatio, luci cum tenebris, Christo cum Beliale, ut idem docet alibi luculentissimè.

PARALLELUS XXXV.

Deut. 25.	1 Cor. 9.
4 *Non obligabis os bovi quum triturat.*	9 In Mosis lege scriptũ est, Non obligabis os bovi trituranti.

Hujus

HUjus loci adeò aperta est sententia, ut non indigeat explicatione nostra. Nam, ut illud mittamus, quòd Mosis consilium in ea Lege obscurum nemini esse potest; docet Apostolus eam Legē propriè atque simpliciter non pertinere ad boves, quorum ministerio ad trituram Orientales utebantur; sed potiùs id figuratè fuisse dictum, ut primùm quidem officium nostrum erga eos homines agnoscamus, quorum juvamur ministerio; deinde verò eo ampliùs confirmati simus, Deum servis suis, quorum ministerio Ecclesia utitur, prospectum voluisse, & singulari studio pro sua illa paterna benevolentia prospecturum esse quantum expediet. Duplex itaq; inest in hac lege comparatio minoris, quam Apostolus ordine ostendit verbis sequentibus. Prior est: Cujus providentia minima etiam ministeria rerum vel minimarum curat, ei rerum magnarum & sanctarum ministeria non possunt non esse curæ. Deus autem Lege curavit boves. Quantò igitur magis rerum sanctarum administros? Hanc argumentationem his verbis Paulus enunciat: *Num boves curæ sunt Deo?* nimirum κατά τι. Nam boves quidem curat, & ipsos quoque passeres; sed ita curat, ut homines imagine sua præditos, imprimis verò mysteriorum salutarium ejus fidos dispensatores atque administros sit multò magis curaturus. Posterior argumentatio est de officio nostro. Qui humanitatem nostram ad pecora usque protendi voluit, multò magis in speciem nostram exerceri voluit, & in eorum ministerium, qui vigilant pro animabus nostris. Illud autem præcipit Deus: Hoc igitur magis. Atque hanc argumentationem sequente versu Apostolus affert, dicens, *An non hoc propter nos omnino dicit, &c.* nempe ut tum ministri ipsi de providentia Dei erga se confirmentur, tum greges moneantur sui in illos officii. Quòd autem nos illa Apostoli verba explemus adjecta particula, Non, quę in contextu Græco desideratur; ideò facimus, quia proximè antecessit in præcedente membro: Ex quo, si κατὰ Zeugma hoc in membro negatio illa repetatur, sensus longè evidentior efficitur, quàm si omiseris.

PARALLELUS XXXVI.

1. *Cor.* 10.

1 Nolim autem vos ignorare fratres, omneis patres nostros sub illa nube fuisse, & omnes per mare ipsum transivisse.
2 Et omnes ad Mosen venientes baptizatos esse nube illa & mari:
3 Et omnes eamdem escam spiritualem edisse:
4 Et omnes eumdem potum spiritualem bibisse: bibebant enim ex spirituali petra simul faciente iter; petra autem illa erat Christus.
5 Sed plerosque illorum non approbavit Deus; fuerunt enim prostrati in deserto.

OMnino fuisset id hoc in loco futurum longius, si justa capita, ipsámque adeò Mosis historiam bona ex parte ad Parallelum diagramma faciendum inseri oportuisset. Quamobrem id nobis satis visum est, si Pauli verba afferremus, & cum eis conferremus veteris Testamenti locos, argumento tenus. Antequàm verò de argumentatione Pauli hoc loco dicimus: primùm de fine & scopo hujus instituti sermonis dicendum est, deinde ad singularem locorum accommodationem

dationem deventuri sumus. Finis igitur est, ut confirmet Apostolus illud documentorum genus quod capite 8. Corinthiis cœperat exponere: nempe religiosè ab Idolothytis pios omnes cavere oportere; quia verò cavillationes quædam ab iis afferebantur, qui dum in membris Ecclesiæ censeri vellent, id tamen sibi licere contendebant: ad eas divina planè anticipatione respondet Paulus ordine convenientissimo. Nam primùm quia dicebant Idolum nihil esse in mundo, ac proptereà nihil sibi ab Idolis aut boni aut mali inferri posse: Respondit Apostolus non sequi ex eo, si libera est conscientia in rebus quas vocant adiaphoras, proptereà liberũ esse licitúmq; usum promiscuè; quia scientiam rerum liberarum, & conscientiam pius sibi habere debet, usum verò pro aliorum captu & ædificatione temperare, capite 8. Quod documentum exemplo ministerii, alimentorúmq; ad illud pertinentium, hyperbatica disputatione confirmavit toto capite 9. Secundò, quia regerebant se tamen omnino ad Christum & Ecclesiam ejus pertinere, neque tanti offensam hanc esse (si qua offensa est) ut proptereà a Christo & ab Ecclesia ejus discederent: Respondet Apostolus, non solam hanc offensam esse qua peccant in fratres infirmos; sed alteram quoque offensam plurimùm accedere, quòd dum indulgent voluntati suę & fratres suos negligunt, imprudẽtes in Idololatriam prolabuntur, ejúsque impietatis rei peraguntur coram Domino: qui, ut justus est, approbare impium ipsorum in sese factum, aut inhumanum in fratres non potest. Tertiò denique illis objicientibus, Ergo reliquum esse, ut ruant in pericula, graves tentationes subeant hoc nomine, atque (ut loquuntur sapientes secundum carnem) videantur ipsi ultrò tentare Dominum, quum modico flexu tentationes istas possent effugere: Respondet Apostolus hoc absurdum non aliunde proficisci, quàm ex humanæ infirmitatis ignoratione, & infidelitate in omnipotentiam, veritatémque promissionum Dei. Qua ratione omnino illud consequitur, ut qui ab Idololatria tenentur fugere, paulatim eò deveniant, ut Idololatriæ cum specie, tum re ipsa & facto adhærescant. Hæc autem omnia, a principio capitis decimi ad versum usque undecimum, pertinent ad secundum illud cavillationis genus, quod his argumentationibus & exemplis Paulus voluit diluere. Summa igitur est, fidelia Christi & Ecclesiæ membra non eo posse in conditione sua acquiescere & sibi indulgere, quòd in corpus Christi & Ecclesiæ cooptata sint; sed contrà, quo ampliùs honoris & beneficii a Deo acceperunt, eo ampliùs debere toto vitę suę curriculo explorare administrationẽ suam, & ab omni malo adeóq; specie mali, &(quo ad ejus fieri potest) suspicionis argumento præbendo abstinere: quod graviter olim de familia sua Julius Cæsar prædicabat. Causa est, quòd homines vitã suam in eum modum instituentes, id est, proximum negligentes, & prolabentes in Idololatriam, Deus non approbat, sed abjicit severissimè. Ac causam quidem hanc exponit Apostolus, versibus quinque; dehortationem verò, hujus ipsius causæ argumento, sex proximè sequentibus. Jam tempus est, ut ad singularem horum locorum expositionem veniamus. Duo sunt hujus propositionis membra: Unum, ad explicationem subjecti pertinens, versibus 4. Alterum, prædicati, versu 5. Nam propositio hæc est: Non omnes, qui in Christo & Ecclesia censentur, probantur domino; sed ab eo, quum visum est, justo judicio profligantur: nempe ii qui abutitur illo singulari beneficio ipsius, ut posteà docet Apostolus. Subjectũ ergò,

id

id est, eos homines qui in populo Israëlis censebantur, & membra Christi Ecclesiæque videbantur, describit Paulus ab externa ipsorum actione, & Symbolorum Christi & Ecclesiæ participatione; prout a Mose Symbola Ecclesiæ veteris peregrinantis in deserto narrantur copiosissimè. Atque hæc symbola ita conglutinat, ut non obscurè cum Symbolis Ecclesiæ nostræ, id est, Baptismo & Cœna Domini contulerit, ne quid fortè Corinthii arriperent, ad sui excusationem. Etsi autem plura potuit accumulare ad hoc argumentum, binis tamen contentus fuit, quæ cum singulis nostris compararet. Nam cum Baptismo, nubis ductum, & maris transitum; cùm Cœna, cibum & potum quo Israëlitæ in deserto usi sunt, contulit elegantissimè. Ad hunc verò sermonem transitur per insignem προθεραπείαν, qua Corinthios monet Apostolus se libenter quidem ab hoc sermone fuisse abstenturum, sed necessarium esse ipsorum causa; & ita necessarium, ut pro fide & vocatione sua non possit Apostolus, quin exempla hæc in mentem ipsorum revocet, tamquam fratrum in Christo, quorum salutem fraterno planè studio velit procurare. Est autem evidens narratio historica. Patres enim sub nube fuerunt. Exod. 12. & 13. per mare transiverunt, Exod. 14. ac propterea sese omnes Mosi, tamquam fideli famulo in domo Dei, ducẽdos atque regendos permiserit. (Sic enim interpretamur loquutionem illam, εἰς τὸν Μωσῆν, Hebraica Metalepsi apud sacros Authores frequentissima) tum Man, id est, panem è cœlo ederunt; & aquam de petra biberunt, Exod. 17. & Num. 20. & 21. Sed de accommodatione sive applicatione, ut vocant, nonnulla est controversia: quamobrem de ea dicemus breviter. Propositio est Apostoli: Non omnes qui Symbolis Christi, & Ecclesiæ usi sunt in populo Israëlis, approbavit Deus. Argumentatio hujusmodi. Deus autem sui semper est similis: Ergo, ne hoc quidem tempore eos omnes approbat, qui Symbolis Christi & Ecclesiæ utuntur in Ecclesia ejus, & qui humano judicio censentur ad eam pertinere. Hujus argumentationis vim ampliùs demonstraturus, adhibet (ut diximus) symbola Ecclesiæ illius oberrantis in deserto, quæ sunt Symbolorum nostrorum antitypa. Dicit enim, Patres, quamvis diverso symbolo, baptizati sunt, & suo quoque modo Cœnam Domini participaverunt; sed non propterea Deo probati sunt. Quæ igitur per illud tempus ratio ipsorum fuit, eadem nostra in hoc tempore futura est: nempe, si non studeamus sanctificationi nostræ, nos similiter Dei judicium subituros. Restat jam, ut de singulis Mosaicæ illius historiæ membris, & oratione Pauli dicamus, quomodo inter se conveniant. Primum illud membrum minimè obscurum est, Patres fuisse sub nube, & omnes per mare transivisse. In sequente autem versu obscuritatem habet illa loquutio, quòd omnes εἰς τὸν Μωσῆν baptizati sint. Mihi verò (ut alias interpretationes mittam) illa perplacet, quæ innumeris in vetere Testamento locis exemplísque confirmatur: nempe Ellipticam consequutionem esse, pro eo quod est, venientes ad Mosen sive accurrentes, eúmque tamquam protostaten (ut Oecumenius vocat) sequentes diligentissimè, ad participationem eorumdem beneficiorum a Deo accinctos esse, quæ hodie cum Ecclesia sua Christus communicat: Ac proinde baptizatos esse nube & mari, id est, eadem gratia divina & gratiæ Symbolo per voluntatem Dei fuisse instructos; sed ipsorum infidelitatem (quæ tamen fidem & veritatem Dei abolere non potest) fuisse impedimento, Rom. 3. 3. ne illam gratiam oblatam & datam divinitus salutariter perciperent.

Sequitur,

Sequitur, omnes eamdem escam spiritualem edisse; quibus verbis non dubium est, quin Manna designet Apostolus, qua esca Israëlitas annos quadraginta pavit in deserto Deus. Atque hæc quidē esca per se corporalis fuit, & pavit corpora, ut Mosis historia non obscurè docet: sed spiritualem hoc loco vocat Apostolus propter finem summum & potentissimum, cujus causa eam suppeditavit Deus. Verùm fuit quidem ille propinquus, sed inferior finis, ut eo corpora alerentur: Summus verò finis, ad quem piorum mentes assurrexerunt, & Israëlitarum omnium oportuit erigi, is fuit, quòd Spiritus vel animos eorum cælesti & spirituali esca alere vellet Dominus; cujus spiritualis escæ Manna fuit Symbolum, sive sacramentum, non modò significativum, verum etiam exhibitivum (ut loquuntur vulgò) secundùm institutionem Dei, & veritatem promissorum ejus. Omnes igitur escam ederunt Spiritualem, & significatione vel Symbolo, & sacramentali unione: sed non propterea omnes rem significatam aut veritatem spiritualem edisse dicendi sunt, si escam spiritualem ederunt: quia boni, qui manent in Christo, & in quibus Christus, escam spiritualem comedunt percipientes Spiritu; mali verò non percipiunt eam Spiritu, ut qui non habeant spiritualem vitam; sed edunt escam spiritualem, quatenus per institutionem spiritualis in sacramento est vel Symbolo, & unione sacramentali ipsius; non autem spiritualem in ipsis, aut ab ipsis perceptam spiritualiter. Eadem quoque sequentium ratio tenenda est, quum omnes eumdem potum spiritualem bibisse dicuntur: spiritualem puta, Symbolo & exhibitione, secundùm fidelem sacramentorum institutionem veritatémque: non autem spiritualem in ipsis secundùm fidelem perceptionem Spiritus, qua soli pii eam participant, eáque solùm participatur fide. Hoc ita accipi oportere demonstrant sequentia: quum Paulus inquit, *bibebant enim ex spirituali petra simul faciente iter.* Quia verò hæc verba obscuritatis aliquid habere videntur; tum quia figurata sunt; tum etiam, quia de historia ipsa non satis convenit; dicendum nobis est de utroque dubitationis argumento. Figurata esse hæc verba ii maximè statuunt, qui nomen petræ accipiunt metonymicè, pro aqua manante ex petra, & Israëlitas (ut putant) prosequente. Neque enim petra bibebatur, sed aqua ex petra: neque petra sequebatur, sed aqua (ut putant) ex petra profluens; neque petra illa spiritualis erat per se, sed institutione solùm, typo, & sacramento tenus. Minus figurata altera hæc interpretatio futura est; si ex proximè præcedentibus verbis & natura conjugatarum vocum, ellipsin statuamus vocis πόμα, id est, potus, hoc modo: *bibebant enim* potum profluentem *a spirituali petra.* Quam interpretationem eo faciliùs boni probaturi sunt, quòd plus habeat facilitatis & evidentiæ, quàm illa superior. Bibebant ergò Israëlitæ eumdem potum spiritualem a spirituali petra manantem: spiritualem autem, primùm respectu fontis illius spiritualis, ex cujus plenitudine haurimus omnes; secundò, respectu institutionis sacramentalis, quia typus erat sacramentúmque spiritualis potus quo pii potantur in Christo; tertiò, exhibitione, quia non nuda erat significatio, sed verissima præstatio eorum, quæ aqua manante e petra significabantur; quartò denique ratione seu modo, quia usque adeò spiritualis est potus, ut a nemine nisi Spiritu, & spirituali modo percipi possit. De historia verò quod dicitur, etsi multos & graves authores habet; non possum tamen (quod pace illorum & citra invidiam dictum

dictum velim) id facilè accipere & pro authentico habere in rerum sacrarum historia, quod sacra historia reticet: nec Moses fidelissimus narrator rerum mirificarum, quas præstitit in deserto Deus, fuisset omissurus. Statuunt enim aquam ex petra Israëlitas sequutam esse; cujus rei testimonium indiciúmve minimum (si bene observavimus) apud Mosen non comparet usquam. Duo sunt omnino loci, in quibus petra per voluntatem Dei ad significationem Mosis fudisse aquam dicitur, quam Israëlitæ biberent. Prior Exod. 17. posterior Numer. 20. Tertius qui vulgò adducitur ex Numer. 21. non meminit aquæ ex petra; sed aquæ ex puteo, quem Israëlitæ scipionibus suis, id est, ligneis instrumentis suis foderunt: ac proinde nihil ad hoc argumentum facit. Jam verò si de priore historia accipitur, quid fuit posteriore opus? Deinde manserunt annos ampliùs triginta octo Israelitæ in Cades-Barne, ubi non fuit ex aquæ inopia laboratum. Sin autem de posteriore, quorsum paulo post spatio Israëlitæ puteum cavaverint? quorsum mandatum a Deo acceperint, ut aquam a fratribus suis emerent? Deuter. 2. quorsum ipsi pretium fratribus suis obtulerint? Numer. 20. & 21. denique qua fide tam evidens Dei beneficium dissimulaverint? de quo potiùs apud omnes gloriari ipsos oportuerit, & præsentissimã Dei virtutem testatam facere, quàm aliunde potum qui opus esset, mendicari. Quæ cùm ita sint, neq; materialem petram Spiritualis Symbolum, neq; aquam ex petra Israëlitas prosequutã esse statuimus; sed Jesum Christum, Angelum faciei Domini, nube, manna, petra figuratum, & verè spiritualem petram (ut Apostolus loquitur) confirmamus ex Mose coram Israëlitis & cum Israëlitis processisse. Dixerit fortasse quispiam, Atqui illa spiritualis petra Israëlitas sequuta dicitur. Respondeo, minimè verò: Nam verbi ἀκολουθεῖν homonymia vel æquivocatio (ut loquuntur scholę vulgo) materiam istius dubitationis tollit, qua plurimi in opinionem falsæ illius historiæ abrepti sunt. Est enim verbũ ἀκολουθεῖν, non solùm sequi præeuntem (ut vulgò solet accipi) verum-etiam generaliter significat simul iter facere cum altero, sive præeas, sive sequaris, sive te comitem ad latus euntis adjunxeris. Factum est enim ex particula ἀ, quæ apud Græcos non infrequenter significationem habet τοῦ ὁμοῦ, id est, simul, & nomine κέλευθος via, iter; unde primaria hæc & generalis significatio profecta est. Quamobrem optimè mox subjecit Apostolus dicti hujus interpretationẽ his verbis, *Hæc verò spiritualis petra erat Christus*, puta, ex qua omnia illa beneficia quæ antè posita sunt, profluebant, & exposita erant Israëlitis, ut in ipso credentes baptizarẽtur, alerenturque ad vitam æternam. Hæc enim verba etsi de proximo membro dicuntur speciatim; tamen Synecdochicè, sive per analogiam, cum præcedentibus omnibus aptari necesse est: tamquã si disertis verbis dixisset Paulus. Nubes autem illa columnáq; ignis, manna, & aqua aspectabilis, quibus secundũ corpus Israëlitæ ducti & educati sunt, Symbola fuerunt aspectabilia gratiæ invisibilis in Christo Jesu; qui in nube, columna, manna, aqua sic figurabatur, ut seipsum revera omnibus viæ ducem, panémque vitæ e cœlo futurum exhiberet, siquidem ipsum fide prehenderent: quia quod illæ res erant corpori, Christus id erat spiritui; spiritui autem credentium & viventium per fidem, non autem mortuorum in sua incredulitate. Petra igitur spiritualis erat Christus; neque id solùm; sed spiritualis nubes, & columna, & esca, & potus; prout res illæ materiales & aspectabiles ostendebant id sacramentaliter.

Sed

Sed hoc (ut diximus) de postremo sacramento expressit Apostolus, de cæteris autem synecdochicè voluit intelligi. Sequentis versus non est obscura interpretatio. Nam planè respondet historiæ, tum interminationis Dei, Num. 14, tum verò exequutionis, de qua Num. 26. copiose satis a Mose actum est.

Parallelus XXXVII.

1. *Cor.* 10.

6 Hæc autem fuerunt typi nostri, ut ne concupiscamus res malas, sicut & illi concupiverunt.

7 Neq; sitis idololatræ, ut quidam eorum; quemadmodum scriptum est; Sedit populus ad edendum & bibendũ, surrexeruntq; ad ludendũ.

8 Neque scortemur, ut quidam eorum scortati sunt, & ceciderunt die uno, viginti tria millia:

9 Neque tentemus Christum, ut etiam aliqui eorum tentaverunt, atque a serpentibus perierunt:

10 Neque murmurate, ut etiam nonnulli eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.

NEque huic loco visum est diagramma Parallelum atque *ἀσύμφωνον*, ut plurimùm facimus, adhibere; quia non unus aliquis versus propriè, sed justæ capitum quorumdam historiæ adducuntur, si unum exceperis in versu septimo. Quamobrem de his conjunctim dicturi sumus; quæ autem singularia sunt, suo loco & ordine posituri. Ac primùm quidem, quomodo hæ historiæ appellentur typi, luculentè satis demonstrat Apostolus. Sunt enim exempla, communes typi ad institutionem omnium; ut duobus antè locis in Matthæum ostendimus. Pertinent autem exempla hæc ad dehortationem; cùm & malefactorum historias complectantur, & eorum pœnas, quas Deus sumsit judex justissimus. In hoc autem exemplorum genere facta quidem hominum sunt contingentia; ac proinde hortationibus ac dehortationibus regi homines necesse est: Dei verò facta sunt necessaria, quia perpetuam & constantem legem in Deo habent, & causam immutabilem; qua ex causa facta hominum contingentia probantur, aut castigantur secundùm immutabilem justitiam ejus, prout antè diximus de locis AEtiologiæ. Sic enim Augustinum olim, & alios orthodoxos Patres diximus appellavisse in Matth. Parallelo 6. Jam autem ordine de exemplis singulis videamus. Primum est, Israëlitas concupivisse, cujus criminis exempla exstant quàm plurima in historia Mosis. Injuriam itaque fecerit, qui hæc verba ad unam aliquam solùm & singularem historiam voluerit restringere. Secundum est, fuisse Idololatras: quod crimen Moses quidem narrat aliquot in locis, sed Paulus ad unum singularem respicit, ut narratur Exod. 32. unde illa verba decerpta sunt, *Sedit populus ad edendum & bibendum, & surrexerunt ad ludendum*: sive, ut Moses loquitur, *ad videndum*, aut potiùs agendum ridiculè, Exod. 32. 7. Hîc verò incidit una quæstio, cur Paulus hæc demùm verba adhibuerit ad probationem Idololatriæ, cujus Israëlitas fuisse reos sacra historia docet. Responsio duplex est. Vna, quum historiæ particulam adducit Paulus, id brevitatis studio sic fieri, ut totius historiæ veritatem ex eo Mosis loco velit intelligi, quem vocularum aliquot judicio, quasi digito, commonstravit;

stravit; ac proinde hæc verba synecdochicè accipi oportere, quia non excluduntur cetera narrationis membra; sed re ipsa concluduntur, piorúmque studio cognoscenda ex Mose ostenduntur. Altera, quòd de industria operam dedit Paulus, ut ea verba ex tota historia excerperet, quæ cum argumento & quæstione ea, quæ hic agitur, maximè convenirent. Agitur autem de idolothytis, quorum usus is fuit maximè, ut non solùm convivatione publica consumerentur; sed etiam hilariis, ludis, choreis, & saltationibus conjungerentur; prout in illo tempore Israëlitæ fecerant. Prudentissime igitur sanctus hic Apostolus ab exemplo Israëlitarum Corinthios admonet, si illi qui Deum noverant, rei fuerunt Idololatriæ; eò quòd aliquam veri illius & viventis Dei imaginem & simulacrum aptassent, eúmque fictitium & imaginarium Deum more gentium conviviis, ludis, & tripudiis concelebravissent; ut qui hac ratione palàm animi sui Idololatrici significationem & professionem apertam ediderunt; nullam propterea excusationem futuram iis, qui Idolothyta, id est, res idolis gentium, ac non vero Deo dicatas atque oblatas, simili modo ad luxum idololatriæ comitem, sive ad convivia, ludos, & saltationes transtulerint. Certa enim est argumentatio qua utitur Apostolus: Israëlitæ fuerunt Idololatræ, tum in eo quòd Deum suum in idolo se colere putaverunt, tum etiam in eo, quòd de oblationibus ejus convivati sunt, & ludis interfuerunt exercuerunt-que sese. Ergo eodem plane argumento, quicunque aut idola colunt, aut convivia, aut ludos eorum participant, Idololatræ dicendi sunt. Quòd si re & animo non sunt Idololatræ; ut in numero vestro, ô Corinthii, exstare audio, qui eò quòd noverunt idolum nihil esse, licentiosè res istas participant; omnino tamen specie & significatione (quam simulationem vocant) sunt Idololatræ. Id autem velim, inquit Apostolus, *ne sitis Idololatræ, sicut Israëlitarum quidam*, qui non dubitaverunt cum aliis convivari & ludere, quamvis in crassam illam Idololatriam minimè incidissent; quia virum Christianum oportet abesse quàm longissimè, non a crassa modò, verum etiam a quavis Idololatria, & specie quoque ac suspicione Idololatriæ. Atque hoc evidentissimum tum conviviorum, quæ cum Idololatris celebrantur, tum saltationum encomium. Tertium est, Israëlitas scortatos esse; cujus maleficii exstat historia Num. 25. Sed una in hunc versum sextum incidit dubitatio: nempe quomodo Apostolus dicat uno die viginti tria millia Israëlitarum cecidisse; cum Moses eo in loco nominatim tradat vicies quater mille mortuos esse plaga illa, Numer. 25. 9. sed facilis est solutio, & locorum istorum conciliatio, si quis ad narrationem Mosis probè attenderit. Nam duo sunt apud Mosen in eo capite narrationis membra: Unum de primariis populi quos Deus publicè suspendi jussit, ut averteretur furor Jehovæ ab Israëlitis vers. 4. alterum, de populo, qui in libidinem exarserat; & quidem primariis ejus his instigantibus & præeuntibus exemplo suo, illis dissimulantibus, & tolerantibus contra officium suum. Ac de primariis quidem quasi mille viri laqueo vitam finiverunt, aut certè cruci suffixi sunt, mandato Mosis. De populo autem, vicies ter mille confossi sunt fratrum suorum manu. Utrumque igitur verum est, tum id quod ait Moses, mortuos esse plaga illa vicies quater mille, si hos & illos unà complectaris; tum hoc quod affirmat Paulus viginti tria millia cecidisse: nempe si ad eos respexeris, qui non cruce aut laqueo, ut primores illi, sed gladio vitam finiverunt. Atq; hos posteriores

non sine causa speciatim notavit Apostolus; sed de industria hoc potiùs singulare exemplum, quàm illud commune attulit: quia visum est eo docere Corinthios, quàm frigida & jejuna sit eorum defensio, qui vel exemplo, vel authoritate, vel mandato potentiorum aut Magistratus sui se tutos putant, si in maleficia aut consenserint; aut ruerint prętet officium suum: Etenim non secus Israëlitis, quum vestigia sequerentur Magistratus sui, a Deo Judice & Magistratu summo accidisse. Quartum est, Israëlitas tentavisse Christum, & a serpentibus periisse: cujus rei historia habetur Numer. 21. Id tamen fortasse alienum a Mosis historia imperitiores judicabunt, quòd Paulus quosdam illorum affirmet tentavisse Christum & a serpentibus periisse, quum Moses simpliciter Deum ab illis tentatum fuisse dixerit: sed non debet hęc Pauli interpretatio aut aliena aut detorta videri cuiquam, si ad duo illa respexerit; unum, Jesum Christum Deum verum esse, coæternum & coëssentialem cum Patre & Spiritu sancto; ideóque tam illius esse tentationem factam, quàm Patris & Spiritus sancti, cùm tres personæ sint essentiâ unum, ut Christus loquitur. Alterum, revera Christum speciali quodam modo fuisse tentatum; quia speciali modo Israëlitis aderat, eósque deducebat in columna nubis interdiu, & ignis noctu, tamquam Angelus faciei Domini, in quo nomen Dei est, ut scribitur Exod. 23. 20. & sequentibus. Quapropter etsi non tollit illud Apostolus, quòd Deus Pater & Spiritus sanctus tentatus fuerit; tamen singulari modo Christum fuisse tentatum narrat, ut eo ampliùs Christianorum mentes afficeret, & ab ipso crimine deterreret, cujus criminis aliqua ratio offerebatur ipsis, quum ad Idolothytorum participationem a civibus & vicinis suis vocarentur. Quintum est, Israëlitas murmuravisse, & periisse ab exterminatore. Atque hanc quidem historiam vulgus Interpretum comparat cum illa murmuratione, quam exponit Moses, Numer. 13. & 14. sed cùm illi ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ dicantur periisse, quo nomine Scriptura plurimùm Angelum pestilentem denotat, aut certè uno impetu (ut in AEgypto factum est) vastantem omnia; mihi quidem videtur id verisimilius, Apostolum hoc in loco ad murmurationem illam populi respicere, quæ post exitium Koræ, Dathan, & Abiram in populo fuit excitata, & plagâ præsentissimâ a Deo castigata; Ad cujus principium quater decies mille septingenti occubuerant, & plures fuerant occubituri, nisi intervenisset Aharon facturus pro populo expiationem, Numer. 17. Sic omnino cum verbis Mosis videtur consentire narratio a Paulo instituta.

PARALLELUS XXXVIII.

Psal. 24.	1. Cor. 10.
1 *Jehovæ est terra & plenitudo ejus.*	26. & 28. Domini est terra & plenitudo ejus.

CErtum est horum verborum utroque in loco argumentum & nulla in re omnino discrepans. Tantùm obscura est in verbis Apostoli accōmodatio, quam nos syllogisticè ad utramque speciem argumenti, quo Paulus utitur, evidentiæ causa proponemus. Priore loco hęc Apostoli est argumentatio: Quicquid est Domini, & a Domino præstitum in macello venditur, id pii citra dubitationem vel scrupulū conscientiæ

conſcientiæ poſſunt in uſum ſuum convertere. Eſt autem Domini terra & omnia quibus impletur terra: Pii ergo omnibus iis citra conſcientiæ dubitationem liberè & fide optima uti poſſunt. Hæc prioris loci argumentatio. Poſterioris verò ratio diverſa eſt: ſic enim argumentatur Paulus: Qui ſunt Domini, ii rebus ad Dominum ſuum pertinentibus ſic uti poſſunt, ſi non fuerint aliena culpa interverſæ a Domino ſuo, ad everſionem gloriæ ipſius & alienæ conſcientiæ: Idolothyta autem interverſa ſunt & erepta juſto ſuo Domino ad everſionem alienæ conſcientiæ, aut confirmationem in malo. His ergo uti pii nec debent, nec poſſunt, ad everſionem alienæ conſcientiæ. Quid ergo fiet? Reſpondet Apoſtolus, *Domini eſt terra & plenitudo ejus*: hoc eſt, non eſt pius alligatus & aſtrictus huic cibario Idolothytorum: ſervit enim locupletiſſimo & potentiſſimo Domino terrę & omnium quæ continentur ea. Aliis ergò cibis utatur potiùs quàm ut propter iſta, quibus non eſt adſtrictus, alienam offendat conſcientiam. Quòd cap. 15. Chriſtus ſecundùm Scripturas mortuus & ſepultus eſſe, ac reſurrexiſſe dicitur, id in Euangelia & Acta Apoſtolorum ſuo loco expoſuimus.

PARALLELUS XXXIX.

Pſal. 110.	1. Cor. 15.
1 *Sede ad dexteram meam, donec poſuero inimicos tuos, in ſcabellum pedum tuorum.*	25 Oportet enim Chriſtum regnare uſque dum poſuerit Deus & Pater omnes inimicos ejus ſub pedibus ejus.

ETſi de horum locorum inter ſe convenientia nemo vir bonus dubitare poteſt: cùm tamen Pauli interpretatio aliquid amplius indicet, quàm vulgus ſolet intelligere; de ea paucis dicturi ſumus. Dixit Apoſtolus Chriſtum primitias eſſe eorum qui obdormiverunt: ac omnes quidem vitam habituros fuiſſe ſuo quemque ordine: primitias Chriſtum eſſe, poſteà verò eos, qui ſunt Chriſti, vitam recepturos in adventu ejus, ac tum fore finem Oeconomicæ illius adminiſtrationis Chriſti; quo tempore regnum, id eſt, adminiſtrationem illam οἰκονομικῶς ſibi imperatam & a ſe receptam atque procuratam, in manus Dei & Patris traditurus eſt, quum omnem principatum, omnémque potentiam & dominatum ſibi adverſantem aboleverit. Hoc dictum, puta, de œconomica adminiſtratione Chriſti, & de fine adminiſtrationis illius confirmat Apoſtolus illis Prophetæ verbis, quæ in Parallelo diagrammate poſuimus, dicens: *Nam oportet illum regnare*, id eſt, perfungi illa ſua regni adminiſtratione in perſona ſua, qua Mediator eſt Dei & hominũ ſecundùm utramque naturam adunatam perſonaliter, *Donec poſuerit Deus & Pater inimicos ejus ſub pedibus ejus*, id eſt, perfecerit in Filio ſuo illam œconomiam ſalutis noſtrę, quemadmodum per Prophetas Deus prædixerat. Itaque duo ſunt quæ ex utriuſque hujus loci comparatione teneri neceſſe eſt: prius, quòd Chriſtus ſedere dicitur ad dextram Dei Patris, idem planè eſſe cum eo quod Paulus hoc loco dicit βασιλεύειν. Poſterius, particulam *donec* vel *uſque dum*, non eſſe infinitè eo in loco accipiendam; ſed includere certam quandam determinationem œconomici illius regni, quod Chriſtus a Patre habuit ad ſalutis noſtrę complementum. Quam rem tertio pòſt verſu Apoſtolus explicat luculentiſſimè,

tissimè, dicens: *Cùm autem omnia illa ipsi fuerint subjecta, tum & ipse Filius subjicietur ei, qui subjecerat ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*: subjicietur autem, id est, recipietur ab eo, & ipse tradet ultrò Patri suam illam œconomicam administrationem; & suo ordine in unione personali utriusque naturæ ita adhærebit Patri, ut membra ipsius Patri velut fonti, & ipsi velut suo capiti subjecta eidem adhæreant, ut Deus sit omnia hæc in omnibus, id est, ipsam quoque administrationem Ecclesiæ suæ habeat, tamquam templi sui assumti in participationem communis gloriæ, quæ reposita est in cælis.

PARALLELUS XL.

Psal. 8.	1.*Cor.*15.
7 *Omnia posuisti sub pedibus ejus.*	27 Omnia subjecit sub pedibus ejus.

ETsi commodior cùm ad hujus loci, tum ad Psalmi totius enarrationem futura est occasio in caput secundum Epistolę ad Hebręos; in præsentia tamen hic dicturi sumus, quę ad hanc Pauli argumentationem videbuntur satis. Dixerat Apostolus omnes in Christo vivificatum iri, sed unumquemque suo ordine; deinde finem fore istius administrationis, quum regnum Deo tradiderit, & omnes adversantes potestates aboleverit. Jam verò cùm summus ille Christi actus sit vivificatio: sequitur ultimum hostem, quem Christus abolitursus est, fore mortem, quam absorbebit immortalitas in electos a Christo collata. Hoc dictum probat Apostolus Davidis testimonio, dicentis, *Omnia subjecit sub pedes ejus*, Ergo & mortem, quæ ultima linea rerum est, ut inquit Satyricus: Deinde verò, quia ex adverso poterat aliquis regerere, Si Pater omnia subjecit sub pedes filii, ergo & seipsum: occupatione amolitur Paulus hanc argumentationem, quæ est verè (ut Gellius vocat) ψευδόμενος. Propterea, inquit, quum autem dicit omnia ei subjecta, hoc palàm est dici, excepto eo qui ei subjecit omnia; quasi dicat, Si cui in hanc sententiam argumentari placuerit, vitiosè argumentaturus est a dicto secundùm quid (ut vocant) ad dictum simpliciter. Nam qui subjecit omnia Christo, sic ei subjecit omnia, ut se non subjecerit, cui Filius ipse subjectus est; & subjicietur etiam tum, quum Deus omnia in omnibus futurus est. Non enim deposuit Pater officium Patris, quum Filio imposuit officium hæredis & mediatoris ad salutem æternam Ecclesiæ suæ.

PARALLELUS XLI.

Esa. 22.	1.*Cor.*15.
13 *Edamus & bibamus, cras enim morituri sumus.*	32 Edamus & bibamus, cras enim moriemur.

HAEc verba mimeticè utroque in loco posita sunt, neque obscuritatis quicquam habent: Nam proterviam porcorum de grege Epicuri graphicè exprimunt. Hic autem a Paulo ex absurdo adducuntur, ratione commodissima. Quorsum, inquit, subeamus tam multas & graves difficultates, si mortui non excitantur? quin potiùs edimus

edimus & bibimus, tamquam morte eras omnino obituri? Deinde hypothesin, unde hoc absurdum adstruitur, confutat blanda admonitione, dicens, *Ne errate, corrumpunt bonos mores commercia prava*; quasi dicat, Falsa est illa hypothesis, mortuos non excitari. Errant, qui ita sentiunt; qui verò ita vivunt quasi id sentirent, impiorum consortio & consuetudine mala corrumpuntur; quod malum pios aversari opus est, & sanctificationi suæ consulere.

PARALLELUS XLII.

Genes. 2.

7 *Fuit Adam in animam viventem.*

1. *Cor.* 15.

45 Ita etiam scriptũ est: Fuit prior homo Adam in animā viventē.

CErta quidem est & omnibus modis conveniens utriusque loci interpretatio: sed quòd Paulus locum illum Mosis ad comparationem prioris Adami & posterioris adhibet, id verbis Mosis tam lucem adhibet, quàm quod maximè. Duo enim subjecta inter se opponuntur, prior & posterior Adam, secundùm tempus appellati. Deinde verò opponuntur prædicata, quòd prior factus dicitur in animam viventem: posterior in vivificaotem spiritum. Hoc autem oppositionis genere duo comparationis ostenduntur gradus: Unus, naturæ sive substantiæ; Alter, operationum, effectionúmque ex ea natura proficiscentium. Oppositionem naturæ constituunt duæ illæ voces, Anima, & Spiritus: nam Anima in priore Adamo appellatur illa essentialis forma hominis, quæ habitat in corpore organico personaliter, eoque utitur ad præsentem vitam: Spiritus verò in posteriore dicitur natura illa divina personæ Christi, quæ humanitatem assumsit totam & totam adunavit sibi, ut salutem afferret toti. Operationum verò manifesta est oppositio, quòd prioris *anima vivens* appellatur, id est, sic vitam in sese habens ut ea uteretur mutabiliter; quia cum morte poterat commutari in priore Adamo, communi nostro omnium Patre: posterioris verò *spiritus vivificans*, id est, sic vitam in sese habens, ut ea uteretur immutabiliter, tum ad vivificandum carnem personæ suæ: tum ad vivificandum membra sua & Ecclesiæ suę, id est, corpus suum, quod redemit sanguine suo, & a morte adeóque mortalitate, & mutabilitate vindicavit.

PARALLELUS XLIII.

Esai. 25.

8 *Absorbebit mortem ipsam ad victoriam.*

Hose. 13.

14 *Ubi tua pestes, ô Mors? ubi cuspis exitialis tua, sepulcrum?*

1. *Cor.* 15.

54 Tunc fiet illud quod scriptum est, Absorpta est mors ad victoriam.

55 Ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô sepulcrum, stimulus?

CUm illis duobus locis Esaias & Hoseas citra controversiam ad plenam illam instaurationem in Christo & per Christum futurā respexerint; non est dubium, quin Paulus optimè ad hoc argumentum de resurrectione & victoria adversus mortem illos accommodaverit. Ac omnium quidem plana est sententia, nec eget explicatione;

mutationis verò quæ hoc loco incidit perfacilis est ratio, si quis ad ea attenderit, quæ in Matth. parallelo quinto docuimus. Dixerat Propheta, *Absorbebit Deus mortem*, &c. Idem hoc loco dicitur, *Fiet illud quod scriptum est, Absorpta est mors*, &c. Discrimen in eo est, quod Esaias futurum prædicit: Paulus verò & futurum prædicit, *Fiet*, inquit, & simul vim Christianæ fidei exprimit, quum id quod in membris Christi optatissimo illo die futurũ est, verbo præteriti temporis exprimit, tamquam si animæ Christianæ jam in rem præsentem venissent fide: quemadmodum etiam reipsa factum est, quum Christus declaratus est Filius Dei potentissimè per resurrectionem ex mortuis secundùm carnem. In loco autem Oseæ plus mutationis est; sed tamen citra sensus injuriam evidentiæ causa a Paulo factum. Dixerat Oseas verbis Christi ubi pestes tuæ, ô Mors? pestes autem, id est, pernicies, & profligatio, qua peredunt & absumuntur omnia. Hoc autem elegantissimè apud veteres latinos propriè, ac non figuratè, significatum est pestis appellatione: Est enim pestis nomen factum per syncopen ex composito perestis & mutato r, in s, (ut sæpè factum est) pesestis sive pesestas, a verbo Peredo, peres, perest, quo significatur quidquid peredit & planè consumit ac perdit materiam quamque. Unde factum est, ut lues illa epidemica pestis appellationem obtineret. Hoc tantum malum, quia non satis commodè videbatur sibi Paulus enunciare posse, ab effectu vel consequente victoriam appellavit; quia pesti illi nemo homo per se potest obsistere, sed illa victoriam in omnes reportavit, usque dum a Christo vindicarentur. Alterum verò nomen, quod idem sepulcro tribuit, optimè respondet Hebrææ voci. Nam quidquid pertundendo & perfodiendo repentè penetrat impetu vehementissimo, ut cuspis acuta solet, id apud Hebræos nomine illo designatur, quod Hoseas enunciavit. Quamobrem optimè Paulus substituit in locum Hebrææ dictionis illius, κέντρον, & nos evidentiæ causa cuspidem exitialem reddidimus.

PARALLELUS XLIIII.

2. Cor. 3.

7 Quòd si mortis ministerium literis informatum in lapidibus fuit conjunctum gloria, adeò ut non possent filii Israël intueri in faciem Mosis, propter gloriam vultus ejus, quæ abolenda erat:

8 Quomodo non magis ministerium hoc spiritus conjunctum gloria futurum est;

12 Habentes itaque spem ejusmodi, multa in loquendo audacia utimur:

13 Ac non, sicut Moses imponebat velamen faciei suæ, ne intuerentur filii Israëlis ad finem usque ejus, quod erat abolendum.

14 (Sed occalluerunt mentes eorum. Nam usque ad hodiernum diem illud ipsum velamen in lectione Testamenti veteris non retectum manet, quod per Christum aboletur:

15 Sed, inquam, ad diem hodiernum usque, quum legitur Moses, velamen super cor eorum situm est:

16 Postquàm autem converterit se ad Dominum, velamen illud tolletur:

17 Dominus autem Spiritus ille est, & ubi Spiritus Domini, ibi est libertas.)

18 Nos

18 Nos verò omnes retecta facie gloriam Domini tamquam in speculo cernentes; *secundum* eamdem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, ficut a Spiritu Domini.

QVia totus hic locus amplissimam habet commendationem Euangelii gloriæ Christi, legis Mosis cum Christo, veteris Testamenti cum novo, & gloriæ illius cum hujus gloria comparatione; idque vix fieri potuit, ut pars una commodè sine altera a nobis exponeretur, maximè quia involuta est quodam hyperbato sententia Apostoli, necessarium nobis visum est, ut totum illius loci contextum apponeremus causa evidentiæ. Mosis autem verba, quæ pauca sunt de hoc argumento, sub finem capitis 34. Exodi commoditatis causa omisimus. Ad hanc igitur comparationem, quam instituit Paulus, adhibentur duo demonstrationis loci: Unus, a natura utriusque ministerii ad versum usque 12. Alter, a relatione sive applicatione illius erga eos, ad quos hoc ministerium pervenit, reliquo capite. Prior locus a natura utriusque ministerii, simpliciter hoc cum illo comparat, respectu gloriæ quam Deus impressam voluit in utroque ministerio. Hæc igitur est naturæ in utroque comparatio. Ministerium veteris Testamenti, quod idem est ministerium literæ occidentis, sive ministerium mortis literis informatum in lapidibus, versu 6. & 7. ministeriúmque condemnationis, versu 19. conjunctum fuit gloria; sed transeunte: ut veritate historiæ & Pauli ipsius verbis ostenditur. Ministerium verò Testamenti novi, quod idem est ministerium vivificantis Spiritus, ministeriúmque justitiæ, conjunctum est gloria, eâque permanente. Probatio utriusque propositionis est a modo ministerii, vel ministrorum, qui ad illud vocati sunt, constitutione. Moses habuit quidem gloriam visibilem, quam præ se in vultu tulit; sed quæ ne in ipso quidem permansit, nedum in aliis ministris Legis, aut toto legali ministerio: Dominus verò Jesus Christus, qui Propheta est & Apostolus confessionis nostræ, idémque minister (ut Paulus ad Romanos vocat) circumcisionis nostræ, habet gloriam, non eam quidem visibilem (Nam ea quæ cernuntur, temporaria sunt) sed invisibilem; quam non in vultu, sed in Spiritu fert, id est, in sese habet secundùm naturam divinam suam, & imprimit per eumdem Spiritum in ministerio Euangelii gloriosi sui; ita ut tum in ipso maximè velut Domino gloriæ, tum in ministris Euangelii præsentia & virtute Spiritus illius refulgeat. Posterior locus, quem a relatione diximus esse, sive applicatione illius gloriæ erga eos, ad quos hoc ministerium pervenit, duobus modis ostenditur. Nam una est applicatio, erga ministros Euangelii & operarios Christi, ad functionem hanc institutos: Altera, erga pium gregem, quem Christus per servos suos voluit pasci Euangelio suo. Utramque verò ab effectis docet Apostolus, & effectorum causis; & per eamdem comparationem illustrat elegantissimè. Effecta primùm in ministris a Christi Spiritu proficiscentia, ponuntur duo. Nam & spem illam in sese habere dicuntur superantis gloriæ, & (quod amplius est) freti ea spe dicuntur uti audacia multa in enunciando Euangelio gloriæ; qualem spem vel audaciam nec Moses, nec alii Prophetæ, qui ad Christum usque successerunt, ex Lege perceperunt unquam, versu 12. In grege verò ovibúsque Christi effectus unus ab Euangelio Christi dicitur consequutus, versu 13. & tribus sequentibus: nempe quòd eadem audacia ex fide singulis ovibus Christi est indita, si non

2.Cor.4.18.

ad loquendum (id enim ministrorum est) saltem ad intuendum gloriam Euangelii Christi, & animadvertendum quanto superetur Lex ab Euangelio; cùm & ipsius gloria per se fuerit abolenda atque desiverit, & impar populus fuerit spectandæ faciei Mosis, quum gloria illa transeunte ornatus esset. Atque hunc quidem effectum ex præsente Judæorum constitutione & ritu confirmat Paulus, versu 14.& 15.ostenditque externam illorum observationem esse internæ cæcitatis indicem; sed posteà ad causam horum effectorum transit, quam secundo loco diximus; nempe causam esse Dominum Jesum Christum, authorem gloriæ Euangelii in se & in ministris & grege suo, effectorémque, versu 16.& 17.Illius autem gloriæ duas esse partes communiter ad pastores & oves Christi pertinentes: unam esse libertatem, in quam nos vindicavit Christus,ut retecta facie,ac non obtecta(ut Judei olim) gloriam Domini intueamur,ut in speculo,per fidem: alterã verò,transformationem in gloriam ejus sicut a Domini spiritu, id est,nostri sanctificationem ex fide & justitia Christi. Quapropter versu 18. dicit. *Nos autem omnes*,nimirum pastores & oves ad ovile Christi pertinentes, *retecta facie gloriam Domini intuemur*, &c. Atque hæc quidem, judicio meo,facilis & expedita hujus loci intelligentia.

PARALLELUS XLV.

Psal.116.	2.Cor.4.
10 *Credidi,quod loquutus sum.*	13 Credidi,ideo loquutus sum.

FInis utroque in loco, & argumentum commune est: si hoc exceperis,quòd David hæc verba primùm de se prędicavit, quę posteà Apostolus ex eo mutuatus est ejusdem Spiritus in se loquentis cõscientia; neque solùm in se,sed etiam in aliis conservis Dei incumbentibus in Ecclesiæ ædificationem ministerio verbi: quum ait, *Habentes autem eumdem Spiritum fidei,secundùm illud quod scriptum est: Credidi,ideo loquutus sum,nos quoq; credimus:Quamobrem etiam loquimur.* Sumta igitur est argumentatio,non simpliciter ab expelo Davidis,sed potiùs & conjunctim a virtute & veritate vel natura Dei,per spiritum suum operantis in electis suis propter filiũ dilectionis suæ: operantis autem primùm quidem intus per fidem, qua vivimus;secundò autem foris sermone reconciliationis per fidem, quo fratres nostros ad vitam accersimus. Est enim fides causa efficiens, qua ministri omnes pii corde credentes ad justitiam,ore & lingua ad salutem Dominum profitentur. Est quidem in specie aliqua verborum commutatio, qua videtur Paulus a Davidis oratione discedere: At mutatio hęc non variat sensum; sed interpretatur evidentius, quod dictum fuerat obscuriùs. Psaltes enim ab effectu causam efficientem probare voluit & confirmare,dicens:Quod loquutus sum, id est,quod in mediis angustiis sic animum confirmavi meum ut modò dicebam; Credidi, id est, hoc argumentum est manifestissimum me certa fide prehendisse beneficia Dei. Paulus verò diverso ordine ab efficiente causa incipit, & ab ea effectum probat ad commoditatem sermonis instituti: Credidi,inquit,videlicet per Spiritum illum fidei, quem eumdem habemus omnes: ideò loquutus sum, id est, ad proloquendam doctrinam fidei adductus virtute ipsius. Eadem igitur est utroque in loco,quamvis mutato ordine,sententia.

PARAL-

PARALLELUS XLVI.

Esa.49.	2.Cor.6.
8 *Sic ait Jehova: Tempore accepto exaudiam te,& in die salutis auxiliabor tibi.*	2 Dicit enim, Tempore accepto exaudivi te,& in die salutis sum auxiliatus tibi.

CErtissima est atque sanctissima utriusque loci convenientia, si utrobique ad argumentum benè attendamus. Nam apud Esaiam promissionem Deus Pater hanc dedit Christo, fore in tempore Euangelii,quum Judæi contumaciter illud repulerint, ut Christum sacerdotem nostrum exaudiat,& benedicat ministerio illius apud gentes successuras in Judeorum locum.Ac Judeis quidem Christus Euangelium obtulerat in persona sua immediate(ut loquuntur)deinde verò mediatè per Apostolos suos: sed quum ad gentes translatum est ministerium ejus, sic insevit illud per Spiritum suum in mentibus gentilium, ut tamen usus sit servorum suorum ministerio. Cùm autem de hac parte potissimùm agatur in eo loco, & toti prædicationi Euangelicę hęc benedictio a Patre promittatur; optimè concludit Apostolus, Ergò suo & aliorum suorum collegarum ministerio, tamquam parti functionis Euangelicæ Christi, Deum benedicturum esse; quod exaudiendi, & auxiliandi verbis promittitur. Sed de hoc argumentationis genere vide plura in Acta Apostolorum libri 1.Parallelo 96.

PARALLELUS XLVII.

Levit.26.	2.Cor.6.
11 *Disponam habitationem meam in medio vestri, neque fastidiet vos anima mea:*	16 Sicut dixit Deus, Habitabo in eis,& inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.
12 *Et indesinenter ambulabo in medio vestri, & ero vobis Deus, vósq; mihi eritis populus.*	
Esai.52.	
11 *Discedite,discedite,exite illinc, immundum ne attingitote; exite è medio istius, purgate vos, qui portatis vasa Jehovæ.*	17 Quapropter exite è medio eorum,& separamini, dicit Dominus ,& impurum ne attingite, Et ego excipiam vos:
Jerem.31.	
1 *Tempore illo,dictum Jehovæ:Ero Deus omnibus familiis Israëlis, & ipsi erunt mihi populus.*	18 Atque ero vobis pater, vos autem eritis mihi filii & filiæ, dicit Dominus omnipotens.

CUm varios locos ad unam eamdémque argumentationem Paulus comportaverit, visum est potius in Parallelum unum omnes includere,quàm alios ab aliis discerpere,cum aliqua jactura sensus,& intelligentiæ. Hortatus fuerat Apostolus Corinthios, ne impari jugo cum infidelibus copularentur, deinde verò hortationis suæ rationem a contrariorum comparatione attulerat, dicens: Justitiæ cum injustitia,luci cum tenebris, Christo cum Belial,fideli cum infideli,tẽplo

Dei cum templo simulacrorum nullam consensionem esse. Quapropter hanc eamdem argumentationem inverso ordine ab authoritate Scripturę cõfirmat iis verbis, quę in Parallelo diagrammate posuimus. Cúmq; hic sit argumentationis ordo: Fideli cum infideli non est pars, communio aut consensio ulla: Vos autem fideles estis, & templum Dei viventis. Nulla igitur vobis communio intervenire potest cum altero illo hominum genere: hanc argumentationem repetens enthymematicè, ut antè proposuerat; primùm quidem majorem propositionem reticet, velut certam & indubitatam apud omnes, cùm illud a natura constet, contraria in gradibus (ut vocant) excellentibus, simul eodem tempore non exsistere in subjecto uno. Reliquas verò duas argumentationis partes exponit ordine; Minorem quidem, versu 16. Conclusionem verò 17. Minorem autem, cujus sententia est, pios esse templum Dei viventis, probat Apostolus ex legali illa promissione, Levit. 26. in qua plura quidem verba sunt, quæ perscripsit Moses, & promissiones in secunda persona enunciantur: sed citra ullam sensus injuriam, mutata solùm persona & vocibus quibusdam omissis, locus a Paulo factus est evidentior, & pronunciatus commodiùs ad institutam argumentationem illius. Conclusionis verò, quæ versu 17. proponitur, locus ex Esaia petitus est, ubi de prӕconio Euangelii, & Ecclesia per Euangelium collecta agitur. Quamobrem optimè ad hoc argumentum a Paulo adductus est. Nec obstat, quòd omissa quędam ex verbis Esaiæ sunt, & nonnulla commutata. Nam quòd separari ipsos Propheta jubet, omnino idem est quod bis ab ipso dicitur, *exire*, hoc est, non solùm exeundo se ab infidelium cõsortio separare, verumetiam perstare in cœpta illa & instituta separatione. Quam rem si Apostolus expressit evidentiore verbo, id verò non potest verti vitio; sed potiùs, obviis (ut ita dicamus) ulnis & animo æquissimo excipienda est illius interpretatio. Quòd autem illi Conclusioni subnectuntur promissiones, ex variis scripturæ locis inter se comparatis sumtæ, & apud omnes Prophetas repetitæ; id, quia vulgò refertur ad Jeremię locum, simpliciter in diagrãma nostrũ retulimus: Etsi (ut paucis dicam quod sentio) non unius loci verba sunt, sed ex quàm plurimorum argumento per Apostolum coagmentata, ut his blandissimis promissionibus ampliùs ad sanctificationem sui pellicerentur boni.

PARALLELUS XLVIII.

Exodi 16.	2. *Cor.* 8.
19 *Qui multum habebat, non abundavit; & qui parum, non laboravit penuria.*	15 Sicut scriptum est: Qui multum habuit, non abundavit; & qui parum, non habuit minus.

Etsi hæc Mosis verba propriè & singulariter ad Mannæ historiam pertinent, tamen optimè a Paulo ad institutum sermonem, de communicatione cum sanctorum necessitatibus, hoc loco accõmodantur, sumta ab exemplo argumentatione. Ac infirma quidem est per se exemplorum ratio, si res humanas spectemus; sed tamen non potest non esse firma exemplorum illorum autoritas, quæ tum a Deo sunt imperata, tum verò naturalem habent ætiologiam, id est, pertinẽt ad justi & injusti legem, quæ lex perpetua est & constantissima. Sic ergò

ergò argumentatur Apostolus: Cujus singularis, aut mandati, aut exempli ratio æterna est, ejus æterna quoque est substantia: Illius autem mandati, quod Deus præcepit, Exod. *16.17.* itémque obsequii illius, quo Israëlitæ paruisse dicuntur Deo, versu 19. illius, inquam, ratio æterna est, nempè ut horum abundantia defectum illorum suppleat, & fiat æquabilitas. Aeterna igitur & inviolabilis est illius præcepti substantia, & exempli authoritas. Nam quod Deus tum voluit, ut Ecclesiæ suæ, & membris ejus consuleret; id perpetuò vult, & procurat, & mandat constantissima voluntate sua: ac propterea non solùm Israëlitę obsequuti sunt, & de abundantia sua, si qui plus habuerunt, fratribus sunt largiti: verum etiam Deus effectum dedit, neque sivit contrà fieri, quàm per Mosen Israëlitis præceperat. Hæc igitur sanctissima est accommodatio, & probatio certissima illius dicti, quod duobus præcedentibus versibus Paulus instituerat.

Parallelus XLIX.

Psal. 112.	2. *Cor.* 9.
9 *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus stat in seculum.*	9 Dispersit, dedit pauperibus, Justitia ejus manet in seculum.

Hujus loci nulla planè est difficultas, cùm verbis & argumento optima sit convenientia utroque in loco. Ceterùm, quòd nomen justitiæ alii beneficentiam exponunt, alii Eleemosynam; nihil est necesse judicio meo, ut quæ vox latissimè patet, exquisita aliqua interpretatione coarctetur. Nam justitiæ nomen hoc loco melius exponi non potest, quàm proximè pręcedētibus verbis Apostoli: *Ut in omnibus,* inquit, *semper omnino, quantū sufficit, penes vos habentes abundetis ad omne opus bonum, sicut scriptum est, Dispersit,* &c. Justitiam ergò, Paulo interprete simpliciter accipio pro omni opere bono, quod pii servientes Domino fratribus suis præstant qualibet fraterna communicatione, ac non solùm ea quæ Eleemosyna hoc tempore appellari solet.

Parallelus L.

Deut. 19.	2. *Cor.* 13.
15 *Ex ore duorū testium, aut ex ore trium testium, statum erit verbum.*	1 Ex ore duorum testium aut trium statum erit omne verbum.

De hujus loci accōmodatione plerique omnes Interpretes non mediocriter laboraverunt, putantes hæc verba quoddam esse eorum, quę proximè pręcedunt, interpretamentū. Sed quod bona omnis pace dixerim, alteram his verbis argumentationem cōtineri puto. Prior fuit argumentatio, quòd jam tertiò Corinthios monuit de iis rebus, quæ ad salutem ipsorum pertinere maximè videbantur, ut sequente versu explicat, dicens, *se prædixisse, & jam prædicere absentem, sed quasi præsentem secundò & quidē scripto prædicere, se ubi coram venerit, non esse iis, qui peccaverint, parciturum.* Nam primò præsens reprehenderat peccatores, quum Corinthi esset, Act. 18. posteà verò bis, ut præsens (quamvis absens corpore esset, at pręsens Spiritu, 1. Cor. *6.*) scripto eos commonefecit gravissimè sui officii: de his tribus monitis dicitur illud

principio

principio capitis, *tertia hac vice venio ad vos.* Posterior verò argumentatio, & planè ab illa superiore differens, his verbis comprehenditur, quæ in Parallelo diagrāmate posuimus: Jam, inquit Apostolus, accedit alterum confirmandis monitis meis salutaribus argumentum: Si vobis non est satis (ut esse debet) Apostolica autoritas, qua sum instructus in Christo; Ecce alterum testem, quem mihi adjunxi ultrò, velut testem Christi, eodémque Spiritu veritatis præditum, nempe fratrem Timotheum, qui has literas mecum ad vos communiter dedit; ut non solùm autoritate Christi, qui Apostolatum meum potentissimè obsignavit, sed etiam Legis ipsius, & cōmunis juris testimonio sentiatis nihil vobis esse, cur vestra peccata aut vestrorum dissimuletis, eludatísque admonitiones meas. Atque hanc esse mentem Apostoli ostendit numeri mutatio, versu 4, 6. & sequent. ubi Apostolus non ampliùs loquitur tamquam de se solùm singulari numero; sed pluralem adhibet plurimum; & Timotheum sibi adjungit in gravissima hac increpatione, quum ait: *Nam & nos infirmi sumus cum Christo, sed vivemus cū eo ex virtute Dei apud vos:* deinde, *spero fore, ut cognoscatis nos non esse reprobos:* & quæ sequuntur. Sic facilis est, nisi me animus fallit, & perspicua hujus loci interpretatio.

PARALLELUS LI.

Gen. 11.	Gal. 3.
35 *Benedictæ erunt in te omnes familiæ terræ.*	8 Benedicentur in te omnes gentes.

De proximè præcedente loco, quem ex Genes. 15. adduxit Apostolus, diximus in caput 4. Epistolæ ad Romanos. Hic autem locus, quem Paulus affert ad probationem argumenti sui, sive ex Genes. 11. petatur (ut fecimus in Parallelo nostro diagrammate) sive ex Geneseos 18. 18. nihil refert. Nā posterior pura puta est prioris repetitio. Ac de verbis quidem nulla est controversia; sed argumentationis genus non ita facilè probaturi sunt quicunque doctrinam fidei aspernantur. Quamobrem hoc loco paucis demonstrari opus est argumentationis modum. Paulus igitur doctrinam fidei probaturus, inde a principio capitis tertii dilemmate usus est eodem plane, quod habetur in Epistola ad Romanos passim, hoc modo. Qui Spiritū acceperunt v. 2. aut quibus Deus subministrat Spiritum, & in quibus virtutes efficit, iis hoc datum est, aut ex operibus Legis, aut ex auditione fidei: Nō est autem ex operib. Legis: Igitur ex fide. Non esse ex operibus Legis probat duobus argumentis, Exemplo singulari, & promissione generali, ut nihil de sequentibus argumentis hoc loco dicamus. Exemplum singulare est Abrahami: Quemadmodum, inquit, hæc Abrahamo obtigerunt, sic etiam iis, qui vestigia Abrahami sequuturi sunt. Abraham autem credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam, versu 6. Ergo, qui sunt ex fide, hi filii sunt Abrahami, eadémque imputatione ad justitiam fruituri, versu 7. Confirmatur idem commodissima hac transitione, a generali promissione, in hunc modum: Quæ scriptura Abrahamo antè evangelizavit, propterea quòd prævideret & præsignificatum vellet, eadem quoque aliis in Abrahamo euangelizavit: Euangelizavit autem fore, ut omnes gentes benedicantur in ipso, id est, fide justificatum Patrem credentium

credentium sequantur fide, vers.8. quia non aliter benedictionem assequuturæ sunt, quàm prout est assequutus pater: Unus est Deus, una fine una salutis via. Igitur quicunque ex fide sunt, etiam in gentibus, bedes, dicuntur cum illo fideli Abrahamo.

PARALLELUS LII.

Deuter.27.

26 *Maledictus qui non præstiterit verba Legis hujus, faciendo ea.*

Habac.2.

4 *Justus ex fide vivet.*

Levit.18.

5 *Homo ille qui fecerit ea, utique vivet in eis.*

Deuter.21.

23 *Suspensus execrationi est Deo.*

Gal.3.

10 Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt. Scriptum est enim: Execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro hujus Legis, ut faciat ea.

11 Nullum autem justificari per Legem apud Deum, manifestum est: quia justus ex fide vivet.

12 Lex autem non est ex fide; sed qui fecerit ea homo, vivet in eis.

13 Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio (scriptum est enim: Exsecrabilis est quisquis pendet in ligno.)

14 Ut in gentes benedictio Abrahæ exstet in Christo Jesu diffusa; ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

CUm hæc omnia unius sint & continentis argumentationis; visum est ea potiùs conjungere, quàm suspensam aut divulsam proponere locorum interpretationem: Atque hæc tertia est argumentatio, qua Paulus utitur ad demonstrationem illius dilemmatis, quod ex principio capitis tertii in Parallelo superiore posuimus. Est autem hæc argumentatio sumta ab effectis, & per comparationem contrariorum illustrata. Nam posito illo dilemmate, Hominem aut Lege justificari, aut fide: nihil esse medium, aut quod prætereà ad hominis justificationem adduci possit; statim comparationem instituit Apostolus effectorum & consequentium ab utroque justificationis modo, quem dilemmate proposuerat; & partes singulas confirmat Testamenti veteris testimoniis. Itaque de Lege primùm argumentationes ponuntur duæ; una, a consequente, decimo versu, in hunc modum: Quisquis non manet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis faciendo ea, est sub exsecratione: Nemo autem homo est, qui maneat in illis omnibus per se: Nemo igitur homo simpliciter & per se non est sub exsecratione. Minor autem hoc loco reticetur; quia id pro confesso sumitur, neminem adeò insanum aut desperatum esse, qui justitiam Legis perfectam in rebus omnibus sibi arrogare ausit, quam justitiam Lex omnino flagitat ab eo qui cupiverit justificari Lege. Altera de Lege argumentatio est ab effectis,

effectis, versu 11. & sequente, in hunc modum: Qui fecerit ea, quæ imperantur Lege, is vivet in ipsis: Nemo autem facit ea: Nemo igitur in ipsis aut per ipsa victurus est: non enim vita est effectus Legis, cum Lex sit mortis & condemnationis ministerium, ut idem Apostolus vocat, 2. Cor. 3. His duobus de Lege positis, probatis atque confirmatis; ex contrario docet Apostolus, Ergo justitiam ex fide esse, cùm non sit ex Lege; ac proinde vitam & liberationem ab exsecratione Legis, per fidem ad nos pertinere. Hæc verò demonstrantur ὕστερον πρότερον, ex familiari scripturæ usu. Nam primùm docet Apostolus justitiam ex fide esse, versu 11. Secundò, vitam & liberationem a morte atque exsecratione Legis, nostram fieri per fidem in Christum. Prius demonstrat Apostolus a contrario, in hunc modum: Quisquis justus est & justificatus apud Deum, ex fide justus est. Nullum ergò justificari per Legem, apud Deum manifestum est. Posterius autem, de vita & liberatione a morte & exsecratione Legis, similiter ex contrario probatur primùm, deinde verò ex materia & argumento fidei nostræ. Vitam non esse ex Lege, contrariis duobus testimoniis ostenditur. Unum est Prophetæ Habacuc, Qui ex fide justus est, vivet: Non ergo qui ex Lege videtur justus. Alterum, Qui fecerit ea homo, vivet per ea, quæ scripta sunt in libro Legis: Lex igitur non est ex fide, sed ex operibus. Nemo autem ex operibus; sed credentes ex fide justi sunt. Ex fide ergò vivitur, non autem ex Lege. His positis, transit Apostolus ad summum & potentissimum argumentum, quod est a materia fidei nostæ, vers. 13. hanc enim disputationem totam concludit gravissima illa sententia, *Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio*; quasi dicat, Nos quidem in nobis & per nos ipsos, cùm non maneamus in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, sumus sub exsecratione, neque justificamur apud Deum tantisper dum sub Lege sumus: quamobrem non sumus possessuri vitam, si Deus nos in nobis ipsis respexerit ex Lege; sed optimum habemus interventorem & fidejussorem Christum, qui & Legi satisfecit plenè, & nos credentes in se beneficio suo ac merito liberavit a malo, bonísq; omnibus cumulaturus est, si per fidem, meritum beneficiúmq; illius amplectimur. Ac proinde nec justitiam, nec vitam in nobis habemus, tamquam ex nobis; sed injustitiam & exsecrationem æternam; injustitiam a nobis; exsecrationem a Lege: In Christo autem, qui injustitiam nostram & Legis exsecrationem recepit in se, habemus omnia; nempe cùm pretium injustitiæ & absolutionem a Legis exsecratione, tum justitiam & vitam æternam: E quibus pretium injustitiæ & redemturam ab exsecratione, semel præstitit Deo & Patri, ut sacerdos noster: justitiam verò & vitam æternam ex benedictione Abrahæ in dies credentibus infundit, & per gradus perficit, communicatione Spiritus promissi, quem nos ab eo per fidem accipimus. Hic verò duplex occurrit quæstio: Prior, quomodo Christus factus sit pro nobis exsecratio: Posterior, quomodo illud ex verbis Mosis, quæ Paulus affert, probari possit. De priore omnino statuimus, cum Paulo, Christum factum esse pro nobis exsecrationem. Factum autem quum dicimus, non intelligimus solùm verbo, aut imaginatione, neque etiam symbolo & significatione, ut factum est veteribus typis & ceremoniis in Lege Mosis: sed imputatione, & applicatione. Imputatio est, quòd Deus Pater illi, velut sponsori & fidejussori nostro, debita nostra imputavit, & ab eo tamquam promittendi reo exegit ex Lege. Applicatio

catio est, quam Græci vocant οἰκείωσιν, quòd ipse ultro sistens se Deo & Patri in nostro nomine (ut Esaias loquitur) bajulavit languores nostros, & infirmitates nostras sustulit, easque cruci affixit in seipso, mortificavit atque sepelivit, ut sepulto peccato, & maledictione Legis infracta, tamquam novus homo, liber a Legis maledictione, de causa nostra resurgeret. Atq; hæc quidem ratio est constantissima, qua Christus factus est pro nobis exsecratio: quo sensu alibi dixit idem Apostolus, *Deum fecisse ut qui non novit peccatum esset peccatum pro nobis, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* 2.Cor.5.21. In posteriore autẽ quæstione graviores causæ afferri possunt (ut videtur) quibus improbetur hæc Pauli applicatio, quẽadmodum a Judæis sæpè & ab aliis quoque infidelibus objectæ sunt. Nam primùm videtur Lex generalis esse, ac proinde ad Christum minimè pertinere: secundò non videtur Christus ita reus esse, ut a Mose in versu præcedente reatus describitur: tertiò, si non ita reus est, neq; exsecratio ad ipsum videtur pertinere: postremò multò minus videtur dicendum esse, quòd polluatur terra ex occasione illa. Nos verò primùm ad singula hæc objectionum capita respondebimus, deinde veram (ut ego quidem sentio) loci illius applicationem ostendemus, & hujus interpretationem. Quòd igitur generalem esse hanc Legem obtendunt adversarii & Legis & Christi, id a nobis facit. Nam constans est Logicorum regula, A genere cum signo universali posito ad singulas ipsius species: itemque a specie ad singula individua ἀναλόγως valere consequentiam. Si ergò ex authoritate legis suspensus est exsecrationi Deo; omnino id sequi necesse est, Christum, quà fuit suspensus, exsecrabilem fuisse exsecratione legis. Nec obstat, quòd a Mose non adhibetur universale signum; quod signum de industria adjecit Paulus, ut argumentationis hujus vim omnibus ostenderet: Nam hujus particulæ adjectio ex antecedentibus petita est; quia Moses sic legem universalem a Deo imperatam Israëlitis proposuit, ut de singularibus quibusque individuis accipiendam esse ostenderit; dicens, *Cùm erit in viro peccatum*, id est (ut latinis verbis disertè explicemus) in ullo. Ex quo sequitur pro natura antecedentis legis hanc exsecrationis legalis denunciationem explicari oportere. Quòd autem secundo loco objicitur, non videri Christum ita reum esse ut suum hunc reum depingit Moses; id in hac causa a nemine piè defendi potest. Nam agnoscimus quidem illud omnes non fuisse in Christo per se ejusmodi peccatũ sonticum, cujus peccati nomine eum tradi morti & de ligno suspendi oportuerit: sed factus est peccatũ pro nobis, quia Deus pater dedit ipsum nobis, & ipse apud Deum Patrem pro nobis ultrò fide jubens peccatũ nostrum appropriavit sibi, & recepit in se abolendum, affigendum cruci, mortificandum, & sepeliendum, adeò ut nunquam deinceps coram Deo & Patre exsisteret; qua ratione injusta martyrum & piorum condemnatio a justa Christi tamquam fide jussoris nostri cõdemnatione distinguitur. Eadem opera tertia objectio, quam antè diximus, diluta est: nempe, si Christus non ita reus est, ut proposuit Moses in antecedente hypothesi, neque exsecrationem ad ipsum pertinere. Nam utrumque verum est, antecedens & consequens: Verè enim Christus reus fuit, ut qui factus est peccatum pro nobis sua ipsius intercessione; & verè subiit maledictionem legis, ut qui sub lege fuisset factus. Postrema objectio nihil ad rem facit; non enim dicitur suspensum illud corpus, si per noctem hæreat, fore ut illud ipsum cadaver, aut per se, aut symbolo terram polluat, quam Deus

in possessionem dedit; sed ii, qui cadaver illud suspensum esse siverint diutiùs, quàm lege permissum est. Tu, inquit Moses, Magistratus, tu, Israëlita quisquis es, ne polluito terram hoc tuo maleficio; sed studiosè legi obsequitor, ne in diem posterum suspensus ad crucem hæreat. Atque hæc de objectionibus. Restat, ut (quod antè recepimus) veram loci illius ex Mose applicationem commonstremus, & hujus interpretationem. Legem igitur illam, quam Moses protulit, observandum est, partim civilem esse, vel politicam; partimque ceremonialem. Civile est, quòd hominis de ligno suspensi cadaver Deus ibidem pernoctare vetat, & eodem utique die sepeliri jubet. Ceremoniale verò est αἰτίον sive causa, cujus respectu id ita observari mandavit Deus; nempe quia suspensus, secundum legem ceremonialem est exsecrationi Deo. Nam alioqui neque secundùm naturæ legem, neque secundum jura civilia, neque per seipsum denique, qui suspensus est, Deo est exsecrabilis. Cùm itaque ceremoniale sit dictum illud Aetiologicum de homine suspenso; ceremoniarum verò corpus & complementum sit Christus: non est dubium, quin hac ceremoniali ætiologia Moses, æterni Mediatoris nostri typus, ad illum æternum & perfectum Mediatorem respexerit, in cujus carne inimicitia & lex mandatorum, in ritibus ceremoniisque posita, fuit abolita & peremta per crucem, nósque ex maledictione legis liberati. Quamobrem optima est & demonstrativa planè in hoc loco Pauli interpretatio; quum omnibus illis antecedentibus incommodis, quæ a lege sunt, unum Christum opponit, in quo & maledictio legis exhausta est, & absoluta fidei benedictio. Ac legis quidem maledictionem exhaustam esse proclamat his verbis, *Christus nos redemit ab exsecratione legis, dum pro nobis factus est exsecratio: scriptum est enim; Exsecrabilis est quisquis pendet in ligno.* Fidei verò benedictionem, quæ in dies promovetur, perficitúrque virtute Dei, sequente versu declarat dicens: Ut in gentibus benedictio Abrahæ exstet, &c. Justissima est igitur illius loci accommodatio, & fidelissima his verbis interpretatio a Paulo nobis est exposita.

PARALLELUS LIII.

Gen. 13.	Gal. 3.
15 *Totam hanc regionem quam vides, tibi dabo & semini tuo usque in seculum.*	16 Abrahæ verò dictæ sunt promissiones & semini ejus: Non dicit, & seminibus, ut de multis, sed, ut de uno, & semini tuo, qui est Christus:

ANtequam de hujs loci interpretatione dicimus, id primùm constare opus est, ad quod promissionum genus Apostolus propriè respexerit, quum hæc verba ex primo libro Mosis adduceret: Nam de eo sententiæ variant. Plerique crediderunt hæc verba ex Geneseos 22. depromta esse, ubi magnifica illa Dei promissio exprimitur, *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Alii hæc verba non judicant ad locum illum pertinere, sed ad alterum, Geneseos 17. ubi exponitur federis nostri æterni cum Deo caput, his verbis: *Ego sum Deus tuus & seminis tui.* Mihi verò (quòd bona illorum omnium pace dixerim) neutrum adhuc satis probari potest. Nam priorem locum ad hæc verba

verba Pauli minimè pertinere, non obscurè testatum facit Apostolus, quum diverso utitur prædicationis genere: non enim dicit, In semine Abrahami benedictum iri omnes gentes; sed, Abrahamo & semini ejus promissiones fuisse dictas: qua ex comparatione constat has propositiones & subjecto differre, & prædicato, & prædicationis modo; cùm hic de promissionibus, illic de benedictione; hic de Abrahamo & semine illius copulatè, illic de gentibus seorsim prædicetur; hic semini, illic in semine. Posteriorem verò, etsi magis in speciem ad hunc locum videtur accedere, tamen probare non possumus: primùm, quia hic non agitur de fœdere propriè & simpliciter, sed de promissionibus comprehensis fœdere. Nam de fœdere, præcedente versu actum est; de promissionibus appensis fœderi hoc versu agitur; quæ duo evidentissimè ibidem a Mose Gen. 17. distinguuntur: Deinde verò, quia disertè eadem ordine pergens Apostolus distinguit, proximè sequente versu: & hæc non de fœdere, sed de promissionibus fœdere conjunctis διαιρέσιν accipi oportere, vers. 18. docet. Quæ cùm ita sint, omnino statuo, cùm ipsius Pauli verbis, tum argumentatione ductus ad hunc locum non pertinere illa verba fœderis, sive dispositionis & pacti, quod inivit Deus; sed potiùs alia comparari oportere, in quibus promissiones ex fœdere a Mose exponantur: maximè cùm ex sequente versu id omnium constet evidentissimè, non fœdus propriè, sed διαθήκην, id est, dispositionem & institutionem Dei primam denotari, quæ annis ampliùs viginti octo antecessit fœdus illud, quod Moses Genes. 17. explicavit. Quapropter etiam hoc loco διαθήκην neque Testamentum, neque fœdus, neque pactionem exponendam puto; sed prout simpliciter notatio vocis postulat, dispositionem, vel institutionem Dei. Hujus autem dispositionis quam Deus Abrahamo testatam fecit, frequens repetitio extat Genes. 12, & 13. & sequentibus. Nam his verbis illa conveniunt optimè, tum quæ in Parallelo diagrammate nostro posuimus, tum quæ alibi repetuntur in eamdem sententiam: ut Abraham de veritate promissionum Dei quasi in rem præsentem deductus manu, ampliùs confirmaretur. Argumentatio verò, qua Paulus utitur confirmat hoc judicium nostrum evidentissimè: Sic enim argumentatur Paulus, ut ostendat promissiones & benedictionem quam Deus in Abrahamum contulit, in Christo Jesu esse constantissimam, & per fidem a nobis accipi. Major: Nemo aut abrogat, aut ampliùs disponit jure de ea dispositione, quæ alterius justa authoritate firmata atque sancita est, vers. 15. Minor: Deus autem, cujus dispositionem nemo abrogare, aut amplificare potest, promissiones dedit Abrahæ & semini ejus, versu 16. Conclusio: Ergò dispositionem, quam Deus autoritate sua sancivit respiciens in Christum, Lex longo pòst intervallo data non potest infirmare, irritámve facere, ut aboleat promissiones ejus vers. 17. Sed hîc objecturus est fortè aliquis sive Judæus, sive τὸ κακόζηλον Judæorum imitans, duo impedimenta huic interpretationi nostræ adversari: Unum, quòd nomen seminis apud Hebræos collectivum est, contrà quàm Paulus interpretatur in hoc quidem loco: Alterum, quòd Deus illic de omnibus filiis Abrahæ, non autem de Christo loquitur, contrà quàm asserimus. Ad priorem objectionem respondeo paucis. Nomen seminis apud Hebræos modò collectivum est, modò individui alicujus δεικτικὸν ἢ σημαντικόν. Collectivum esse cùm fateantur omnes, probare nihil attinet. De individuo dici, aliquot exemplis (ne omnia colligamus) declarabimus,

Genes. 3. 17. *ipsum semen mulieris conteret tibi caput*, de Christo dicitur, Geneseos 4. 24. *Reposuit mihi Deus semen alterum*, de filio dicitur Setho, quem Euah Adamo pepererat. Geneseos 15. vers. 3. *Ecce*, inquit Abraham, *non dedisti mihi semen*, quum de filio promissionis cogitaret, Geneseos 21. versu 12. & sequente, primùm quidem de Isaaco dicit Deus, *In Isaaco vocabitur tibi semen*; & de Ismaële, *Efficiam patrem genti magnæ, quia semen tuum est*. Genes. 38. vers. 8. & 9. in eamdem sententiam dicuntur minores fratres *semen suscitare fratri primogenito*, cùm tamen unicus, puta primogenitus, censeretur in primogeniti defuncti semine. Quid plura? cùm semen metaphoricè a rebus sativis humanę soboli accommodetur; omnino vicerimus, si appellationem seminis unico grano sementis accommodari ostendemus. Hoc autem sensu in Scripturis legitur, ut Exod. 16. cùm dicitur Man fuisse sicut granum coriandri seminis: quod idem iisdem planè verbis repetitur, Num. 11. 7. Omisi de industria illos Scripturæ locos, qui ad promissionem de Christo pertinent, ne viderer ex argumentorum vel probationum firmarum inopia (ut loquuntur) principium petere. Id enim mihi satis est ad præsentem quæstionem, si obtinuero, quod antè dixi, semen apud Hebræos non solùm de speciali aut particulari, verum etiam de singulari & individuo enunciari; idque non infrequenter: Hinc enim faciliùs assequuturi sumus id, quod ad secundam objectionem pertinet: nempe cùm nomen seminis æquivocè in Scripturis dicatur; videndum esse, utra significatio magis pertineat ad eos locos, ubi contendimus singulares de Christo promissiones a Deo fuisse propositas. Secunda igitur objectio vel impedimentum quod illi afferunt, est Deum illic de omnibus filiis Abrahæ, non autem de Christo loqui: sed hanc objectionem ipsi loci dissolvunt commodissimè; de quibus antequam dicamus, videndum est, ut omnia interpretationis genera, quæ de semine Abrahæ dici possunt, colligamus, & exploremus quænam sit convenientissima omnium interpretatio. Semen Abrahæ (ut modò dicebamus) aut de singulari individuo; aut de aliqua universitate & congregatione dicitur. Cùm de universitate vel collectione interpretamur, modò accipitur de iis, qui secundum carnem fuerunt ex Abrahamo geniti; modò verò de iis, qui secundum fidem; modò denique de utroque hominum genere. De primo genere Judæi gloriantur; de secundo dicebat Johannes: *Dico vobis Deum posse excitare ex istis lapidibus Abrahamo filios*; de tertio exempla non pauca in novo Testamento exstant. Ac primum quidem genus, puta eorum qui filii sunt Abrahami secundùm carnem, sic ad Abrahamum pertinet, ut non pertineat ad Christum. Duo posteriora communionem cum Christo habent, & cum Abrahamo in Christo Jesu. Jam ergò videamus, quid horum illi loco quem ex Mose protulimus, & aliis consimilibus, maximè convenire possit. Primum omnium nego, & Judæos ipsos appello testes id rectissimè negari, quòd filii Abrahami secundùm carnem propriè in hac promissione intelligendi sint. Nam cùm promissionis membra sint duo; unum significantis symboli, alterum rei significatæ: & illi rem significatam numquam perceperint, certum est, illam Dei promissionem istorum non esse. Præterea promissio fit in seculum, id est, in æternum: Isti autem non magis rerum æternarum, quàm promissionum participes esse possunt: De his ergò Deus in suis illis promissionibus minimè locutus est. Nec obstat, quòd potest objici, filios Abrahami secundùm carnem terram promissam tenuisse.

Aliud est enim terram promissam obtinere, aliud promissionem. Nam qui terram cum promissione obtinuerunt, hi demum fuerunt justi possessores; qui autem sine promissione, ii non domini aut etiam coloni justi; sed magis prædones (ut Jureconsulti loquuntur) vocandi sunt. Secundò, cùm promissio illa duas habeat partes compositas, sacramentum,& rem sacramento figuratam ex institutione Dei; non potest etiam ad eos propriè simpliciterque pertinere, qui semen Abrahæ dicuntur secundùm fidem; ut si qui (exempli causa) filii Abrahamo ex lapidibus excitati essent. Restat igitur, ut semen Abrahami quum dicitur, universali significatione, sive (ut vocant) collectiva, accipiatur de iis, qui carne & fide, promissiones Abrahamo factas perceperunt; carne quidem, sacramentum; fide verò & Spiritu, rem sacramenti. Hæc verò interpretatio non satis cum illis Dei verbis apud Mosen convenit, ut duo argumenta confirmant sequentia. Prius est, regionem Abrahamo & semini ejus in seculum datam esse. At semen illud non possedit in seculum ut sacra historia testis est, sed ex ea fuit exturbatum, & temporibus Christi Apostolorùmque pro glorioso illo nomine (quod olim obtinebat) ἀνέμματος, conjugatum nomen obtinuit διασπορᾶς; quia non ampliùs terram possidebat semen, sed ipsum disseminatum erat in omnes regiones terræ. Posterius est, quòd sequente versu, & alibi passim alterum est promissionis membrum de collectione vel multitudine heredum, quum dicit Deus, *reddam semen tuum numerosum, sicut pulverem terræ*, &c. ubi collectivè opus est accipi, & distingui radicem (ut ita dicamus) expressam priore promissionum membro, id est, Christum, a ramis, id est, a membris in Christum insitis, & ad ipsum secundùm carnem & fidem pertinentibus. Objicient fortasse, turpem inscientiam esse, quòd vocem illam seculi ad tempus æternum & promissiones æternas referimus; multos enim exstare Scripturæ locos, ubi nomen seculi de ætate hominis & brevi aliquo temporis curriculo, accipi necesse est. Verùm, si locorum circumstantias benè expenderint, quicumque hoc modo argumentari volunt, comperient, quemadmodum subjecta ex natura & conditione prædicatorum, ita vicissim prædicata ex conditione subjectorum accipi oportere: Verbi gratia: Subjectum esto homo, aut servus, quæ de homine libero aut servo in seculum fore prædicantur in Scripturis sacris, ea secundùm rationem subjecti intelligenda sunt; ut servus voluntarius in seculum serviturus dicitur, Exodi 21.6. Hic verò neque autor est temporarius, neque promissio, neque res temporaria; sed æterna omnia in Dei promissionibus, si a symbolo discesseris. Cùm igitur res spiritualis in æternum promittatur; symbolica verò in suum seculum, ut ita dicamus; omnino alterum necesse est, ut aut Judæi sibi ipsis æternas promissiones adjudicent, aut illud, *in seculum*, in divinis & spiritualibus promissionibus (ut hæc est) dici de æternitate fateantur. Dixerit fortasse quispiam, quomodo igitur Christo tota regio data est? Respondeo, Quia omnia ipsi data sunt a Patre, & heres constitutus est omnium, ut Mediator noster. Quomodo autem gentes, quę nihil ad Abrahamum secundùm carnem pertinent, censentur in Abrahami filiis? nempe quia in Christo sunt, & Christus in ipsis: ac proinde in Christo insitæ, id est, in semine Abrahami, promissiones percipiūt Abrahamo factas in Christo, Abrahami & Davidis filio. Ceterùm, quòd proximè sequente versu dispositionem illam, quę in Christū respicit, a Deo fuisse factum confirmat Apostolus ante quadringentos

triginta annos quàm Legem in populo Iſraëlitarum ferret; illud nemini dubium eſſe poteſt, qui ad verba Moſis Gen.15. & Exod.12. animum adverterit. Nam certum eſt Gen.15. Deum totam Abrahami poſteritatem ſimul comprehendere in illa prædictione ſua, *Scito certò peregrinos fore poſteros tuos in terra non ſua, idq; quadringentos annos*; ac proinde illius ſpatii principium duci ab Iſaaco nato oportere: ſi enim juſta ſupputetur annorum ratio; ad eum uſque annum quo Iſraëlem ex AEgypto eduxit Deus, præcisè comperientur quadringenti anni, quos Deus Abrahamo ad hiſtoriam poſteritatis exponendam diſertis verbis prædixerat. Cùm autem centenarius fuit Abraham, quo tempore Iſaacum genuit, & ſanctam illam diſpoſitionem Dei in Chriſto Jeſu trigeſimo ante natum Iſaacum anno, id eſt, ſeptuagenarius acceperit, Gen.11. & 12; omnino ſequitur diſpoſitionem hanc annis 430. præiviſſe legi; quem ad numerum reſpexit Moſes Exod.12.40. quum incolatum gentis Iſraëlitarum; quo incolatu commorati ſunt in AEgypto & aliis in locis, ſynecdochicè fuiſſe annorum 430. narrat. Nec obſtat, quòd gens illa Iſraëlitarum in ea regione non habitavit tamdiu; ſed partim in ea, partimque in finitima: Nam habuit Moſes rationem totius peregrinationis, quam Deus Abrahamo imperavit habitanti in Ure Chaldæorum; & qua tum Abrahamum ipſum in Meſopotamiam, Chananæam, & AEgyptum proficiſcentem ex voluntate Dei, tum poſteros ejus exercuit. Ac propterea totus ille locus ſynecdochicè intelligendus eſt: quemadmodum Septuaginta Interpretes expoſuerunt commodiſſimè, & Auguſt. quæſt.47. in Exodum optimè annotavit. De eo autem quòd poſteà dicitur lex diſpoſita fuiſſe inter Angelorum ordines vel diſpoſitiones Mediatoris manu, qui idem Angelus faciei Domini, & Angelus federis appellatur: quod ſatis viſum eſt, jam ſuprà explicavimus in Act.7. libri 1. Paral.92.

PARALLELUS XLIIII.

*Galat.*4.

22 Scriptum eſt, Abrahamum duos filios habuiſſe: unum ex ancilla, & unum ex libera.

23 Sed is qui ex ancilla natus eſt, ſecundum carnem natus eſt: qui verò ex libera, per promiſſionem.

24 Atque hæc quidem allegoricam interpretationẽ habent. Nam hæ ſunt duæ illæ diſpoſitiones, *quarum* una quidem ex monte Sina eſt ad ſervitutem generans, quæ eſt Agar.

25 Nam Agar Sina mons eſt in Arabia: pari autem ſerie reſpondet huic Jeruſalem, quæ nunc eſt, & ſervit cum filiis ſuis.

26 Altera verò ſublimis Jeruſalem libera eſt, quæ mater eſt omnium noſtrum.

27 Scriptũ eſt enim, Lętare ſterilis, quę non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quoniam plures ſunt liberi deſertæ, quàm ejus, quæ habet virum.

Martir in 1 Sam. refert ad hist: Anna et Peninna 1. Sam. c. 1° Ubi Anna diu sterilis afflicta erat &c.

CUm hic locus ex variæ hiſtoriæ, ac differentis capitibus ſit conſtitutus, quorũ alia fermè integra, alia ex parte aſcribi oportuiſſet in Parallelo diagrammate, ſi membra ſingula opus fuiſſet comparari; viſum eſt brevitati potiùs conſulere, quàm committere ut inani aut certè non neceſſaria exſcriptione tædium lectori adferremus. His

itaque

itaque omissis, primùm de fine & summa totius hujus argumentationis dicendum est: Deinde veniemus ad singularem membrorũ ejus explicationem. Finis igitur est, ad quem contendit Apostolus, ut Galatas doceat, ipsos jam non esse subjectos legi & servituti illius; sed adoptatos esse in Christo Jesu, & in libertatem filiorum Dei vindicatos per Christum: ac proinde non debere ceremonialibus elementis, & observationibus servilibus se denuò subjicere. Ac illud quidem evidentibus firmisque argumentis jam antè docuit, inde a principio capitis tertii: sed quia videbat Apostolus quibuscum ageret, nempe rem sibi esse cum iis hominibus, qui non planè quidem negarent beneficium Christi; sed legem tamen & observationem illius simul retinendas esse cum Euangelio Christi contenderent; propterea novum quoddam argumentum accommodum captui Galatarum hoc loco adhibet; ut illa præfatione non obscurè indicat: *Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non auditis?* Est autem hæc istius argumentationis summa. Ratio communis est, aut par, aut potius eadem, domus Abrahami & Ecclesiæ Dei. Domus autē Abrahami duos filios habuit, unum ex ancilla secundùm carnē natum; alterum, ex libera per promissionem, versu 22. & 23. Ergò par quoque, vel potius eadem est Ecclesiæ ratio, nempe quòd priores quasi filios ancilla ad servitutem generaverit; posteriores verò libera liberos, vers. 24. & duobus sequentibus. Majorem propositionem, in qua vertitur totus horum argumentorum cardo, stabilit Paulus duobus modis, primùm exordio vel præfatione illa, *Dicite mihi qui sub Lege*, &c. quasi dicat: Quæ priùs in Lege scripta sunt, ea idcircò scripta sunt, ut qui sub Lege volunt esse, doctrinam illius audiant, eique adhibeant fidem. Est autem doctrina Legis non simpliciter historica, sed ad exemplum & documentum Ecclesiæ perpetuum pertinens. Quapropter non dubito, quin vos, qui sub Lege vultis esse, exemplum Legis toti Ecclesiæ propositum sitis ex officio accommodaturi Ecclesię Dei, & recognituri perpetuam constitutionem ejus. Quia verò contentiosis hominibus applicatio ista nō fuisset factura satis, eò quòd dicturi essent exemplum esse dissimile, esse subtile, esse Pauli commentum aut aliquid ejusmodi; alterum confirmationis locum subjecit Apostolus, vers. 27. dicens: *Scriptum est enim; Lætare sterilis*, &c. quasi dicat: Non est, cur objiciatis a me hanc interpretationem esse; recognoscite vos ipsi, qui sub Lege vultis esse, annón ex Lege seu vetere Testamento, & ex fidelissimis Legis interpretibus, Prophetis, desumta sit. Ego certè non sum is, qui interpretationem hanc cuderim arbitratu meo; sed Esaias ipse respiciens ad historiam domus Abrahami, conditionem Ecclesiæ Dei ex typo vel imagine illius domus adumbravit: qua de re amplius posteà dicturi sumus. nunc ad singularem horum locorum interpretationem veniamus. Ac primùm quidem, quod de numero filiorum Abrahami dicitur, versu 22. extra omnem controversiam est; id enim disertè narravit Moses Geneseos 16. & 21. Neque illud quoque in dubium venit, quòd prior, secundùm carnem ex ancilla natus; posterior ex libera per promissionem dicitur, versu 23. Nam quatenus hæc sunt historica, sunt in confesso apud omnes: sed quòd statim subjicit Apostolus versu 24. horum esse quamdam allegoricam interpretationem, id primùm variè redditur; deinde verò controvertitur, quasi infirmum & penè nullum ad probationem argumentum. De interpretatione verborum nolumus cum ullo contendere, aut ullius judicium, censoria quasi virgula notare: id in præsentia tantùm

simpliciter dicturi sumus, eam interpretationem quæ in diagrammate a nobis adducitur, judicio meo cum verbis & mente Pauli convenire; verbis, quia non dicit illa esse typica & figurativa (ut loquuntur) per se, neque etiam figurata; sed tantùm dicit esse *ἀλληγορούμενα*, id est, quamvis propria & historica sint; tamen figuratè traducta ad sermonis alterius demonstrationem: idque non præsumta quadam a Paulo licentia; sed illis duobus argumentis, quæ antè dicebamus; nempe naturali exemplorum quæ in scriptura sunt analogia, & autoritate Esaiæ Prophetæ; qui duce Spiritu Dei illam scripturæ analogiam docuit, ut posteà disertis verbis ostenditur. Cum mente verò optimè videtur convenire; quia non id sibi vult hoc loco Apostolus, eas proprias & destinatas vel singulares figuras esse; sed potiùs ex illa communi analogia exemplorum administraionis Dei, optimè institutam esse a Dei Spiritu quamdam delineationem administrationis Dei in Ecclesia ejus. Hinc ergo sequitur accommodatio exempli hujus qua Paulus utitur, communem scripturæ analogiam & exemplum Esaiæ sequens, quum ait: *Nam hæ sunt duæ illæ dispositiones*, &c. Nam primùm prolepticè illud sive generatim dicit Apostolus, has esse duas illas dispositiones, quæ tum in Ecclesia Dei videbantur; deinde verò speciatim omnia distinguit, quæ in comparatione istarum dispositionum pactionúmve opus est observari: nempe primùm matres, quibuscum hæ constitutiones vel pactiones a Deo constitutæ sunt; secundò loca; tum etiam jura; postremò eventa: quæ omnia de priore quidem comparationis membro copiosiùs, vers. 24. & sequente enarrantur; de posteriore, breviùs, quia ex antithesi facilè colliguntur. Nam ex priore exemplo mater constituitur Agar; locus, mons Sina in Ismaëlitarum tractu; jus, est illa servitus, quam servivit in familia Abrahami; eventus denique, quòd partus (ut Jureconsulti loquuntur) ventrem sequutus est, id est, liberi sunt ex ea ad servitutem nati. Quæ omnia postquàm simpliciter proposuisset Apostolus, ver. 24. per quamdam Epanalepsin accommodat priscæ Judæorum Ecclesiæ, versu 25. *Nam*, inquit, *Sina mons*, ubi Lex data est, *mons est Agaræ*, id est, Agarenorum sive Ismaëlitarum in Arabia: deinde subjicit applicationem hanc, quòd *Agar hæc & Sina mons* illius *respondeat illi Jerusalem, quæ tum erat*. Cujus accommodationis sensus est, Jerusalem illam, quæ tum fuit, sive Ecclesiam illius gentis adhuc hærere monti Sina, & in ea quasi fuisse genitam, ubi Lex data est; ac proinde servam esse, & filios ad servitutem parere. Huic membro alterum, quod opponitur, levius est, versu 26. Illa verò inquit Jerusalem, quæ cum Sara & pactione illius comparatur, non est ex monte Sina, non ancilla, non ad servitutem generans: sed est sublimis, libera, mater omnium nostrûm; qui Spiritum libertatis & gloriæ obtinemus in Christo Jesu. Sic ergò Apostolus constitutionem Ecclesiæ quæ tum temporis fuit, adducto familiæ Abrahami exemplo, quæ priscorum temporum Ecclesia erat, illustravit; tamquam si dixisset; Ut tunc fuit, ita nunc est: non enim variat Dei administratio, qui nascentem Ecclesiam a principio sic voluit distinguere. Sed ne quis audaciùs inveheret in illud simile a Paulo institutum; propterea confirmationem Apostolo ex Esaia visum est subjicere, his verbis: *Scriptum est enim, Lætare sterilis*, &c. quibus verbis non dubium est quin voluerit Esaias appellare illam Ecclesiam Christi, quæ in plenitudine temporum Christo desponsata est, prædicatione Euangelii. Erat enim jam eo tempore sterilis Ecclesia Christi, & omnes Judæi fermè

illi

illi Ecclesiæ ancillanti & servitutem gravissimam Legis amplectenti adhęrebant. Quapropter Esaias priorē illam Ecclesiam missam faciens postquàm de Christo, perpessionibus & gloria ejus luculentissimè concionatus esset, orationem convertit ad liberam illam Ecclesiam, quam Christus redemtam suo sanguine donavit libertatis Spiritu, & adjunxit sibi; ut liberos non solùm ex Judæa; verum etiam ex omnibus gentibus pareret: quod triumphalibus fermè (ut ita dicamus) amplissimisque verbis toto illo capite Propheta enunciavit. Cùm itaque hęc fuerit mens Esaiæ Prophetæ, & ad eam explicandam commodissimè appellationem Ecclesiæ Christi, ex similitudine domus Abrahami, jam olim adaptaverit: quę res & Spiritu Dei, & Ecclesię totius consensione fuit comprobata: nemo sanus dubitaturus est; quin Paulus duce eodem Spiritu, & Propheta monitore, hoc exemplum ex Abrahami familia ad demonstrationem argumenti sui optimè depromserit. Verborum autem summa est convenientia: Quapropter ad sequentem accommodationem transituri sumus.

PARALLELUS LV.

Genes. 21.	Galat. 4.
10 *Ejice ancillam hanc & filium ejus: non enim futurus est heres filius ancillæ istius cum filio meo.*	30 Ejice ancillam & filiam ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

EX præcedentis Paralleli constitution e ratio hujus tota petenda est: Nam ostendit Apostolus similium causarum similia effecta consequi. Sunt autem causæ similes in horum exemplorum collatione; nempe: Quemadmodum fœtus ex ancilla ad servitutem generatus in familia Abrahami, filium promissionis ex libera genitum persequutus est; ita filios Ecclesię servę, & secundùm carnem solùm in Ecclesia natos, persequi & infestare eos qui nati sunt secundùm Spiritum libertatis, ad libertatem, qua Christus liberavit nos: Nec tamen propterea oportere, ut aut qui filii Dei sunt, abjiciant animum fracti afflictionibus; aut qui filii ancillę sunt sibi gratulentur. Nam stare sententiam Dei, æquè in hoc tempore atque in illo; quòd non sit futura ancillæ aut filiorum secundùm carnem ex ea natorum hereditas: cujus hereditatis contemplatione filii Dei satis habere debent, & gloriationem spei suę firmam continere ad finem usque. Hic verò non est dubium, quin oblatraturi sint canes, tamquam si Apostolus justę argumētationis aut probationis inopia, verba malè sanæ atq; furentis (ut pútant) mulieris pro testimonio afferat. Nam, ut furentis mulieris ullius factū non debet in exemplum trahi: Sic etiam verba mulieris eum in modum affectæ, exempli causa afferri non posse, multo minùs ex eo regulam statui; quod Paulus hoc loco videtur facere. Verùm iniquè faciūt, qui de motu Saræ perinde judicant, ut si in furorem præceps prolapsa esset, quum his verbis apud Abrahamum virum suum usa est. Hanc enim sententiam, judiciúmque de Sara non ex Scripturis habent; sed ex opinione sua, & infirmitatis suę ipsorum conscientia, aut impotentię, qua mulieres nonnullę rapiuntur, experientia. Est autem iniqua ex particulari, ut vocant, conclusio. Deinde, ut demus Saram in hoc facto laboravisse ex muliebri aliqua impotentia (quod tamen ex Scriptura probari non potest) tamen illa non in re, aut substantia rei, sed in modo peccaverit, cùm res

alioqui justa legitimáque fuerit, ut filius ancillæ cum filio liberæ non divideret hereditatem; sed ab ea exclusus esset. Hic verò Paulus non ad modum infirmitatis, si qua fuit, sed ad rei ipsius veritatem & æquitatem respexit; quod in omni causa viri prudentes faciunt, imprudentes verò & impotentes homines facere nesciunt. Postremò, ut ista omnia faciamus missa; falluntur, qui hæc Saræ verba a Paulo adduci putant simpliciter, propterea quòd in Scriptura exstant. Nam (ut optimè Augustinus monet) exemplorum quæ in scripturis habentur, alia sunt proposita, quæ imiteris; alia, quæ fugias. Ac proinde, si ad hoc factum Apostolus tantùm respexisset, non ineptè ea objicerentur, quę ante proposuimus: sed hæc verba habent suam probationem a Deo, ibidem versu 12. quum indicit Abrahamo, *ne malum videtor in oculis tuis*, &c. ac propterea illis Saræ verbis Abraham sine mora deinde obsequitur, quum verba illa a Deo profecta, & sancita esse animadverteret. Non igitur hoc loco eadem verba a Paulo adducuntur, quòd Saræ verba sint; sed quòd verba sint Dei ipsius, quæ per Saram pronũciata primùm; deinde a Deo ipso confirmata, tandem ab Abrahamo sanctissimo voluntatis divinæ administro confecta sunt. Quapropter omnino constat horum verborum autoritas; accommodatio verò tum ex iis quæ in principio diximus, tum ex Parallelo antecedente est evidens.

PARALLELUS LVI.

Psal. 68.	Ephes. 4.
19 *Ascendisti in excelsum; captivam duxisti captivorum turbam; accipiens dona dedisti hominibus.*	8 Ascendens in sublime captivam duxit captivorum turbam: & dona dedit hominibus.

ETsi non videtur multis commune esse Psalmi illius argumentum cum eo, quod hic a Paulo adducitur: non dubium est tamen si omnia benè expendantur, quin Psaltes toto illo Psalmo ad regnum Christi respexerit. Nam finis hic Davidi fuit propositus, quum Psalmum illum caneret Domino; ut Deo in Ecclesiam suam adventanti gratularetur; primùm quidem secundum typum, id est, arcam federis, quæ eo tempore introducebatur Jerosolyma; deinde verò secundùm corpus & veritatem typi, quum Christus in carne venit, & se adjunxit Ecclesiæ suæ, quam sanguine suo redimeret. Itaque summa Psalmi illius est, nunquam Dei presentiam non esse Ecclesiæ salutarem, & hostibus ejus exitiosam; quod argumentum postquam in principio generatim exposuit Psaltes; deinde minutatim per tempora Legis & Euangelii distinguit, & a Deo fuisse demonstratam docet præsentiã suam, non solum dictis; verumetiam factis salutaribus. Atque hoc quidem argumentum confirmat ab historia priscorum temporum, inde a versu octavo ad 14. usque; deinde verò, quia illa legalis gloria quodammodo interscindi videbatur afflictionibus intercurrentibus; propterea ad cõsolationes & hortationes Euangelicas Propheta transiens, Ecclesiam Dei erigit alterius adventus contemplatione; quem adventum gloriosissimum describit versu 18. & sequentib. cùm à comitatu regio adventantis Christi, tum a regificis ipsius operibus; cujusmodi ea sunt, quæ versu 19. (quem in diagrammate Parallelo nostro posuimus) predicantur gloriosissimè. Tria sunt autem illa, quæ ad hunc locum futura satis Paulus judicavit. Primum, ascensus Christi in cœlum; secundum, triumphus

phus de poteſtatibus adverſariis : tertium denique, munifica donorum communicatio erga pios,expectantes alterum adventum ejus.His poſitis,an quiſquam eſt,obſecro,qui locum hunc diverſo fine & argumento contendat allegari ? omnino enim id ipſum quod ſibi olim Propheta voluit,docet Apoſtolus ; demonſtrans (ut verbis utamur Athanaſii) vetera ex novis ,& nova ex veterbus eſſe conteſtata. Non eſt itaque, cur de hujus loci accommodatione amplius laboremus. Nam res ipſa loquitur genuinum eſſe illum ſenſum,ad quem reſpexit Paulus. Obganniunt quidem Judęi, & qui imperite hauriunt ex Judæorum fæce, illa verba non dici de Christo ; ſed aut de Davide ; aut certè de Deo , quo tempore Legem tulit. Fabulæ. Nam de Davide quomodo acceperis, cùm antecedentia & ſequentia omnia de Deo enuncientur ? &(quod amplius eſt)in hoc ipſo verſu oſtendat Propheta , ad quem orationem habeat,dicens: *Etiam inhabitans*,puta,in ſublimi,*rebelles captivos tenes,O Jah Deus*.Reſtat igitur,cùm de Davide iſta prędicari non poſſint,ut accipiantur de Deo ; ſed de Deo patefacto in carne, qui in has inferiores terræ partes deſcenderat (ut Apoſtolus ſequente verſu optimè explicat)poſteà in cœlum,& longè ſupra omnes cœlos aſcenſurus,ut impleret omnia. Hoc verò Judæis non ita videtur; ac propterea Deum ſignificari putant, ſecundùm illud tempus, quo Legem Iſraëlitis dedit: ſed ipſe Pſalmus evertit iſtam illorum interpretationem.Priùs enim actum eſt de illo tempore quo Deus apparuit, Legem laturus in populo ſuo : quia verò gloriam illam,quam Deus data Lege, deducto populo, & in terræ poſſeſſionem miſſo,regno conſtituto, hoſtibus debellatis, interrumpebant afflictiones quàm plurimæ, quibus illa gloria quaſi flacceſcere & marceſcere videbatur; propterea tranſſilit Propheta ad prædicationem adventus alterius, nempe quo verbũ caro factum eſt, & Angeli Dei aſcenderunt,deſcenderúntque ſuper filium hominis,donec aſcendens in ſublime captivam fecit multitudinem poteſtatum, quę Eccleſiam ſuam infeſtebant,& depromta ex theſauro ſuo dona ſpiritualia profudit in homines,& vocatione inſtruxit eos, ut mēbra ipſius ad obſequium fidei provocaret.Hæc autem adeò clara ſunt, ut ſi bene exponuntur, ſuaviſſimam adferant piorum mentibus pacem & conſolationem. Qui autem non vident ; aut videre certè renuunt,iis non mirum eſt tectum eſſe Euangelium ; quia Deus hujus ſeculi excæcavit mentes ipſorũ,ne irradientur hoc ſalutari lumine.Reſtat, ut quę de interpretatione illius loci afferuntur ex verborum aucupiis, ea diluamus. Id autē unicum eſt,nempe, quòd in Hebræo contextu ad verbum ſic habetur, *Accepiſti dona in hominibus*.Hęc verba alii ex imperitia, alii malitia exagitant;cùm tamen ex Hebręa conſuetudine & conſtructione frequentiſſima nihil obſcuritatis habeant. Nam propriam non eſſe conſtructionem eorum,ſed figuratam,ipſi quoque Judęi coguntur agnoſcere.Nemo enim propriè ſic loquitur,neque propria loquutio(ſi bene memini) apud Hebręos exſtat ejuſmodi.Quòd ſi figurata eſt,ut eſt,certè nō poteſt alia eſſe figura,quàm ellipſis,ut omnino poſtulat conſequutio, unde autem hoc genus ellipſeos ſuppleri oporteat,res ipſa loquitur. Nam ſolet Scriptura in loquutionibus hujuſmodi per Metalepſin ex antecedente conſequens intelligere ; Accepit ergo,eſt accipiens dedit, ut oſtendit nomen(dona)proximè ſubſequens,& ſequentis verſus argumētum,Benedictus Dominus qui quotidie nos onerat donis,&c. Atq; hoc genus Ellipſeos,ſi ullo cum verbo receptum eſt, cum accipiendi verbo eſt

est frequentissimum; quod ipse Chaldæus Paraphrastes, & Rabbi Salomo Jarki sequuti sunt, ut Exo.25.2.& 3.27.2.& alibi passim accipitur.

PARALLELUS LVII.

Esai.60.	Eph.5.
1 *Surge, luce, quandoquidem advenit lux tua, & gloria Jehovæ super te orta est.* 2 *Cùm ecce tenebræ istæ operiant terram, & caligo nationes: & super te exorietur Jehova, gloriáq; ejus in te conspicua erit.*	14 Excitare qui dormis, & surge a mortuis, & super te lucebit Christus.

ETsi non videtur propriè exstare in scriptura locus, unde hęc Pauli verba depromta sint: cùm tamen Dominum hujus sermonis autorem vocet, cujus antè 10. versu meminerat; & huic argumento illud optimè respondeat, quod ex Esaiæ 60. adscripsimus, & vocibus & argumento, non dubitamus, quin hos duos locos inter se oportuerit comparari. Nam plurimæ quidem sunt voces, & varię, quibus Esaias in gloriosa illa exhortatione usus est; sed citra illius injuriâ apostolus perstrinxit locum, & in summam quamdam contraxit illius argumentum. Finis enim ad quem eo in loco spectavit Esaias hic fuit; ut Ecclesia ornata amplissimis illis Dei promissionibus, quæ proximè antecesserant, ex beneficio accepto, ad officii sui conscientiam vocaretur, & de pręstatione religiosa illius cogitaret seriò. Summa igitur est, cùm Ecclesia & singula membra ejus tantam lucem & gloriam consequuta sint, per Spiritus divini communicationem: omnino id postulare singulorum officium, ut tenebris & somno spirituali renuncient, & in luce ambulent, eámque occupent ad salutem suam, & aliorum quibuscum versantur, ædificationem. Quod si cui placuerit institutum Pauli in hoc loco studiosiùs expendere; non dubitamus, quin comperturus sit eamdem planè nulláque ex parte diversam hoc in loco esse Pauli sententiam. Nam ex eo quòd pios antè monuerat, ne quisquam se inanibus sermonib. seduci pateretur, propter quas res venit ira Dei in filios *ἀπειθείας*, aggressus est duos hortationis locos: unum, ne sint consortes illorum, versu 7. alterum, ne communionem habeant cum operibus infrugiferis tenebrarum, sed potiùs arguant ea, versu 11. Priorem locum iisdem locis confirmat Apostolus, quos Esaias attigerat: primùm à conditione piorum, ut qui olim quidem fuerint tenebræ, nunc autem lux sunt in Domino, versu 8. secundò ab effectis Spiritus in ipsis habitantis, quòd fructus ejus sit in omni bonitate, justitia, & veritate: tertiò a Lege reguláque perpetua istarum rerum, quam pii non aliunde possunt recognoscere, nisi ex voluntate Domini. Posteriorem locum de auersandis operibus infrugiferis tenebrarum atque arguendis, probat Apostolus, primùm a natura illorum operum: Nam inquit, *quæ ab istis occultè fiunt, turpe est vel dicere*: Vos autem ab omni re turpi abesse quàm longissimè imperat lux, cujus facti estis consortes in Domino. Secundò ab effectu lucis: Nam (inquit) ista omnia quę reprehenduntur (ut certè reprehensione digna sunt) ista, inquam, manifesta fiunt a luce illa (de qua antè diximus) in vobis habitante. Omne autem quod res istas facit manifestas, lux est. Igitur, quod antè diximus, non estis amplius tenebræ, sed

lux in Domino. Hæc omnia confirmat Apostolus Esaiæ loco, quem in digrâmate nostro posuimus, his verbis; *Quapropter dicit Dominus, excitare qui dormis, & surge a mortuis*, tu, qui antè fuisti tenebræ, & in tenebris jacuisti, ambulans in operibus mortuis; & Christus, qui gloria est Jehovæ, sive Dei Patris elucescet tibi, exorieturq; super te tanta vi & efficacitate, ut omnib. fiat conspicua. Eodem pertinent sequentia arguméta apud Paulum in tribus versibus; sed quia non est instituti nostri, ut Methodum hanc persequamur, excurrentes extra cancellos qui nobis circumpositi sunt, ab eis supersedebimus. At non sunt eadem verba, dixerit quispiam; nihil refert, modò sensus idem utroq; in loco habeatur: maximè cùm Pauli consilium fuerit, tum ut locum perstringeret solùm, lectoribúsque monstraret consulendum; tum ut, quæ obscuriùs dicta pro tempore Prophetiarum videbantur, clariùs interpretaretur, secundùm illustrationem Euangelii gloriæ Christi. Quamobrem illud Esaiæ dictum, Surge, paulò copiosius explicat dicens, *Excitare qui dormis, & surge a mortuis*; ut somnolentiam & mortem, in qua versati sumus, proponens nobis magis nos afficeret, studio & religione nostri officii. Pro illis autem verbis: *Super te exorietur Jehova, gloriáque ejus in te conspicua erit*, substituit id quod est omnium evidentissimum, super te lucebit Christus; quæ interpretatio si cui non sapit, ne Christus quidem poterit ei sapere. Locus ille, Honora patrem tuum & matrem tuam, ætiologicus est, nec ulla indiget interpretatione, Ephes. 6. 2.

PARALLELUS LVIII.

1. *Timoth.* 2.

13 Adam prior formatus est, deinde Eua.

14 Et Adam non fuit seductus *prior*, sed mulier seducta causa transgressionis fuit.

VTraque hæc ætiologia, qua confirmat Paulus non esse mulieris ut doceat, autoritatémve usurpet in virum, historica est, sumta ex secundo & tertio capite Geneseos; ac proinde non est confirmatione opus in argumento ita perspicuo; sed potiùs interpretatione: quia non satis, judicio meo, plerique tradunt quę sint in hoc loco argumentationum genera. Duplex est (ut mihi quidem videtur) ratio antecedentis dicti, quam adhibet Apostolus. Prior est a materia & fine, versu 13. quam rationem idem Apostolus explicat luculentissimè. 1. Cor. 11. 8. & 9. *Adam*, inquit, *prior formatus est, deinde Eua*; ex ipso puta, & propter ipsum, atque hæc ratio inde a creationis momento in viro & fæmina valuit. Posterior argumentatio est a causa peccati in humano genere. *Adam*, inquit, *non fuit seductus prior* (hoc enim repetimus ex prę cedente versu) *sed mulier* seducta a serpente, causa transgressionis fuit viro. Sunt igitur optimę & validissimę Pauli argumentationes hoc modo: Qui posterior ex altero & causa ejus creatus est, non debet in alterum autoritate uti. Ejusmodi est fæmina. Item: Qui prior seductus in causa transgressionis fuit, ut instrumentum illius, ei non tribuit autoritatem Deus. Ex his concludit optimè Apostolus, omnnio in Ecclesia videndum esse, ut mulieri neque docendi, neque autoritatem in ea usurpandi facultas permittatur.

Locus Deuteron. 25. 4. de ore non obligando boui trituranti, suprà expositus est in 1. Cor. 9.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAURICIO LANDGRAVIO HASSIAE, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenheim, & Nidda, &c. Domino clementissimo, gratiam & pacem a Deo Patre & Domino Jesu Christo.



Vm desiderio & exspectatione bonorum, illustrissime Princeps, jam ante annos aliquot, inprimis autem Illustrissimi Principis parentis tui adductus sum, ut de perscribendo Parallelorum sacrorum argumento cogitarem serio; tum pietatis veritatisque cælestis studio, quam Deus verbo exposuit in Scripturis sacris, illustrandæ. Atque hanc quidem materiam tractationémque, ut pernecessariam, fuisse expetitam à bonis jamdiu, & mihi etiam ipsi doctorum hominum judicio commendatam; & literis multorum, & sermone omnium quibuscum hactenus super hac re contuli, intellexi jamdiu. Illustrissimo vero Principi, & parenti tuo, cujus pietatem, fidem, virtutem, studiúmque fers in oculis, velut domesticam lampada T. C. ad omne bonum opus officiúmque prælucentem, consilium illud perplacuisse, & optatissimum fuisse argumentum, jam olim probè didiceram, quum de causa quadam ad nos; me, inquam, & D. Immanuelem Tremellium, meum in translatione Testamenti veteris συνεργὸν, perscriptum esset. Studium revera omnib bonis dignum; viris Principibus tam honorificum quam quod maximè, Illustrissimo verò Principe parente tuo, tua quoque C. dignissimum: quo studio & in hac florente augescere, & in reliquo decursu ætatis tuæ (cui precor optima) tuis & exteris præire possis pietatis veræ & sinceræ fidei exemplo per charitatem operantis: memor tum avitæ & paternæ in his rebus divinis diligentiæ, tum gravissimi illius dicti Aristotelei πολιτικῶν β. Ὅ τι ἂν ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις. Ad hunc verò suavissimum & salutarem scopum optata bonorū omnium & vota ferri adhuc oportuit jure meritissimo, propter rei amplitudinem, & utilitates publicas, quæ maximæ sunt atque innumeræ: præsertim verò in hoc tempore, quo gravissimæ procellæ fluctusque calamitatum, & novæ molestiarum moles in dies excitantur, studia discinduntur, nimium altercando (quod ille dicebat) veritas amittitur, increbrescit ἀπιστία, & impia hominum ἀθέων, Judæorum, Mahumedistarum Arianorum, aliorúmque manus Christianis non dubitat insultare, ut imperitiorum mentes præstigiis verborum & importunitate fascinet. Hanc enim rem obtendunt maximè, ut nefarium suum consilium assequantur: Quod Testamenti veteris autoritas a novo dissidere videatur ipsis; proinde hujus aut illius labefactari fidem; ac potiùs utrumque alterius opera subrui, qua virulenta & exitialia tela ante annos quasi triginta sensi & incredibili dolore meo expertus sum. Itaque hoc officium, studio veritatis, communi desiderio, meáque ipsius experientia, & Christianorum ἀδήλων imperitiorúmque (in quos ista pericula intenduntur maximè) commiseratione victus; hoc inquam officium meum, qualecunque est, publico visum est committere: quum non deesse animadverterem, quibus hoc meum opus esse adjumento possit; sive ædificentur in fide secundum Deum qui sunt rudiores, sive peritiores ad

viam

viam hanc pervestigandam & commodiùs præmonstrandam aliis exemplo meo provocentur. Hujus autem officii mei semper in posteritatem, & jam apud omneis exstabit (spero) hoc testimonium; quòd τὸ φιλόνεικον abjiciens procul, sententiam meam ubique quàm simplicissimè ex sola scriptura, quoad ejus fieri potuit, explicavi: alienam dissimulavi plurimùm; aut, si vis quædam coëgit major, quàm maxima potius modestia, sine offensa aut pertinacia, studui refellere. Ac hujus quidem argumenti primas obtuli Illustrissimo Principi parenti tuo: cùm eò quòd consilii hujus penè autor, certè adjutor fuit monitorque; tum quia id pietas ejus mihi visa est postulare, cui spoponderam ante annos decem, & tamquā reus promittendi, honorifica ἀπογραφῇ Celsitudinis illius debui promissum exsolvere. Secundas verò nunc eâdem operâ, Illustrissime Princeps, ad T.C. defero & offero: non quòd libri unius partes dissecare unquam voluerim: sed quia hæc pars altera est quodammodo a præcedentibus libris, & diversum ab illis habet interpretationis modum, quem singularis hæc epistola jure quodam suo vindicavit. Quamobrem cùm hæc diversa ratio diversum principium desiderare videretur, officium T. C. non ingratum, nec molestum bonis confido me facturū esse si ut principium totius ab Illustrissimo parente tuo, sic hujus partis principium a T.C. nomine duxero: qua ratione virorum Principum faces accenduntur in oculis omnium, & fomites atque incentiva facubis juniorum ad pietatem, fidem, virtutem, sanctimoniámque adhibentur. Atque his quidem rebus sanctissima hæc Pauli (sic enim sentio) epistola commodare potest plurimùm: mea autem enarratio ut item commodet, ille daturus est, qui summus est autor hujus Epistolæ, & dux optimus maximus laboris mei. Tuam itáque C. summissè quantáque possum animi reverentia oro, ut meum hoc literarium munusculum in bonam partem accipiat gratiosè: suúmque illustre nomen per me in hac præfatione edi patiatur, saltem eodem jure ac beneficio, quo principum nomina in rudusculo a monetalibus procuduntur. Hoc enim monimentū in posteritatem exstare cupio, tum pietatis illius, fidei doctrinæque summæ, quæ nunc in T. C. adolevit, deinceps Ecclesiæ Dei bonísque omnibus profutura, tum studiosissimi erga T.C. animi & voluntatis meæ.

Deus Opt. Max. Pater Domini nostri Jesu Christi, florentem illam ætatem C.T. omnibus benedictionibus prolixè augeat, & confirmet in omni bono; ut ætate firma, firmiore judicio, firmissima pietate & virtute omnibus utiliter præluceas, sanctéque ipsius gloriæ subservias, gloria ἀφθάρτῳ καὶ ἀδιαλύτῳ coronandus in Filio dilectionis suæ. Amen.

T. C.

studiosissimus & addictissimus

Franciscus Junius.

SACRORUM PARALLELORUM LIBER TERTIUS.

In Epistolam ad Hebræos; methodica & brevis Enarratio.

ETsi libris præcedentibus non fuit instituti nostri, ut justam plenámque Euangeliorum aut Epistolarum enarrationem contexeremus, néque adhuc in ea sententia sumus, ut justum commentarium in Epistolam hanc conscribamus; quod genus scriptionis summa pietate & doctrina viri feliciter & sanctè præstiterunt: cùm tamen hujus Epistolæ ea sit constitutio, ut vix, ac ne vix quidem veteris Testamenti loci queant seorsim explicari, eo quòd tota aut in locis illius, aut in eorum interpretatione versatur: speramus nemini bono ingratũ fore hoc officium nostrum, si totam Epistolam, prout est contextus illius a sancto Spiritu dispositus, breviter percurramus, & strictim exposita illius Methodo locos Parallelos (de quibus præsertim a nobis agitur) suo quemque ordine enarremus. Finis igitur hujus Epistolæ est hic: ut pii omnes agnoscant Jesum Christum, & redemtionis salutísque nostræ in eo solo complementum ex Testamenti veteris, quo mysterium pietatis per Dei gratiam præsignificatum fuerat, documentis. Summa, Jesum Christum æternum Dei filium & ὁμοούσιον vel coëssentialem Deo patri & Spiritui sancto, verum Deum, & verum hominem in unitate personæ, esse illum ipsum æternum & unicum Prophetam, Sacerdotem, & Regem a Patre Ecclesiæ datum in plenitudine temporum: quemadmodum olim Deus ante Legem Patribus figuraverat, per Legem prænunciaverat, & per figuras ceremoniásque Legis significaverat, & per prophetas confirmaverat promissionibus Euangelicis: ac proinde in eodem Christo habere Ecclesiam perfectissimum cælestis doctrinæ, sanctificationis suæ, & salutaris regni illius complementum. Atque hæc quidem inde a principio Epistolæ Apostolus docet ἀποφαντικῶς, ad finem usque fermè illius; sed tamen, ut commodior ad consequendam hujus Epistolæ sententiam via ostendatur, paucis de partibus ejus aliquid exponemus. Ut ergò in tradendis partibus, ea quæ generalia sunt ratione facili demonstremus; tres in universum partes Epistolæ hujus constituimus; quarum duæ (ut ita loquamur) sunt essentiales, ultima, ἀκροτελεύτιον. Prima pars est, propositio generalis totius argumenti; quam non incommodè Prolepsin appellaveris, quia singulas ipsius partes paucis in ipso Epistolæ aditu complectitur; quas partes deinde enarrat copiosiùs, & persequitur eodem ordine. Secunda pars est ἔκθεσις sive expositio, & enarratio singulorum membrorum, quæ in Prolepsi fuerunt posita. Tertia denique est conclusio ἠθικὴ amoris & humanitatis plena, sub finem Epistolæ. Prolepsis, quam primam partem esse statuimus, quatuor primis versibus continetur: Ἔκθεσις, inde ad versum 20. capitis ultimi: Conclusio, reliquis versibus.

CAPUT

Caput Primum.

1 Deus multis vicibus, multísque modis loquutus olim Patribus in Prophetis, diebus hisce nobis loquutus est in filio;

2 Quem instituit heredem omnium, per quem etiam secula fecit.

3 Qui, ut est splendor gloriæ, & character personæ illius, sustinénsq; omnia verbo illo potente suo, postquàm purgationem peccatorum nostrorum fecit per seipsum, sedit ad dexteram majestatis illius in excelsis:

4 Tanto præstantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis nomen sortitus est hereditario jure.

HAEc prolepsis, ut antè diximus, vel propositio summa totius Epistolæ: in qua primùm de officiis Christi, tribus in versibus, deinde verò de excellentia ejus secundùm personam officiáque ipsius agitur, vers.4. Officiorum tria ponuntur genera, Prophetia quę est velut reliquorum index, v.1. Regnum, v.2. & Sacerdotium, v.3. quæ omnia deinde diverso ordine per Apostolum enarrantur. Prophetiæ conditio in versu primo non simpliciter, sed per comparationem diversorum temporum exponitur, & aliarum circumstantiarum, quæ ad dignitatem Euangelii asserendam plurimùm pertinent. Nam commune quidẽ omnium temporum illud est, quòd Deus loquutus est: sed in circumstantiis & rebus hæc sunt discrimina. Primum, quòd olim Deus Patribus loquutus est; nunc autẽ his diebus ultimis loquutus est nobis. Secundũ, quòd multis vicibus & quasi per partes alloquutus est ante Legẽ Patres, singularibus revelationibus, in Lege significationibus, post Legẽ traditam promissionibus, & Prophetiarum additamentis, ante captivitatem, & post captivitatẽ, usq; dum advenerit Christus; nunc verò semel & quasi perpetuo doctrinæ cælestis contextu, tempore Christi & Apostolorum, loquutus est. Tertium, quòd tum multis modis, puta, sermone, typis, ceremoniis, signis, visionibus, somniis, & si qua sunt ejusmodi; nunc verò dictis solùm & factis Christi, Apostolorúmq;, ac scriptis contestantibus loquutus est. Postremũ, quòd exposuit ea per Prophetas olim & in prophetis, quibus virtute Spiritus sui adsistebat; nunc per filium & in filio, in quo Deus Ecclesiã alloquutus est, non adsistens κατ' παρέςωσιν illam Prophetis omnibus communem; sed in eo exsistens, prout Pater & Filius sunt essentia unum, & Pater est in filio, filiúsq; in Patre. Regni conditio secundo versu, duobus documentis exponitur. Nam regnum Christi spectatur, aut quà Redemtor est, verus Deus, verus homo in unitate personæ; aut quà Creator est, æternus Deus cum Patre & Spiritu sancto. Quà autem regnum Domino & Servatori Jesu Christo secundùm utrãque naturam, ut mediatori nostro & Redemtori, competit; inquit Apostolus, *eum constituit Deus pater heredem omnium*, id est, (ut Christus loquitur) omnia sunt ipsi tradita a Patre: Pater enim diligit filium, & omnia dedit iu manum ipsius; adeò ut jam ex facto, quà Deus & homo est in unitate personæ, ipsius sit omnis potestas in cœlo & in terra. Quà verò creator est, inquit Apostolus, *Deus secula per ipsum condidit*, id est, non solùm tẽpora, in quibus numerus est motus secundùm prius & posterius; verum etiã omnia quæ umquã exstiterunt, exstant, aut exstabũt Matth.11.27. Ioh.3.35. Matth.28.18.

in

in tempore. Sacerdotii conditio describitur in versu 3. Quia verò, si quidquam est in persona Christi, quod ab his stultitiæ, ab illis offensioni deputari possit; omnino in eum numerum perpessiones ejus (quas ut Sacerdos sacrificiúmque nostrum pertulit) referri necesse est; propterea Apostolus sanctissima anticipatione utens, quum Sacerdotium ipsius descripturus esset gloriam personæ Christi certo sanctóque consilio præmisit, dicens: *Qui ut est, vel quamvis sit splendor gloriæ, & character personæ illius, sustinénsque omnia verbo illo potente suo:* deinde hac προθεωρία posita, venit ad Sacerdotii declarationem. Dignitatem verò personæ Christi in illa sua anticipatione asserit Apostolus elegantissimè tribus elogiis: quorum primum est, Christum esse splendorem gloriæ; secundum, esse characterem ὑποστάσεως seu personæ Patris; tertium, omnia ab eo sustineri. Priora duo, ut receptam a Patribus interpretationem sequamur cum analogia fidei conjunctissimam, re quidem eódem pertinent; sed tamen non sine causa conjuncta sunt. Nam commune est utrique, quòd Pater & Filius duæ personæ dicuntur esse, & quòd filius a Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, ab æterno genitus est a Patre: Præterea quòd ita genitus, ut Pater in filio omnem gloriam suam expresserit, & suæ ipsius personæ incommunicabilis characterem exhibuerit. Sed in eo discrimen est: primùm, quòd priore loquutionis modo Apostolus docet Patrem esse natura, non autem instituto ac voluntate sola Patrem; & filium vicissim natura, ac non voluntate consilioque nudo æternum filium Patris æterni sui; quemadmodum splendorem natura sol gignit, non autem voluntate aut consilio suo: Secundò, quòd filius imago patris inconspicui seu invisibilis esse dicitur, tum ratione essentialis gloriæ, quam sancta Trinitas in se habens, in persona Christi exposuit rebus creatis; tum verò ratione personæ, quia persona Patris se totam expressit, velut charactere, in persona filii; qua ratione nos Christus docuit, eum *qui filium videt, videre Patrem.* Hæc autem duo prædicata de persona Christi, quia ad amplissimum illud mysterium relationis inter personam Patris, personámque Filii pertinent, ac proinde humana mente non comprehenduntur, nisi per ænigma, sed adorantur fide; Propterea tertium elogium adhibuit Apostolus, ut ostenderet quem ordinem in relatione illa personarũ ineffabili scriptura tradit, eumdem ordinem ad creaturas (ut scholastici loquuntur) ex potentissima Dei Patris administratione in filio tenendum esse; quem eumdem ordinem in principio sui Euangelii, ubi de persona Christi commodè loquutus esset, Joannes observavit, dicens: *Omnia per eum facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit; in ipso vita erat,* &c. Secundum ordinem hunc ad creaturas, dicit Apostolus eum *sustinere omnia verbo illo potente suo*; omnia inquam, quæ jam antè secundo versu facta fuisse ab ipso dixerat. His rebus præmissis ad commendationem personæ Christi, sequitur singularis explicatio Sacerdotii illius duobus membris comprehensa; prius est perpessionum, quibus purgationem fecit peccatorum nostrorũ per seipsum tamquam sacerdos & sacrificium nostrum vel agnus Dei tollens peccata mundi: Posterius verò est gloriæ, quòd tamquam sacerdos noster ingressus est sanctuarium illud verum æternúmque cœlorum, & sedet ad dexteram majestatis illius; ut ex facto Ecclesiam suam doceat se, ut sacerdotem victimámque nostram, Deo patri acceptum esse, peccata nostra sustulisse, gratiam ejus nobis conciliavisse, & ita semel perfunctum esse

munere

munere sacerdotii, ut numquam repeti illud oporteat; sed omnes in ipso Sacerdotes facti, cum omni libertate in sanctuarium cœleste ingrediamur, quò nobis aditum in æternum comparavit. Nam propterea etiam sedere jam dicitur; non autem stare, aut de perficiendis sacerdotii sui partibus laborare. Ex his omnibus, quæ de persona officiisque Christi summatim docuit Apostolus, conficitur summa conclusio Prolepseos in vers. 4. de excellentia personæ officiorúmque ejus; qua via sternitur ad singularem membrorum illius enarrationem. Hujus autem excellentiæ ratio per comparationem demonstratur ab Apostolo, in hunc modum: Cuicumque Deus imposuit nomen, is certè ita est, ut sortitus est a Deo nomen: Christus præstantius nomen Angelis sortitus est, ac proinde ceteris rebus omnibus creatis: Christus igitur tanto præstantior Angelis factus est, quanto excellentius præ illis nomen obtinet. Nomen enim quod Deus imponit non simpliciter vocalem sonum, aut appellationem (ut ita dicamus) titularem denotat, sed rei ipsius naturam, potentiam, actum, atque veritatem. Quapropter hanc propositionem μεταβατικὴν (ut antè diximus) confirmaturus Apostolus, reliquum hoc caput occupat in minoris propositionis confirmatione a natura ejus, officióque Regis; & secundum in hortatione ex eo consectaria, & Scripturæ testimoniis.

Psal. 2.	5 Nam cui dixit Angelorum unquam, Filius meus es tu; ego hodie genui te? ac rursum, Ego ero ei pater, & ipse erit mihi filius?
7 *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*	
1. Chron. 22.	
13 *Is mihi futurus est filius, & ego ei futurus Pater.*	6 Rursum autem, quum inducit primogenitum in orbē terrarum, dixit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.
Psal. 97.	
7 *Adorate eum omnes dii.*	

PRolepseos antecedentis summa est (ut proximè attigimus) Dominum Jesum Christum, secundùm personam & officia sua, rebus creatis omnibus antestare. Hanc deinceps Apostolus per partes explicat a substantia & usu ipsius: quorum prius 9. cap. ad cap. 10. 19. usque: posterius reliquis exponitur: Ac primùm quidem personæ dignitatem, id est, substantiam asserit cap. 1. & 2. a natura, officióq; & regali dignitate ejus: deinde verò ab officiorum reliquorum amplitudine: quorum veritatem demonstrat ordine, & probat; prophetiæ quidem, cap. 3. & 4. sacerdotii verò, sequentibus. Personæ autem regiæ præstantiam toto hoc capite ostendit secundùm naturam divinam ipsius; deinde verò secundùm humanam, cap. 2. per comparationem ipsius cum Angelis: quia illud necessario ex eo consequitur, si Christum Angelis pręstare vincimus, & Angeli rebus omnibus aliis creatis præstant, omnino Christum omnibus rebus creatis præstantiorem esse. Hujus verò institutæ comparationis in hoc capite, tres ab Apostolo ponuntur loci. Primus est a natura Christi: secundus ab officio & operibus: tertius a gloria; in quam supra res omnes creatas evectus est. Personam Christi natura sua Angelis & per consequens rebus omnibus creatis anteponendam esse probat Apostolus ab authoritate Dei Patris: quod tribus modis in Scriptura Christum Angelis præstare docuerit, nempe genitura, promissione, & mandato suo. Genituram primo loco, promissionē

secundo, mandatum tertio Apostolus paucis complexus est. Duplex autem genitura est: una hypostaseως, quà persona Patris gignit personam filii, ab æterno: altera φανερώσεως, quà sermo factus est caro, & Deus in carne conspicuus. Utramque genituram David in Psal.2. attigit, & Christus ipse per os Davidis professus est, dicens: *Narrabo ad decretum, vel ex decreto Jehovæ*, id est, Dei Patris; qui interpretem instituit filium in sinu ipsius considentem. *Dixit mihi, filius meus es tu*, &c. quemadmodum hunc Psalmi 2. locum accipi oportere, docuimus suprà lib.1. Parall.95, Promissione, quam Deus Pater fecisse filio in Scripturis dicitur, Christum præstare Angelis & rebus creatis omnibus ostendit Apostolus, his verbis, *Ego ero ei pater, & ipse mihi filius futurus est*: cujus promissionis hæc sententia est, Deum quidem res creatas nonnullas interdum honore tanto afficere, ut eas donet filiorum nomine; quemadmodum Angelos & homines pios in Scripturis interdum constat filios Dei appellari. Sed neminem esse qui filius Dei dicatur, cum hac promissione & prærogativa, quòd Deus nunquam non fuerit & sit ei futurus pater, & ille nunquam non patris filius. Quid ita? quia hic filius natura est; illi autem gratia: hic in se filius est patris, illi in Christo: hic ante tempora, illi in tempore: ac proinde huic a natura & in se competit magnifica illa patris promissio, quæ non potest ad alios dimanare, nisi per beneficium & adoptionem Christi. Neque obstat, quòd hæc verba Davidi enunciata sunt, quum de ædificatione templi Jerosolymitani cogitaret. Nam primùm etsi de Solomone, successore proximè futuro, David propriè ac primum cogitabat; Deus tamen promissionem suam in eo noluit conquiescere; sed spiritualem æternámque adjecit, ut paternam suam benevolentiam ampliùs explicaret. Deinde verò non est credibile pium illum Dei servum de illo filio solum cogitasse, sed ad promissiones ampliores quoque respexisse. Tertiò, eam fuisse Dei mentem in promissionibus illis docent adjuncta pleraque, ut quæ nullo pacto ad Solomonem, aut ullum alium ex posteris Davidis pertinere possint: quod ipsi etiam Judæi confitentur. Postremò etiam David singularem Dei beneficentiam, accepta illa promissione, singulari gratiarum actione prædicat 2.Sam.7.& 1.Chron.17. ubi nominatim agnoscit omnium promissionum Dei complementum esse in Christo positum; quem verbum vel sermonem & servum illius vocat. Restat tertius locus, mandatum gloriæ, quam Deus Pater Domino Jesu Christo tribui imperavit; de qua sententiæ autorum variant. Nam Patres (ut videre est apud Epiphanium contra Ariomanitas, & in sermone anchorato) hunc locum ex verbis Mosis, Deut.32. petitum esse putaverunt: alii verò ad illa verba referunt, quæ habentur Psalm.97. Ac prior quidem locus apud Mosen (prout a Patribus adduci solet) in Hebræo contextu minimè legitur; sed in hunc modum habet Græcorum inter-
Deut.32.42. pretatio: εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Inde sancti illi & orthodoxi Patres hæc Apostoli verba putarunt desumta esse: verùm, ut nihil de loco illo dicamus, qui nusquam (si benè memini) in Mose exstat, non videtur ex hoc loco depromi potuisse; quia non est ita evidens illa de Christo circumstantia, quam certo consilio Apostolus hoc in loco attigit, dicens: Hæc a Deo Patre pronunciari, *quum inducit primogenitum in orbem terrarum.* Non enim videtur ejusmodi esse Mosis eo in loco argumentum. Quapropter eorum sententia mihi probatur magis, qui hæc verba ex illo Psalmo

deduxerunt;

deduxerunt; quem in Parallelo diagrammate nostro posuimus. Etenim revera totum Psalmi illius argumentum est, ut filius Dei Patris primogenitus, quum in orbem ab ipso introducitur, agnoscatur a rebus creatis omnibus. Nam primùm gloriam illius adventantis Propheta exponit, sex versibus; deinde verò rerum creatarum omnium declarat officium ad adventum illius; nempè, ut erubescant dissipentúrque omnes, qui obsistunt gloriæ illius; contrà verò agnoscant & profiteantur eam, quicunque student glorificare Deum, primùm quidem Angeli versu 7. deinde verò Ecclesia, versu 8. quæ duo membra reliquis versibus illustrantur. Optimè ergò locus ille in hanc sententiam ab Apostolo adducitur. Neque est, cur magnopere laboretur de eo quòd Hebræum verbum redditur verbo προσκυνεῖν, aut quòd nomen Dei adjicitur. Nam illud ex usu communi factum est: hoc verò διακριτικῶς adjecit Apostolus, ut evidentiorem faceret loci illius interpretationem. Quæ res non vitio, sed laudi vertenda est; ut quæ sit utilis institutioni nostræ, & Prophetici sermonis demonstret interpretationem.

Psal.104.

4 *Qui angelos suos facit Spiritus, & ministros suos ignem flammantem.*

Psal.45.

7 *Thronus tuus, ô Deus in seculum & sempiternum; sceptrum rectum, sceptrum regni tui.*

8 *Dilexisti justitiam, & odisti improbitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.*

Psal.102.

26 *Primùm terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cœli.*

27 *Ista peribunt, tu autem permanes, & omnia ista ut vestimentum veterascent; ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur:*

28 *Tu verò idem es, & anni tui non deficient.*

7 Ac de angelis quidem dicit: Qui suos angelos facit spiritus, & ministros suos ignis flammam.

8 De filio verò: Thronus tuus ô Deus, in seculum seculi; virga recti, virga regni tui.

9 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præter consortes tuos.

10 Et: Tu in initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.

11 Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes ut vestimentum veterascent.

12 Ac velut amictû circumvolves eos, & mutabuntur: tu verò idem es, & anni tui non deficient.

HIc secundus est institutæ comparationis locus, quem ab officio operibúsque sumtum esse antè docuimus. Summa igitur est, Christum Angelis eo præstantiorem esse, quòd Angeli creaturæ sunt: Christus verò minimè omnium dici creatura potest, quà creavit omnia, ut qui verus & æternus Deus est cum Patre & Spiritu sancto in unitate essentiæ. Hoc autem per locorum Scripturæ oppositionem demonstratur duobus modis, jure & opere: qui modi breviùs quidem atque obscuriùs de Angelis prædicantur, versu 7. sed clariùs ac evidentiùs ex antithesi sequente colligendi sunt; ubi personæ Christi primùm quidem jus æternum, versu 8. & 9. deinde verò opus creationis in principio temporis factum tribuitur, versu 10. & sequentibus. Primùm autem in loco de Angelis observandum est, conditionem illorum duobus modis a Propheta declarari: tum creaturas esse a

Deo factas quum dicit: *Qui facit Angelos*,&c.tum verò velut creaturas Dei,jure & opere, quacunque dignitate sint,Deo ministrare, quum dicit, *Angelos sive nuntios & administros ipsius* esse : Nec eos vulgares administros,aut humano judicio contemnendos; sed purissimos, simplicissimos,& velocissimos : prout est conditio Spirituum expeditissima omnium, inter eas res quæ sensum oculorum nostrorum fugiunt; & in aspectabilibus, natura flammantis ignis. Non sum nescius aliter vulgò versum hunc explicari; sed pro certo habeo, si quis ad Davidis argumentum & Apostoli interpretationem propiùs attenderit, fore ut hæc germana comperiatur interpretatio. Etenim David in eo Psalmo de operibus creationis loquitur,priore parte illius;ac proinde qui de ventis aut de flamma ignis versum illum accipiunt,frigidiore utuntur interpretatione : Non enim id sentiebat David, Deum ventis aut flamma ignis pro Angelis & administris uti: sed contrà hæc vera est ipsius prædicatio, Deum Angelorum esse opificem; quorum ministerio, ut suarum creaturarum utitur; eósq; ad ministerium istud esse omnium longè commodissimos, tamquam naturæ spiritualis & igneæ. Neque aberrat ab eo sensu Apostolus; qui propterea hanc interpretationem demonstraturus articulum Græcum adhibuit illis duabus vocibus, τὺς ἀγγέλυς, ϗ τὺς λειτυργὺς, ut has voces (si versum dissolveris analyticè) statuamus subjecti loco, intelligamúsq; Deum fecisse Angelos Spiritus & ministros suos, non autem illud, quod vulgò dicitur, Deum ventis & igne pro Angelis & ministris uti. Illud autem membrum de Angelis, quod paulo videtur obscurius,optimè illustrat antitheti sequentis comparatio ; ubi primùm quidem de autoritate Christi, ex Psal.45. deinde verò de opere ex Psal.102.dicitur.Nam autoritatem demonstrant hęc, prout a Propheta ordine recensentur : Primùm, natura,secundùm quã Deus est cum Patre & Spiritu sancto in unitate essentiæ: Secundò,qualitates ejus autoritatis quam modò diximus,nempe æternitas,& justitia integerrima : Tertiò efficiens causa,nempe Deus Pater, qui propterea Christum unxisse dicitur,& donis instruxisse,quę sunt opus ad illam ipsam autoritatem in æternum justè occupandam.Quòd si fortè Judæorum pertinacia cõtenderit,non esse hæc verba interpretanda de Christo, cùm disertè Psaltes de Schelomonis conjugio eo in Psalmo agere videatur : responsio facilis est,quam antè sæpè ostendimus : propriè de Christo Psalmum illum accipi oportere,Schelomoni verò typicè ab iis qui volunt accommodari, sed singulos fermè versus habere, quæ de Schelomone commodè nemo interpretari possit. Cur autem? nempe quia typus fuit Schelomo, & de eo dicuntur typicè, quæ propriè non nisi de Christo prædicari possunt. Deinde,quid ad Ecclesiam Dei,conjugium Schelomonis in sacris illius cœtibus celebrari? & hoc quoque tempore celebrari,prout postulat inscriptio? certè cùm Deus sit autor, & conscribendi Psalmi, & in Ecclesia tradendi, & canendi in cœtibus sacris illius atque exponendi; non possumus bona fide, quin Psalmum de æterno,ac non temporali; Christi, ac non Salomonis conjugio cum Ecclesia accipiamus: quod conjugium solum est Ecclesiæ Dei salutare, & post omnem hominum memoriam celebrandum ab ea religiosissimè. Alter locus,ubi de operibus Christi agitur,est evidentissimus. Nam operum quę inde a creatione exstiterunt,principium & finis a Propheta exponitur : Christus verò ante principium eorum fuisse dicitur, & post finem eorum permansurus esse. Utriusque verò,principii inquam

&

& finis, caussa propriè Christo tribuitur: principii quidem, quòd ipse fundarit terram, cœlos fecerit, &c. Finis verò, quòd ipse velut amictum eas res circumvoluturus est, & quasi in suum chaos reducturus. Ex quibus omnibus manifestè constat, Jesum Christum jure & opere res omnes creatas, adeóque Angelos ipsos, omnibus numeris superare.

Psal. 110.
1 *Sede ad dexteram meam, usque dum disposuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

13 Cui Angelorum dixit unquam; Sede a dexteris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?
14 Nónne omnes sunt Spiritus ministratorii? qui ad ministerium mittuntur propter eos, qui heredes salutis futuri sunt?

TErtius hic locus est institutæ comparationis inter Christum & Angelos, ex quo præstantia Christi asseritur, nempe a gloria ipsius. Est autem hic locus sumtus ab autoritate Dei Patris alloquentis filium, gloriámque præsentem & futuram ei tribuentis: qualem nullus Angelus, nedum alia creatura ulla, unquam a Deo vel minima significatione sibi oblatam esse confirmaverit. Præsentis gloriæ est, quòd Pater dicit filio, *Sede ad dexteram meam*, id est, regnum illud æternum jam jam obtine, & administrationem ejus tibi commissam habe. Futuræ verò gloriæ est, quum promittit Pater se *positurum inimicos filii pro scabello pedum ejus*, id est, omnia subjecturum sub pedibus ejus, ut idem posteà loquitur: etsi hæc quoque pars in dies completur mirifica potentia Dei. Huic igitur gloriæ opponitur conditio Angelorum; qui etsi gloriosi sunt suo modo, tamen a gloria Christi absunt quàm longissimè: tum quia vocatione Dei Spiritus sunt ministratorii, tum quia ministerium ipsorum non solùm propter gloriam Dei constitutum est, sed etiam iis addictum & destinatum per voluntatem Dei, qui hereditatem salutis percepturi sunt in Christo Jesu: qua ratione optimè dixeris Angelos & Christo ipsi, & minimo cuique ipsius membro ministrare: tantum abest, ut regnent illi, & inimicos suos pro scabello pedum suorum sibi habituri sint.

Caput Secundum.

1 Propterea oportet nos eo magis attendere iis quæ audita sunt, ne quando perfluamus.
2 Nam, si sermo qui per Angelos dictus est fuit firmus, omnísque transgressio & contumacia recepit justam retributionem mercedis;
3 Quomodo nos effugiemus, si tantam salutem neglexerimus? quæ primùm cœpit per ipsum Dominum enarrari, & ab iis qui audiverunt *allata* ad nos, fuit confirmata;
4 Unà testimonium illis præbente Deo & signis, & prodigiis, variísque virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, secundùm voluntatem ipsius.
5 Non enim Angelis subjecit mundum illum futurum de quo loquimur.

Psal. 8.	
5 *Quid est homo, quòd memor sis ejus; aut filius hominis, quòd visites eum?*	6 Testatus est autem quidam alicubi, dicens: Quid est homo, quòd memor sis ejus; aut filius hominis, quòd visites eum?
6 *Fecisti eum inferiorem paulisper Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*	7 Fecisti eum paulisper inferiorem Angelis, gloria & honore coronasti eum.
8 *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*	7 Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus.

HActenus probavit Apostolus ex autoritate Scripturæ, & Angelicæ naturæ cum Christo comparatione, quanta sit præstantia Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, prout verus Deus est cum Patre & Spiritu sancto. Sed quoniam idem quoq; est verus homo in unitate personæ, Mediator inter Deum & homines, ad quem regnũ aliáque salutaria illa officia pertinent, de quibus deinceps Apostolus instituit dicere: secundùm illud restat, ut hujus ipsius personæ dignitas secundùm naturam humanam confirmetur. Antequàm verò ad dignitatis hujus narrationem demonstrationémque transeat, interserit Apostolus sapientissimè hortationis & doctrinæ locum, de usu cognitionis illius Christi, & de officio nostro erga eum κατὰ παρέκβασιν, quem tanta præstantia & dignitate præditum esse novimus; ut sit hæc hortatio ad alterum dignitatis caput μεταβατική. Hic usus ergò officiúmque nostrum quatuor versibus primis exponitur; reliquo autem capite confirmatur dignitas Christi etiam secundùm naturam humanam ipsius, partim autoritate evidentissima, partímque rationibus ex Scriptura sumtis. Est autem usus officiúmque nostrum in eo positum, ut illius, quem tanta præstantia instructum esse novimus, verbum hauriamus, contineamus, atque obsequamur ei, pro certo habentes eam esse voluntatem Dei. Atque hæc quidem propositio continetur versu primo, & omni obscuritate caret; illustratur verò tribus sequentibus, posita eadem comparatione quam in superiore capite adhibuerat Apostolus, ut dignitatem & præstantiam Christi eo magnificentiùs eveheret. Sic enim argumentatur per comparationem minoris: Quo quis potentior est, eo firmior est ipsius sermo; & omnis transgressio atque contumacia eo certiorem justiorémque retributionem reportatura est: Firmior autem est hujus sermo sermone illorum Angelorum de quibus antè loquutus est. Ergò certior retributio futura est, & eo justior, quo injustiores sunt qui sermonem Domini contemnunt, quàm qui servorum ejus. Nam etsi ipse quoque servorum & Angelorum sermo non alius est quam Dei & Domini sermo, ac proinde respectu Domini æquè hic ac ille certus est: tamen respectu loquentis immediatè Dei, gravior eorum est impietas quæ Dominum ipsum immediatè, quàm qui mediatè in servis ejus respuunt; ut Christus Agricolarum parabola & filii heredísque, Matthæi 21. demonstravit. Novimus quidem prius illud membrum comparationis de sermone per Angelos dicto vulgò referri ad Legem, quam ab Angelis fuisse datam plerique tradiderunt, decepti specie aliqua locorum Actor. 7. & Galat. 3. quos antè explicavimus: sed non dubito, si quis ad germanam locorum illorum interpretationem

terpretationem & hanc quoque argumentationem volet attendere, quin facilè fit descensurus in sententiam meam: nempe neque illic dici quòd Legem Angeli tradiderint, neque hic Legis comparationem fieri aut Angelorum, tamquam Legem Dei tradentium; sed tantùm comparationem institutam esse eorum sermonum & revelationum, quas Angeli ex mandato Dei patribus olim exponebant, cum eo sermone Euangelii, quem Christus docuit & prædicavit coràm, signísque miraculosis confirmavit. Qua propter etiam visum est Apostolo, quum agit de sermone Christi, totidem fermè pondera verborum addere, quot voces positę sunt in propositione sermonis illius, versu 3.& 4. Ac prius quidem institutæ comparationis membrum duobus nominibus commendat dignitatem sermonis, quem olim Angeli pronunciabant; nempe a veritate ipsius constantissima, & ab eventu, quem homines contumaces nulla vi aut arte unquam potuerunt effugere, 2. vers. Posterius verò longè plura habet ad commendationem sermonis, quem Christus habuit, documenta. Nam postquàm retributionem contumaciæ Apostolus his verbis expressit ἐμφατικῶς, *Quomodo nos effugiemus*? illico prętantiam hujus sermonis asserit, primùm quidem a natura; deinde a mediis; tertiò ab Adjunctis, a quibus nunquam hic sermo nudus aut destitutus est. Naturam hujus sermonis perstringit Apostolus a fine & amplitudine ipsius, quum *salutem* nominat, & quidem *salutem tantam*. Est enim Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti. Media, quorum opera visum est Deo & Patri hoc salutis verbum humano generi exponere, ponuntur (ut ego quidem sentio) duo; ut vulgus Interpretum, tria. Unum, idque præcipuum & singulare est, *Dominus* noster & Propheta Christus, de quo præcepit Pater, dicendo: *Hunc audite*. Alterum est (ut Jureconsultorum voce utamur) fideicommissum; nempe quod Christus, ὁ ἀρχιποιμὴν, servis suis & Apostolis credidit, & Ministerio illorum in Ecclesia propagavit. Prius significavit Apostolus, dicens *cœpisse hanc salutem primùm enarrari per Dominum ipsum*: Posterius, quum ait, *fuisse apud nos confirmatum ab iis qui ipsum audiverant*; nempe quum primùm cœpisset per Dominum ipsum enarrari. Adjuncta, ex quibus sermonis a Christo pronunciati dignitas ostéditur in versu 4. conclusit Apostolus, quum primùm quidem operationes divinas appellat testes hujus salutaris verbi; nam eæ indicantur *signorum & prodigiorum* appellatione: Deinde administrationes & dona singularia varietate, sanctitate, evidentia Spiritus, & virtute admirabilia. Quorum admirabilitas eo clariùs in omnium oculis fuit exposita, quod distributiones rerum istarum factæ sunt non ex humano studio aut opinione; sed ex voluntate Dei singula providentissimè dispensantis, & tanto ordine ac sapientia, ut vel cæcissimus quisque videre potuerit hunc Dei digitum esse, ut Christus ipse affirmavit Lucæ 11. 20. Ceterùm (ut illud in transcursu dicamus) non videtur judicio meo alicujus momenti esse eorum argumentatio, qui ex hujus loci interpretatione student confirmare, non esse hanc Epistolam a Paulo Apostolo conscriptam; sed ab aliquo ipsius aliorúmque Apostolorum discipulo. Sic enim argumentantur: Quisquis hanc Epistolam scripsit, is de verbo salutis confirmatus est ab iis qui Christum audiverant: id est, non Christi ipsius immediatè fuit discipulus, sed Apostolorum Christi: Fuit autem Paulus a Christo ipso institutus atque confirmatus: Est igitur hæc Epistola alterius, quisquis tandem ille fuerit, non autem Pauli Apostoli.

Nam hujus argumentationis Major, ut vocant, propositio tribus modis refelli potest. I. Quòd membra in hoc sermone conjuncta dividuntur, cùm utrumque dicatur, & sermonem a Domino fuisse enarratum, & ab iis qui audierant confirmatum; quæ duo membra etiam ipsi Paulo in primo vocationis suæ momento contigerunt, tum audito sermone a Domino è cœlis, tum confirmato ab Anania, ad quem Paulus Dei mandato ablegatus est. Secundò, quòd (ut illud mittamus) etsi Apostoli acceperunt a Domino eam doctrinam quam tradebant Ecclesiis; alii tamen aliorum ministerio atque συνεργείᾳ in sua functione confirmati sunt, & divinis operationibus suæ fratrumque administrationi accedentibus, pro voluntate Dei in dies stabiliti sunt in gratia, & veritate illius in eamdem imaginem Domini transformati ex gloria in gloriam, sive per gradus, & (ut vulgus loquitur) successivè, 2. Cor. 3. 18 Postremò ut demus ea non ita sese habuisse; tamen non id necessario, quod volunt confecturi essent; quia a loquutione figurata ad propriam dicerentur transire. Nam etiam Apostoli synecdochicè non raro ita loquuti sunt, ut quod de majore parte dicitur, illud tamquam de se conjunctim prædicarent: cujus rei exempla exstant quàm plurima apud Jeremiam. Et non est obscurus sermo ille Pauli 1. Thes. 4. Nos vivi, qui reliqui erimus in adventu Domini, non præveniemus eos qui obdormierint; & altero pòst versu, Nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum illis in nubes in occursum Domini, &c. Huic exhortationi subjicit Apostolus confirmationem de dignitate personæ Christi secundùm naturam humanam ipsius, reliquo capite, ut antè dicebamus; ad quam transit κατ' ἀνθυποφορὰν occupatione quadam, quæ argumento conjuncta est planè cum ultimo versu antecedentis capitis. Dixerat enim Christi regnum esse, Angelos verò Spiritus esse ministratorios, qui ad ministerium mittuntur, propter eos qui heredes salutis in mundo illo futuro, id est, in Regno Dei futuri sunt. Poterant autem Hebræi objicere; Si Deus ne Angelis quidem mundum illum futurum subjecit, quomodo homini subjecerit; qui cum electis Angelis natura, sanctitate, dignitate, rebúsque ceteris minimè comparandus est? Hanc objectionem occupat Apostolus versu 5. per negationem, dicens: *Non enim Angelis subjecit Mundum illum futurum, de quo loquimur*; sed illi ipsi vero homini, quem Dominum heredémque omnium a Deo Patre fuisse constitutum antè affirmavimus versu 2. capitis 1. & tertio versu proximè præcedente. Hujus autem Propositionis ἀναίρεσιν quidem enunciavit Apostolus in 5. versu sive Negativam (ut vocant;) θέσιν verò sive affirmativam reticet, quia tum ex capite 1. & hujus cap. vers. 3. (cujus rationem deinceps explicat) facilè intelligitur, tum verò, quia sequentia proximè verba ostendunt luculenter contrariam affirmationem subintelligi oportere: tamquam si dicentibus Hebræis, Cui ergò mundum illum subjecit Deus? Responderet Prophetæ verbis, vel potiùs Dei ipsius per Prophetam: *Hoc testatus est quidam dicens, quid est homo*, &c. Sic objectionem illam quam versu 5. occupaverat, Dei authoritate solvit versu 6. & duobus sequentibus: Deinde verò locum illum ad solutionis evidentiam explicat, reliquo capite. Locus autem qui ad propositionis hujus confirmationem adducitur, ex Psalm. 8. sumtus est: etsi Davidis nomen reticet Apostolus, non eo consilio ut nomen Davidis fugiat, aut Psalmum ab eo scriptum fuisse neget (hoc enim ex ejus inscriptione constat) sed potiùs ut eo demonstret eviden-

tiùs se nolle superstitiosè hærere in vocibus ad unam exprimendis: cùm satis esse videretur locum indicari, & ea huc afferri ex eo Psalmo, quæ ad præsentem causam pertinebant. Atque hunc quidem locum ad quæstionem institutam propriè pertinere ut credam, facit Apostoli hoc in loco, & 1. Cor. 15. authoritas, verumtamen quia variat Interpretum de hac re sententia: age, expendamus, quænam sententia & illi Psalmo, & huic quoque loco sit omnium convenientissima. Animadverto igitur illum 8. Psalmum in tria distrahi interpretationum genera. Primum eorum est, qui Dei magnificentiam prædicari statuunt ab iis dotibus quas in homines creatione contulit Dominus. Secundum, eorum qui gloriam Dei similiter prędicari putant eorum bonorum nomine, quæ Deus in omnes homines universè contulit, ex quo redemtionem & instaurationem in Christo assequuti sunt. Tertium denique eorum qui propriè quidem prædicari Dei magnificentiam statuunt in Christo explicatam, sed ita ut per consequens a Christo dimanet in universum humanum genus effectus gloriæ & magnificentiæ illius. Primam interpretationem ut simpliciter probemus, vetat ipsum orationis genus & circumstantiæ. Orationis: quia Propheta in eodem Psalmo agit de gloria supercælesti, id est, non naturali, sed supernaturali & divina in homine patefacta, vers. 2. quia eamdem gloriam supercęlestē esse explicat instituta comparatione, versu 4. & 5. & quia universam Christi historiam proponit evidentissimè, versu 5. 6. & 7. Circumstantiæ verò, quia Psalmum hunc ita conscripsit David, ut apertè ostendat Psalmum illú, non solùm de tempore creationis enunciari, sed de universo tempore Ecclesiæ agentis in his terris; cui hic Psalmus, teste inscriptione, datus est per Spiritum Dei, ut omni temporé quasi in rem præsentem veniens, & in oculis ferens Dei magnificentiam, indesinenter celebraret eam. Non enim dicit, *quàm magnificum fuit* nomen tuum, &c. sed, *quàm magnificum est*, non, in hac terra, sed, *in universa terra*, ut totum Ecclesię tempus æquè sub Euangelio atque sub Lege ostenderet. Secundum interpretationis genus iisdem causis refellimus fermè, quas modò in primum adduximus. Nam tam huic quàm illi explicationi & orationis genus, & circumstantię adversantur, si quis rem penitiùs introspexerit. Hæc enim duo apertè ostendunt, non agi de gloria Electorum communi in ipsis, sed potiùs de gloria propria unius hominis alicujus, cujus gloriæ effectus sit, hominum reliquorum gloria: id est, de gloria (ut ita dicamus) οὐσιώδει personæ, non autem speciei communi per μετάδοσιν, vel communicationem cum universa specie. Restat igitur tertium interpretationis genus: nempe ex eo Psalmo Jehovę Domini nostri magnificentiam in universa terra sic explicatam esse, ut in ea Majestatem supercælestem exposuerit humano generi: idque inde a primo ortu singulorum individuorum in genere humano testatum fieri: quæ magnificentia tanta sit, ut cœlorum & totius exercitus in cœlis magnificentia nihil ad hanc planè dicenda sit. Atq; hęc primis 4. versibus. Eam verò magnificentiam in Christo homine, vel Deo patefacto in carne, esse spectatissimam: prout secundi hujus membri in Psalm. 8. positi verba hoc loco adducuntur. Hanc enim magnificentiam a Deo Patre in Christo Jesu (qui verus Deus est & verus homo in unitate personæ) fuisse potentissimè divinéque explicatam, in Christo, inquam, secundùm naturam humanam ipsius, 1. assumtione illius in unitatem personę, quo respectu etiā *homo* appellatur, & θεάνθρωπος Christus 2. Memoria

moria & inspectione, id est, paterno studio & procuratione Dei Patris erga filium dilectionis suæ, versu 5. Tertiò, ab officiis adjunctis in hac persona consequutis secundùm naturam humanam per inspectionem Dei Patris, & œconomiam nobis salutarem; nempe abjectione, gloria, vocatione & effectis ejus, quę omnia Psaltes ordine persecutus est. Nā recordationem & inspectionem paternam Dei Psaltes versu 5. proposuit, quam hic Apostolus in 6 versu repetit: abjectionem, mortem, & gloriam ex resurrectione, quam Psaltes in versu 6. recensuit, hic refert versu 7. vocationem denique & effecta, sequentibus eodem ordine. Atque his rebus omnibus non evertitur, sed omnino contrà stabilitur Dei gloria, in electis omnibus μεταδοτικῶς sive per communicationem in Christo & per Christum a Patre exposita.

8 Nam eo quod ipsi subjecit omnia, nihil omisit quod non sit subjectum ipsi. At nunc nondum videmus ipsi omnia illa subjecta esse.

9 Sed Jesum illum videmus, qui paulisper fuit Angelis inferior factus propter perpessionem mortis, gloria & honore coronatum, ut pro omnibus mortem gustaret per gratiam Dei.

10 Decebat enim, ut ipse propter quem sunt illa omnia, & per quem sunt illa omnia, multos filios in gloriam adducentem principem salutis ipsorum per afflictiones consecraret.

11 Nam & qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes: quam ob causam non erubescit ipsos vocare fratres.

Psal. 22.

23 *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in Ecclesia laudabo te.*

Psal. 18.

3 *Recipiam me ad ipsum.*

Esai. 8.

19 *Ecce me & natos istos, quos dedit mihi Jehova.*

12 Dicens; Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in Ecclesia hymnis celebrabo te.

13 Et iterum, Ego fretus ero ipso: ac rursum, Ecce me & pueros, quos mihi dedit Deus.

QUum superiore capite dixisset Apostolus Electos heredes fore venturi seculi; & Jesum Christum, in tertio versu capitis hujus, Dominum esse mundi illius futuri cujus heredes illi futuri sunt, communione & beneficio ejus: hanc Propositionem suam authoritate Scripturæ modò confirmavit ex libro Psalmorum. Sed quia locus ille vocari in controversiam ab imperitis aut iniquis adversariis poterat; nunc demum Apostolus instituit loci illius enarrationem, ut ostendat omnino eum accipi in hanc sententiam oportere, nimirum de persona Christi, déque rebus ab eo gestis, & deinceps ampliùs consummandis. Hujus verò enarrationis membra duo sunt ordine ab Apostolo pertractata: Prius est, accommodatio sive applicatio loci præcedentis ad personam Christi, versu 8. & 9. posterius verò applicationis hujus declaratio & confirmatio, sequentibus. Applicationis autem, quam hic instituit Apostolus, cùm omnes loci extra controversiam facilè futuri essent, prętérquam ille postremus de subjectione rerum omnium; propterea ceteris omissis & quasi confessis, postremum hunc locum de subjectione rerum omnium Apostolus inculcavit, & ex signo universali, quod omnia Christo subjecta dicuntur esse, optimè cōcludit, ergo

ergò & mundum illum futurum, de quo loquutus est, sub pedibus ejus a Patre constitutum esse; nec esse quicquam in præsente futurove seculo, quod sit dominationis illius expers. Quamobrem si ei omnia subjecta sunt etiam secundum naturam humanam ejus, & a Patre tradita in manum ejus; ex justissima relationis Lege illum heredem omnium Dominúmque esse constitutum (ut versu 2. & 3. capitis primi, itémque tertio hujus capitis fuit pronunciatum) etiam secundùm naturam humanam ipsius per unionem personalem cum λόγῳ. Sed quia aliud est decretum Dei atque jus illius, aliud decreti & juris exsequutio; quarum rerum confusione fallunt facilè quicunque Christo adversantur, & imperiti falluntur; propterea Apostolus, ubi καθολικὴν Christi dominationem affirmavit, adhibita quadam occupatione, ostendit ex antecedentibus & conjunctis, omnino constare Christo suam illam dominationem, quam Psaltes affirmaverat. Objectio est in his verbis: *At nunc nondum videmus omnia ei subjecta esse*: tamquam si dicerent adversarii; Cui non sunt subjecta omnia, is non potest esse, de quo Psaltes in eo loco prophetavit: At nondum videmus omnia Christo subjecta esse: Is ergo Christus esse non potest. Huic objectioni respondet Apostolus sequente versu, sive (ut meliùs dicamus) occupationi. Respondet autem duobus modis: Primùm non valere argumentationem ab eo quod videtur, ad omne id quod est: non enim continuò sequi; omnia Christo non esse subjecta, si nondum videmus ea subjecta esse. Nam in hoc genere, ut loquuntur vulgò, quatuor esse terminos argumentationis: quod scitè & eleganter demonstrat Apostolus, quum verbo ὁρῶμεν, quod in occupatione posuit 8. versu, opponit βλέπομεν versu 9. quæ duo verba sic inter se differunt, ut videre & cernere. Secundus verò responsionis modus est ab adjunctis, tùm antecedentibus, tùm etiam præsentibus; iisque propriis & inseparabilibus a postrema hac prædicatione, de universali dominatu ejus. Nam, inquit, Apostolus, adjuncta hujus dominationis universalis a Davide proposita sunt, eáque certissima & indubitabilia, ne quis aut mentem ipsius, aut rei veritatem in dubium vocare possit. Adjuncta autem ista posuit David: id est, quòd hominis illius Deus Pater recordatus est & respexit eum: Secundò, quòd fecit eum paulisper inferiorem Angelis: Tertiò, quòd gloria & honore coronavit eum. Quę adjuncta, inquit Apostolus, si de ullo homine probari possunt, is omnino futurus est, quem Deus constituit super opera manuum suarum, & cujus pedibus subjecit omnia. Is autem est Christus, cui hæc omnia adjuncta competunt: Ergò is demum Christus est, & nō alius quispiam, cui omnia subjecta sunt. Nec refert, quòd oculis non videmus complementum: nam satis est, quòd cernimus singuli, quibus oculos aperuit Deus, cernimus, inquam, ex tam multis & propriissimis adjunctis complementum rerum istarum fide. Hanc solutionem proponit Apostolus vers. 9. quum ait, *Sed Jesum illum cernimus*, &c. Qua in solutione commodissimè instituitur adjunctorum antecedentium cum præsentibus comparatio, ut eo luculentiùs demonstretur id quod ait Apostolus 1. Cor. 15. *Oportere eum regnare*, id est, Mediatorium (ut ita loquamur) illud regnum & gubernationem obtinere, usquequò omneis inimicos subjecerit pedibus ejus: ac proinde duo esse tempora, distinctè in persona Christi observanda; prius abjectionis, quam Psaltes ideò priore loco posuit; posteriùs verò gloriæ: quemadmodum etiam Petrus Prophetas fuisse scrutatos dicit ea quæ

nobis

nobis de Christi perpessionibus & gloria illas consequutura in Euangelio exponuntur. Respondet igitur Apostolus priora suo tempore completa esse, nunc verò posteriora, id est, quæ de gloria potentiáque illius David prophetabat, ordine consummari. Nam in rebus prioribus sive antecedentibus numerantur ista, Abjectio vel exinanitio Christi, & finis abjectionis illius. Abjectionem Christi ipsis Prophetæ verbis designat Apostolus, quum dicit, *Christum minorem Angelis fuisse factum*, idque ab hominibus *visum*; nempè quia verbum caro factum, vel Deus in carne factus est conspicuus: ut alibi loquuntur Apostoli. Finem verò exinanitionis istius duplicem profert Apostolus, singularem unum, & communem alterum. Finis singularis est, quòd Christus humanitatem assumsit in unitatem personæ *propter mortis perpessionem*, id est, ut persona illa secundùm id quod Deus est exsistens immortalis, posset mortem oppetere secundùm id quod homo factus est. Communis verò est, qui tamquam fructus ex fine præcedente & singulari nascitur, positus in his verbis, *ut per Dei gratiam gustaret mortem pro omnibus*, id est, ut illa mortis perpessio, quam pertulit Christus secundum humanitatem suam, nobis salutaris esset. Quomodo autem? primùm, quia ipse pro nobis intercedens apud Patrem æternum, factus est peccatum pro nobis, ac proinde peccati nostri damnatus est in similitudine carnis peccati: secundò quia gratia Dei, id est, divina illa virtus quę humanitatem ejus sustentavit in durissimis illis & homini cuivis alioquin ineluctabilibus perpessionibus, illa, inquam, sola vicissim efficacitatem fructúmque mortis illius, pro omnibus a Christo obitę, credentibus applicavit. Hęc igitur omnia velut jam confecta & constituta, cum verbis Davidis optimè comparantur. Sed quia brevis fuit perpessionum istarum decursus, quemadmodum David quoque pronunciaverat; proptereà studiosè Apostolus adverbium illud *paulisper*, ex Psal. 8. repetivit; ut hac ratione emensum eum esse afflictionum tempus, restare verò coronam gloriæ & honoris ostenderet, quam successu temporis Christus magis magísque exhibiturus esset. *Cernimus*, inquit, *illum gloria & honore coronatum*, id est, jamjam evectum ad conditionem summè gloriosam in persona sua, quod Psaltes pronunciaverat: sed nondum tamen in pleno usu & perfectione constitutum illius gloriæ, quę in rebus creatis patefacienda est per communionem ipsius. Summa igitur est; Quod Psaltes dixit, *gloria & honore coronasti eum*, illud jam cōpletum videmus in persona ejus, cùm definitus & declaratus sit filius Dei in potentia per resurrectionem a mortuis secundùm Spiritum sanctitatis ejus, & quàm plurima fratrum corona spectante in cœlum ascenderit, sedeátque nunc ad dexteram majestatis Dei in excelsis. Quod autem sequitur, *omnia subjecisti sub pedibus ejus*, id est, quod dicitur de perfecto & consummato glorioso illius regno in res creatas omnes, in primis verò in Ecclesiam Dei: id nondum cernimus completum; sed in dies suo ordine & gradu a Deo perficitur, & plenè tandem consummabitur adventu ipsius. Itaque si quid ex ea Prophetia nondum completum est, aut nondum videtur esse completum in persona ejus; non continuò sequitur eam Prophetiam inaniter accommodari Christo: sed contrà ex eo quòd multa jam in eo completa sunt, completáque cernimus, omnino conficitur illud quod volumus, Christum eam ipsam Personam esse de qua prophetabat David, & omnia suo ordine in ipso completum iri. Post applicationem præcedentis loci, sequitur explicatio & confirmatio

confirmatio illius: in qua 1. Dei Patris recordatio de eo atq; inspectio, 2. personæ conditio officiorúmque ejus exponitur. Ac primùm quidem expositio generatim proponitur in vers. 10. deinde verò duo illi loci ordine confirmantur; de persona & officio regali Jesu Christi reliquis. Expositio autem hæc, non solùm ad eum locum respicit cujus prolata est modò authoritas; verum etiam ad propositionem illam authoritate confirmatam, Quòd Deus non Angelis mundum illum futurum, sed homini subjecerit. Utrumque igitur, propositionem inquam & confirmationem ab authoritate scripturæ exponit Apostolus, sumta argumentatione a natura Dei, in hunc modum: Quicquid Deus agit in explicanda justitia & misericordia sua, agit sapientissimè & ex decoro: Deus autem ad explicandam justitiam & misericordiam suam per afflictiones eum hominem consecravit, cui mundum futurum subjecit, atque adeò omnia sub pedibus ejus: Hoc igitur decuit Deum, ut filium suum paulisper inferiorem Angelis faceret, & ad mortem traderet, antequàm omnia sub pedibus ipsius subjiceret. Sensus igitur est, per verum hominem principium salutis humanæ & gloriam, quæ salutis est complementum, fuisse humano generi comparandam, & quidem comparandam perpessionibus: neque decuisse Deum ut salus & gloria homini aliter conciliaretur. Itaque partes hujus expositionis sunt duæ: quarum una subjectum est (ut vocant) nempe Filium Dei verum hominem, principem salutis nostræ multos filios in gloriam adducentem, per afflictiones a Deo Patre consecratum esse: altera prædicatum est, decuisse Patrem, propter quem sunt hæc omnia, & per quē sunt hæc omnia, ut filium daret, corpus aptaret ei, & consecraret eum perpessionibus. Tria igitur distinctè de Filio Dei, vero Deo veróque homine in unitate personæ, proponuntur. Primum, quòd princeps vel caput est & autor salutis nostræ: secundum, quòd ejusdem salutis consummator est, multos filios adducens ad æternam gloriam, ut infrà 12, 2. Tertium modum salutis hujus conferendæ & gloriæ consummandæ hunc fuisse, quòd Pater ipsum afflictionibus consecraverit, id est, cùm pœnas peccatorum nostrorū ab ipso exegerit, tum justitiam obedientiæ illius comprobaverit atque acceperit, qua justi in ipso efficimur solo merito ipsius. De Patre verò prædicantur duo: unum, ipsum esse causam efficientem & finalem rerum istarum omnium, id est, ab ipso, ut fonte, profluere; & ad ipsum, tamquam summum bonum, referri atque confluere: secundum, quòd ipsum decuerit hujusmodi dispositio & œconomia ad procurationem salutis nostræ. Id autem non est temerè prætereundum, quòd etsi potuit Apostolus dicere, justum fuisse aut necessarium, ut hæc a Deo Patre sic procurarentur, tamen prætulit verbum *ἔπρεπεν*, quod est decere; ut ostendat Dei majestatem, quæ omnibus modis omnia potest, sic tamen omnia instituisse ad œconomiam salutis nostræ, ut in satisfactione justitiæ suæ, misericordiæ suæ communicatione, potentiæ operatione, sapientiæque declaratione perfectissimè ejus rationem quod decet habuerit: quemadmodum certè eum qui summè justus, misericors, potens & sapiens est, omnino sequitur nihil secus gerere quàm convenit, & decet justitiam, misericordiam, potentiam, & sapientiam suam. Atque in hanc sententiam interpretamur illa verba Christi ad Iohannem Baptistam: *Ita enim decet nos implere omnem justitiam.* Hactenus generalis illa propositionis antecedentis explicatio. Sequitur particularis: in qua personæ descriptio

duplex

duplex proponitur: una est a natura ipsius, altera ab officiis quæ præstitit participata natura nostra, dum in forma servi ambulavit,& adhuc gratiosè præstat. A natura, descriptio his verbis continetur; Et qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt omnes, &c. Ab officiis describitur sequentibus. Ad utrumque autem hunc sermonem transit Apostolus αἰτιολογικῶς, sumta occasione ex illis verbis proxime præcedentibus, *Principem salutis nostræ multos filios ad gloriam adducentem* Jesum Christum esse. Nam hæc verba, *omnia Christo attributa*, universè repetuntur & concluduntur ab Apostolo voce una, quum eumdem nominat ἁγιάζοντα, id est, Principem ejusmodi salutis nostræ, qui sua ipsius sanctitate Deum placaverit, nósque sanctificaverit Spiritu sanctitatis suæ, justificaveritque, ut in communionem gloriæ ipsius perducamur: Hujus verò sanctificantis Christi membrum oppositum secundùm relationem est οἱ ἁγιαζόμενοι, id est, reliqui filii Dei & membra Ecclesiæ, percipientia justitiæ & sanctitatis illius μάλιστα secundùm imputationem, & applicationem, operationémque illius. De his igitur (ut vocant) correlativis prædicat Apostolus omnes ex uno esse: cujus membri multiplex affertur interpretatio. Nam aliis placet vocem ἑνὸς masculino genere accipere, propter consequentia verba Apostoli; tamquam si dixeris, ex uno Patre, quem alii Adamum, alii Deum interpretantur: aliis verò illud ἑνὸς neutrum videtur esse, tamquam si dixeris, ex una re materiáque aliqua; quam materiam posteà exponit Apostolus versu 14. carnis & sanguinis appellatione. Ego verò etsi postremam hanc interpretationem probo omnium maximè; tamen existimo hanc ipsam interpretationem revocandam esse ad ritum legalis ceremoniæ, ad quam Apostolus his duobus versibus respicit, ut ejus complementum in Christo esse demonstraret: Ac proinde non repudio illam interpretationem, quòd omnes ex uno, id est, ex una materia sint; verumtamen haud scio utrùm nomen φυράματος tam benè huic loco aptari possit, quo Apostolus utitur Rom. 11. 16. Nam de hoc ritu sic loquitur Apostolus, ut massam communem statuat unam esse Christi secundùm humanitatem, & nostram omnium: ex ea massa duæ constituuntur partes, Christus primitiæ nostræ sive ἀπαρχαὶ, ad quas respiciens Apostolus Christum ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας appellavit; & multi fratres ad gloriam adducendi sanctificatione ejus. Ex his ergò concludit Apostolus: Communis est analogia inter typum & veritatem ipsius: Typica autem massa una ex lege fuit, sanctificantis & sanctificati panis: Sic ergò in veritate & qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno sunt omnes, id est, ex una massa & secundùm naturam minimè differente. Hujus verò communis naturæ nostræ, quam sermo Dei assumsit in unitatem personæ, confirmationem Apostolus ad explicanda ejus officia transiturus profert ex ipsa Jesu Christi prophetia, qui omnibus modis illam ἑνότητα suæ naturæ cum nostra professus est, & nomine, & actionibus ad naturam hanc nostram pertinentibus. Nomine, puta τῆς ἀδελφότητος sive fraternitatis, quum inquit Apostolus, *quam ob caussam non erubescit fratres ipsos vocare*: Actionibus verò, & functionibus, quia omnes partes veri Prophetæ & Apostoli confessionis nostæ recepit in se, ut mox certis Scripturæ testimoniis confirmatur. Sic artificiosissimè transit Apostolus ad alterum particularis explicationis caput, de officiis Christi eorúmq; effectis, secundùm Davidis prophetiam. Et primùm quidem agit de prophetia, duobus vers. tum de regno, duobus

alteris;

alteris; postremò autem de sacerdotio, ad finem usq; capitis. Sunt autem prophetiæ illius partes ordine tres ab Apostolo expositæ: Prima est functio ipsius erga fratres, & apud fratres suos: secunda interna cōstitutio ejus, nimirum certa πεποίθησις & confidentia in Deo, de universa administratione ipsius conquiescens. Postrema est grata παράστασις, qua se & suos in ipso sanctificatos sistit docendos coram Deo, prout vocavit eos Prophetia ad participationem salutis gloriæque suæ. Atque hæc singula singulis Scripturæ locis ab Apostolo confirmantur. Ac de primo quidem Scripturæ loco non potest facilè oriri dubitatio; cùm ex eo psalmo adducatur, qui propriè simpliciterque de persona, officiis, perpessionibus, gloriáque Domini nostri Jesu Christi a Davide fuit exaratus, & quem propterea prisca Judæorum Ecclesia ante universum Ministerium sacrum in Domo Dei solebat decantare; ut veritatem totius cultus legitimi in Christo exhibendam esse, & se ad Christū tamquam legalium umbrarum corpus respicere, singulis diebus Ecclesia profiteretur; quemadmodum in Matthæum Parallelo 49. indicavimus. De secundo verò ambigi apud interpretes solet quàmplurimùm: propterea quòd alii Psalmum illum Davidi propriè; alii verò aliter tribuendum esse arbitrantur. Sed quia de hujus quoque Psalmi 18. propria & germana intelligentia jam antè in Epistolam ad Romanos lib. 2. Parallelo 27. sententiam nostram exposuimus, certisque (ut confidimus) argumentis Psalmum illum prædicari de Christo ostendimus; supervacaneum fore existimamus, si idem in hunc locum inculcemus, quod in illo, ad hujus & illius quoque loci intelligentiam attulimus. Etsi hic quæstio una ab imperitis moveri potest: nempe, quomodo Christus, qui Deus verus est cum Patre & Spiritu sancto, dicatur fretus esse Patre, fiduciamque suam in eo collocare? Sed facilis ad objectionem hanc responsio futura est, si quis animadverterit non hanc solùm cultus divini partem, sed totum cultum Patri a Filio fuisse exhibitum: ac proinde (ut Cyrilli utamur verbis) eumdem fuisse adorantem, qui adoratur; eumdem glorificantem, qui conglorificatur; eumdem orantem, qui oratur ab Ecclesia ipsius: atque hæc fecisse Christum non secundùm eam naturam simpliciter quà Deus est, sed secundùm personam, quà Redemtor est Ecclesiæ suæ, & intercedit pro nobis apud Patrem: maximè verò secundùm naturam humanam, secundùm quam in mediis suis perpessionibus, quum seipsum Deo & Patri offerret in sacrificium ἱλαστικὸν pro nobis inclamavit Patrem, dicens; *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*: & rursum; *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* Restat locus tertius, cujus interpretationem variis modis tradiderunt Interpretes, & multiplice interpretatione insignem illam Esaiæ prophetiam gravissimis tenebris & obscuritate obruerunt: nos verò (bona omnium venia) sententiam nostram, quàm simplicissimè possumus, afferemus. Primùm igitur ponendum illud est quod antè Parallelo 57. libri primi confirmavimus; nempe, quicquid in capite 8. Esaiæ inde a promissione 10. versus continetur, id totum de Immanuële, id est, Christo redemtore nostro accipi oportere: quemadmodum etiam totius fermè sequentis capitis flagitat consequutio. Id autem ut singuli commodiùs intelligant; videndum nobis est, qua ratione ea omnia quæ in reliquo 8. capite Esaiæ proponuntur, cum illis antecedentibus cohæreant, de quibus antè in Lucam diximus. Postquā igitur Propheta illis afflictionibus, quas in principio capitis prænunciaverat,

verat, quasi medicinam fecit, adjectis Electorum causa magnificentissimis promissionibus salutis Dei in Christo & per Christum obventuræ, si modò desistentes a sua trepidatione Deum sanctificent, & fide amplectantur promissiones ejus de sanctificatione sua & salute a Deo consequenda: Propheta singulare mandatum sibi a Deo fuisse datum quasi ex abrupto narrat, ut quandoquidem non solùm Rex ipse, capite 7. illius Prophetiæ, verum etiam populus, capite 8. eludit promissiones Dei salutares infidelitate sua: ut igitur liget contestationem, & doctrinam consignet inter discipulos suos, ut ea ab ipsis cognita colatur religiosè; popularibus verò obtecta maneat, ne ludificari pergant, versu 16. Hoc autem mandato ita se perculsum fuisse Propheta narrat, videns abscondisse Deum faciem suam a domo Jacobi, ut attonitus hæserit, & observare statuerit si qua fortè spes lucis & gratiæ a Deo emicatura esset, versu 17. Tùm autem ipsi exspectanti & erecto capite observanti respondisse Jehovam: *Ecce ego & nati, quos dedit mihi Jehova*, &c. Respondens autem Jehova est Christus, cui natos dedit Jehova, id est, Deus Pater; quos in numerum filiorum Dei & communionem gratiæ & hæreditatis æternæ adoptaret. Non sum nescius aliter explicari locum; sed tamen confido fore, ut si quis & summam capitis, & narrationis seriem, & genus argumentationis observaverit rem ita se habere deprehendat, ut modò exposuimus. Ac de summa quidem & narrationis serie diximus satis in præcedentibus: Argumentationem verò, etsi non magnoperè ad institutam Apostoli quæstionem facit, paucis demonstrabimus. Attonitus Propheta ad Jehovam respiciebat; eum itaque graviter affectum Deus hac argumentatione erigit: Non est discipulus supra Magistrum, nec servus supra Dominum suum: Tu autem servus Dei & discipulus es: Quamobrem igitur meliore conditione quàm Magister & Dominus tuus futurus esses? Ecce ego, inquit Christus, & quoscumque Deus mihi dedit redimendos & adoptandos, in gloriam filiorum Dei; nónne sumus tamquam signa & ostenta in oculis tuorum popularium? Esto igitur bono animo, & quam injuriam a Magistro Dominóque tuo perferri vides, eamdem subire ne dubita, fretus vocatione tua, & virtute vocantis præsentísque Dei. Optimè ergò hic locus de Christo accipitur, authore Apostolo, & sanctissimè adhibetur ad confirmationem sermonis instituti, & circumscriptionem officiorum Christi, quæ ipsi mandavit Pater ad salutem nostram.

14 Quandoquidem igitur pueri illi fuerunt participes carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps fuit eorumdem, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum:

15 Et hos abalienaret *ab eo*, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti.

16 Non enim videlicet angelos assumturus fuit, sed semen assumturus fuit Abrahæ.

17 Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis Pontifex, in iis quæ apud Deum *geri oportuit* ad expiandum peccata populi.

18 Quòd enim ipse perpessus est quum tentaretur, eo potest iis qui tentantur succurrere.

CUm a descriptione personæ Christi secundùm naturam humanam ipsius, Apostolus per occasionem ad officii Prophetici ejus mentionem commodè transivisset; ut ab officii illius exsequutione demonstraret eum ipsum hominem esse, quem Psaltes multis antè seculis pronunciaverat: nunc eadem planè arte ad reliqua duo Christi officia transit Apostolus, quæ in natura ipsius humana geri oportuisse, & revera fuisse gesta a persona Christi demonstrat paucis. Ars autem μεταβατικὴ, quam una voce modò perstrinximus, in eo posita est, quòd ex proximè præcedente Esaiæ loco materiam transitionis arripit, dicens: *Quandoquidem pueri illi*, quorum Christus Propheta noster apud Esaiam meminit, *participes fuerunt carnis & sanguinis*, id est, ex humana natura constiterunt, *ipse quoque consimiliter particeps eorundem factus est*; tamquam si diceret: Quemadmodum Prophetam Christum inter homines de numero hominum esse oportuit, ita etiam Regem: primùm, quia hoc decuit sapientiam Dei Patris, ut suprà 10. versu dictum est: deinde, quia non alia ratione, nisi perpessionibus & morte, mediator Dei & hominum, in regiam suam potestatem exercendam venire potuit: non fuisset autem moriturus, & quidem pro pueris illis moriturus, nisi natura humana cum illis communicavisset. Hujus porrò Regiæ majestatis, quam Christus in humana natura sua per mortem explicavit, fines sive effecta ponuntur duo: unus, contra potestates salutis nostræ adversantes, quum inquit Apostolus, *ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, id est, Diabolum*: alter pro Electis filiis ad salutem adducendis, quum ait: *ut hos* ipsos filios *abalienaret* a dominatu & tyrannide illius, nempe *quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti*, id est, qui in misera servitute versantes eam perhorrescebant, & mortem peccato suo denunciatam metuentes convertebant sese ad regnum salutare Christi. Atque hæc de regno illius. Sequitur tertius locus explicationis de sacerdotio; ad cujus propositionem transit Apostolus per Epanalepsin illius ipsius sententię, quam antè dixerat versu 5. & quam hactenus confirmavit a descriptione personę & reliquorū officiorum ejus. Dicit enim Apostolus, *non Angelos videlicet assumturus fuit, sed semen Abrahæ fuit assumturus*. Hunc autem versum in hunc modum interpretari malo; quia meliùs respondet instituto Apostoli (ut mihi quidem videtur) & transitio hæc plus authoritatis habet, posito hoc explicationis genere: quemadmodum videmus in antecedentium officiorum aditu Apostolum viam stravisse sibi de industria ex certo aliquo Scripturæ loco. Nec obstat quòd præsens illud verbum, ἐπιλαμβάνεται, diverso modo reddimus dicentes *fuit assumturus*. Nam eo tempore, in eo ipso significationis modo, nec alio fermè ullo tempore Scriptura utitur. Est enim ἐπιλαμβάνεται brevitatis causa dictum, pro eo quod est μέλλει ἐπιλαμβάνεσθαι: quemadmodum Matth. secundo Herodes dicitur percontatus esse a sacerdotibus ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, id est, ubi Christus nasciturus esset: & Lucę primo dicebat Maria Angelo, quomodo erit illud, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω. i. Siquidem virum non sum cognitura? Hæc igitur est sententia Apostoli, totam Scripturam id testari passim quod antè dixit Apostolus, Christum non fuisse assumturum Angelos, id est, naturā Angelorum; sed semen Abrahæ, id est, naturam nostram ex semine Abrahæ secundùm promissiones Dei: ex quibus promissionibus & Scripturæ testimoniis oportuit Christū *per omnia*

hunc partem regij officij Christi plenè ... [handwritten marginal note]

fratribus similem fieri, etiam causa illius sacerdotii, ad quod obeundum a Patre missus est. Hujus autem sacerdotii fines, sive effecta duo similiter constituuntur. Nam postquàm sacerdotis officium generatim his verbis expressum fuit, *ut misericors sit & fidelis Pontifex*, fines duo illius adscribuntur. Prior quidem, ut *in iis quæ apud Deum geri oportuit* misericordiam & fidem suam interponeret *ad expiandum peccata populi* sacrificio suo. Posterior verò, ut in iis quæ apud nos, adeóque erga nos gerenda sunt, *nobis quoque possit succurrere*, qui tentationibus innumeris infesti sumus; quemadmodum ipse tentationibus & perpessionibus suis ad eam rem fuit comparatus: prout capite 4. & 5. ampliùs exponitur.

Caput Tertium.

1 Proinde, fratres sancti vocationis supercælestis participes, considerate Apostolum & Pontificem illum professionis nostræ Christum Jesum esse.

2 Qui fidelis est ei qui *Apostolum & pontificem* fecit ipsum, ut & Moses in tota domo ipsius.

3 Nam tanto ampliore gloria hic præ Mose dignus est habitus, quanto majorem honorem habet domo is qui construxit eam.

4 Omnis enim domus construitur ab aliquo: qui verò construxit hæc omnia, Deus est.

5 Ac Moses quidem fidelis *fuit* in tota domo illius, ut famulus, ad testimonium perhibendum eorum quæ fuerunt dicenda.

6 Christus verò, ut filius, præest domui suę, cujus domus nos sumus: siquidem fiduciam illam & gloriationem fidei firmam ad finem usque retinnerimus.

DIximus antè eam propositionem, quam in ipso vestibulo hujus Epistolæ statuit noster Apostolus, per partes explicari, hoc modo; ut primùm quidem regia personæ dignitas secundùm utramque naturam asseratur, capite primo & secundo: Deinde verò officia illius cetera exponantur, sequentibus. Exposita itaque regali præstantia personæ, & hac velut basi quadam totius argumenti, quod tractaturus est, constituta; tum secundùm naturam divinam capite 1. tum verò secundùm humanam capite proximo; transit Apostolus ad officiorum aliorum quorum causa hæc scriptio instituta est, enarrationem. Hujus autem enarrationis duo sunt loci. Prior est de officiis Prophetæ & Sacerdotis, a Deo Patre imperatis personæ Christi, atque ab ipso susceptis & præstitis ad salutem nostram, ad versum usque 29. capitis decimi. Posterior est de officio nostro, id est, credentium omnium, ex quo officia a Christo præstita sunt, & nos beneficia ab eo percipimus, secundùm gratiam & veritatem officiorum ejus, inde ad versum usque 20. capitis ultimi; ubi conclusio est Epistolæ. Officiorum autem Christi quę deinceps exponit Apostolus, sunt quidem tria genera; nempe quòd unus & idem Christus Propheta, Sacerdos, & Rex noster est: quemadmodum etiam in hac *μεταβάσει* per Apostolum proponuntur: Sed quia non ita laborandũ esse de explicatione regni Christi putavit Apostolus ut de Prophetia & Sacerdotio; & ab ejus præterea demonstratione fundamenta jacta sunt reliquę Epistolę: propterea summatim quidem

quidem trium officiorum in hac μεταβάσει meminit; sed postea demum commorationem instituit in duorum enarratione, puta Prophetiæ illius, cap. 3. & 4. & sacerdotii, sequentibus. Etsi huic posteriori loco quædam aspersit de regno illius, prout ad institutum visum est pertinere. Ad hanc officiorum Christi explicationem transitione utitur Apostolus, per hortationem συμπερασματικὴν, tamquam ex antecedentibus concludens in hunc modum: Quibus frater a Deo datus est Propheta, Rex, & Sacerdos, sanctificationis author, cælestémque vocationem communicans; eos par est ac religiosum ad suum illum fratrem attendere. Ejusmodi autem frater est vobis, ut modò ostendimus; cujus vos fratres estis sancti, cælestisque vocationis participes: Considerate igitur, &c. Hujus transitionis documenta sunt in his verbis: *Proinde, fratres sancti vocationis cœlestis participes.* Propositio verò sequentibus verbis continetur: Primùm quidem generalis, cum ἐργασίᾳ sive exornatione ipsius, ad versum usque 6. deinde verò particularis, sequentibus. Propositionis autem argumentum est, duobus versibus; Exornatio, quatuor sequentibus. Deinde verò partes propositionis illius ordine explicantur: Prophetia, inde a vers. 7. ad finem usque capitis sequentis; deinde suo ordine sacerdotium. Propositionis autem verbis, quibus hortatur Apostolus ut aciem mentis nostræ in Christum Jesum defigamus, membra hæc duo apertè proponuntur singulis vocibus; quum Christus primùm quidem *Apostolus*, id est, nuncius cœlestis illius vocationis a Patre missus; deinde verò *Pontifex*, id est, sacerdos summus professionis nostræ, vel illius fidei & doctrinæ quam profitemur, appellatur. Quia verò in omni functione requiritur fides, neque satis est vocatione instructum esse, nisi fides ad vocationem præstandam accesserit, sive (ut homonymiam vitemus) fidelitas in exequutione ejus: proptereà Apostolus propositionem suam auxit singulari illa determinatione, quòd Christus fidelis est in functione sibi imperata; fidelis, inquam, cùm in referendo docendóque, ut Propheta noster, tum in faciendo & præstando, ut Sacerdos noster; & quidem fidelis, non solùm nobis, quos instituit in sancta illa professione nostra, & qui domus ipsius sumus, sed ei maximè qui constituit ipsum, id est, Deo & Patri. Atque hanc fidelitatem illustrat simili per comparationem Mosis, quum inquit: *fidelis, ut & Moses fuit.* Sed quia simile istud ab imperitis hominibus facilè deflecti poterat πρὸς τὸ ἴσον, id est, sic exponi locus, tamquam si non solùm qualitas administrationis, sed etiam quantitas fidelitatis hujus cum fidelitate illius compararetur, denique per omnia Moses adæquaretur Christo: propterea occurrit Apostolus in exornatione sequente, & docet fuisse quidem utrumque fidelem; sed tamen plurimùm interesse inter hujus & illius administrationem, duobus nominibus primùm, quia opifex præstat operi, vers. 3. & 4. secundò, quia Dominus & heres antecellit domui, vers. 5. & 6. Prioris comparationis hæc forma est: Opifex majorem habet honorem, quàm domus ipsa, ac proinde multo majorem, quàm aliqua domus particula, ut fuit Moses. Christus autem est opifex, & Moses operis particula. Christus ergo ampliore gloria quàm ille dignus est. Assumtionem, quia hæc controverti poterat, hic autor stabilit vers. 4. quùm ex propositione generali, signo universali conjuncta, concludit particularem: Omnis domus, inquit, construitur ab aliquo: Ecclesia est domus Dei: Constructa igitur. Sed cùm Ecclesia sit præstantissimum eorum omnium quę sunt, ædificium, addit Apostolus: Domus,

 inquit,

1.Reg.8. Esaiæ.66. inquit, Dei viventis a nullo homine construi potest: A Deo igitur constructa est: Construxit autem Christus; Deus est igitur: quemadmodum primo capite demonstratum fuit luculentissimè. Alter exornationis locus versu 5.& 6.in hunc modum se habet: Amphore gloria digna est fides ejus qui filius est & heres domus, quàm ejus qui famulus est. Moses fuit famulus in tota domo ipsius, & quidem ad testimonium eorum quæ Deus populo erat indicaturus Lege. (Nam ad complementum Moses nihil poterat, versu 5.) Christus verò filius est, heres totius domus, & omnia in omnibus implens. Hujus ergò fides quam illius gloriosior. Quamobrem Corollarii vice, huic utrique argumentationi subjicit Apostolus brevem explicationem dicti sui allegorici, quum inquit, *Cujus domus sumus nos*, nimirum cuncti: nam singulos si spectes, singuli sumus lapides vivi illius domus. Et huic explicationi conditio una adjicitur, non ut in dubium vocetur illius fides cujus domus sumus; Sed ut infirmæ mentes nostræ ad officium amplius excitentur, quum ait: *Siquidem fiduciam & gloriationem spei ad finem usque firmam tenuerimus*, quasi dicat, Quibus modis Christo compingimur, iisdem continemur: Compingimur autem fide & spe: ergò iisdem continemur: ac proinde operam navemus necesse est, ut eam fidem quam habemus in Deum eámque spei Christianæ gloriationem quam coram Angelis & hominibus testatam facimus, ad finem usque firmam conservemus: a Domino & herede domus nihil planè nobis defuturum est, modò ne nobis desimus ipsi.

Psal.95.	
7 *Hodie si vocem ejus audiveritis;*	7 Quapropter, sicut dicit Spiritus ille sanctus, Hodiè si vocem ejus audieritis,
8 *Ne obduretis cor vestrum, ut in contentione, ut die tentationis in deserto.*	8 Ne obdurate corda vestra sicut in exacerbatione, secundùm diem tentationis illius in deserto.
9 *Ubi tentaverunt me majores vestri, probaverunt me, etiam experti sunt opus meum.*	9 Ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverũt me, & viderunt opera mea quadraginta annis.
10 *Quadraginta annis fastidio habui generationem illam, & dixi; Populus sunt errabundi animo, & sunt ignorantes viarum mearum:*	10 Quapropter offendi ad nationem istam, & dixi; Semper errant corde; isti verò non noverunt vias meas.
11 *Quibus juravi in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam.*	11 Itaque juravi in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam.

ANtecedentis illius Propositionis sive Prolepseos, quam Apostolus instituit suprà versu primo, de reliquis duobus officiis, nimirum Prophetia & sacerdotio, singularis deinceps sequitur explicatio; primùm quidem Prophetiæ duobus capitibus, deinde verò sacerdotii. Prophetię autem expositio duobus modis ab Apostolo facta est: Primum ex authoritate & Scripturæ loco, quem in Parallelo diagrammate modò posuimus; deinde verò illius authoritatis accurata & luculenta declaratione. Gravissimè autem ex antecedentibus inferens Apostolus Prophetiam Christi agnoscendam & colendam esse, conjunctione utitur causali: *Ideò*. Nam ex iis quæ paulò antè fuerunt de

Christo

Christo posita, sic argumentatur author: Quo quis plus authoritatis, fidei, & veritatis habet, eò studiosiùs audire vocem illius necesse est; Ita autem est Christus, sive cum Mose, sive cum alio ullo homine & administro Dei comparetur. Huic vero argumentationi, quæ cum naturæ luce conjuncta est, gravissimè adjungitur authoritatis sequentis commendatio a Spiritu sancto, quum inquit Apostolus, *sicut dicit Spiritus ille sanctus*; ille videlicet qui a Patre & Filio missus est, mentésque sanctorum Prophetarum & hominum Dei informavit & informat in omni veritate; quemadmodum inquit Petrus, illos olim Spiritu Dei actos prophetasse. 2.Petr.1. Authoritatis verò, quam hoc loco adducit Apostolus, partes duæ sunt; Prima est interdictum; Secunda exemplum. E quibus interdictum breviùs quidem proponitur; sed tamen si rei veritatem spectes, totidem membra tacitè comprehendit, quot habentur expressa in narratione exempli, quo David ad hoc argumentum usus est. Poterat quidem Apostolus alterius alicujus loci authoritatem adhibere, cujusmodi est illa Mosis Deuter. 18. quam aliquoties in Actis a Petro & Paulo adduci meminimus: Sed de industria alterum locum adhibuit Apostolus; tùm quia plus habet evidentiæ, per comparationem exempli a Mose narrati: tùm verò quia singulares quędam hoc in loco sunt circumstantiæ, quæ Mosis locum illustrant, & ad propositam argumentationem faciunt plurimùm. Interdictum autem his verbis continetur: *Hodiè quum vocem ejus audiveritis, ne obdurate corda vestra:* Exemplum, sequentibus. Summa igitur interdicti est, Prophetiæ Christi non esse obsistendum; quæ Prophetia vox Christi appellatur. Exprimuntur verò circumstantiæ duæ; una temporis, altera modi: quas circumstantias posteà sigillatim expendit Apostolus diligentissimè. Atque hæc quidem disertis verbis expressa sunt: tacitè verò reliquæ partes continentur, quæ ex analogia interdicti ipsius, & sequentis exempli, quilibet potest perdiscere. Nam ex analogia interdicti omnino sequitur imperari a Deo contrarium bonum: Ex analogia verò exempli, quæ partes tenendæ sint, docet ipsa exempli narratio, qua Propheta usus est quàm fidelissimè. Totum autem exemplum, ab historia majorum in deserto versantium, ex libris Mosis desumtum est. Nam eorum administratio, tantisper dum in deserto fuerunt, duobus modis a Propheta descripta est: nempe ab effectu, quòd pura puta fuit exacerbatio, qua Spiritus Dei exacerbatus est; & ab efficiente causa, quòd totum illud tempus peregrinationis fuit tamquam dies quidam indesinentis tentationis, qua tentantes illi Dominum, exacerbaverunt Spiritum illius. Hæ autem duæ partes singulis vocibus propositæ, sequentibus verbis minutatim explicantur ὕστερον πρότερον ἰδιωτικῶς. Nam tentatio quidem versu 9. exacerbatio verò vers. 10. & 11. exponitur. Tentationis genus primis verbis illis comprehenditur: *Ubi tentaverunt me Patres vestri*: explicatur verò altero illo verbo, *probaverunt me*; amplificatur denique tentationis indignitas, sequentibus; quum Spiritus sanctus dicit, *& viderunt*, id est, etiam eo ipso tempore quo videbant expositáque in oculis suis habebant opera mea, nempe toto illorum 40. annorum curriculo, quo in deserto vixerunt. Exacerbationis autem membra ponuntur duo: Nam primùm narratur indignatio Dei, conjuncta indignationis causa, ver. 10. deinde sententia ex indignatione 11. His autem partibus exempli, similiter ostenduntur partes ad interdictum præcedens adhibendæ; nempe reos tentationis in Deum esse, qui

audita voce Christi corda sua obduraverint: deinde verò exacerbatū & infensum Deum experturos: quæ omnia noluit Propheta exprimere; sed satis esse putavit, quòd post interdictum pronunciatum, ab exemplo majorum, has singulas partes quasi digito commonstravisset obfirmatis hominibus superventuras. Hic verò duplex quæstio oritur: prior de hujus loci applicatione, posterior de mutationibus. Applicationem illius loci ad Regnum Christi & prædicationem Euangelii, esse ex germana illius Psalmi intelligentia, duobus argumentis confirmari potest; nempe a Natura & constitutione totius illius Psalmi singularúmque partium, quæ in eo sunt: & a luculentissima declaratione, quam reliquo hoc & sequente capite tradit Apostolus. Alioqui ludicra foret tota illa declaratio, & Hebræis materiam magis præbuisset illudendi quàm credendi Euangelio Christi. Quæ res quia posteà exponenda est, ab ea hoc quidem loco supersedebimus. De mutationibus quod affertur, non est tanti, ut pias mentes dimovere possit a fide & religione Scripturæ sacræ. Nam quanti est illud, obsecro, quòd singulare per plurale exponitur? quòd contentio redditur exacerbationis nomine? & quòd exemplum illud majorum, non de singulari aliqua tentatione solùm accipitur ab Apostolo; sed de tota Majorum administratione in deserto? Hæc enim profectò justa fuit Davidis sententia. Deindè ut demus non fuisse, tamen idem hoc loco ad amplificationem diceretur quod Amos cap. 5. Israëlitis exprobravit, & Stephanus Act. 7. Gravius illud videtur esse, quòd has voces, *quadraginta annis*, quæ de exacerbatione a Propheta dicuntur, Apostolus aptavit versui præcedenti, & retulit ad tentationis probationisq; tempus. Qua in re Apostolus non mutavit sensum, sed interpretatus est. Nam quibus annis tentaverunt Deum, ijsdem exacerbaverunt. Tentaverunt autem illis 40. annis: Ergo & illis exacerbaverunt: Et e contrario: Non enim fieri potuit, quin tentantes exacerbarent Deum, & Deus a tentantibus exacerbaretur: quæ omnia planè sunt inter se ἀντιςρέφα. In eo tantùm discrimen est, quòd ita visum est Spiritui sancto circumstantiam illam temporis in hac Epistola à versu uno ad alterum trajicere, ut evidentior fieret loci illius accommodatio, cujus materiam solùm Spiritus sanctus per Davidem eo in loco suppeditaverat.

12 Videte fratres ne quando sit in ullo vestrum cor malum infidelitatis reum, deficiendo à Deo vivo:

13 Sed exhortamini alii alios unoquoque die, tantisper dum appellatur hodiernus dies, ut non obduretur quisquam ex vobis fraude peccati.

14 Participes enim facti sumus Christi, siquidem principium hujus subsistentiæ ad finem usque firmum continuerimus;

15 Intereà dum dicitur, Hodie si vocem ejus audiveritis, ne obdurate corda vestra, ut in exacerbatione.

16 Quidam enim qui audiverant, exacerbaverunt; sed non omnes qui exierant ex Ægypto per Mosem.

17 Ad quos autem offendit quadraginta annos? nónne ad eos qui peccaverunt, quorum membra ceciderunt in deserto?

18 Et quibus juravit non esse ingressuros in requiem suam, nisi iis qui fuerant immorigeri?

Proposita

PRopoſita Scripturæ authoritate accommodationem facit illius loci nunc demum Apoſtolus verſib.4.deinde verò declarationem adhibet illius,ſequentibus. Accommodationis ſive ἀποδόσεως, ut Græci vocant, alterum hoc membrum eſſe demonſtratur ex principio verſus 7.ubi cauſalis illa particula, διὸ, quaſi pendente adhuc & incerto ſenſu accipienda eſt, & cum hoc verſu ſive accommodationis membro conjungenda: tamquam ſi diceret Apoſtolus, Quapropter, ſicut dicit Spiritus ille ſanctus, hodie ſi vocem ejus,&c.ita vos,fratres videte ne quando ſit in ullo veſtrum,&c. Eſt igitur accommodatio hæc antecedentis authoritatis,ut diximus, ἀποδοτική.Hujus autem accommodationis membra præcipua duo ſunt; unum, hortationis antecedenti ex Davide hortationi reſpondentis,verſu 12.& 13.alterum αἰτιολογίας ſive rationis,circumſtantiam à Spiritu ſancto jam olim expreſſam complectentis,verſ.14.& ſequente. Hortationis rurſum duo ſunt loci: unus, ἀποτρεπτικὸς,ver.12.alter ex contrario προτρεπτικὸς,ver.13.quos locos præmunit Apoſtolus blanda fratrũ appellatione, viámq; ſternit ad ſequuturam mox αἰτιολογίαν. Dehortationis autem argumentum eſt duplex; unum,ne cujus cor ſit malum: alterum,ne quis ex malitia cordis à Deo vivente deficiat.Quorum prius efficiens eſt poſterioris cauſa,in iis quibus prælucet Euangelium gloriæ Chriſti ad odorem mortis. Quapropter etiam optimè Apoſtolus malitiam cordis deſcribit adjecto ἀπιστίας vel infidelitatis nomine: quod peccatum illud eſt,de quo Spiritus ſanctus mundum arguiturus à Chriſto dicitur Joh.16.ac proinde peccati illius evictione juſtitiam & judicium Dei aſſerturus, ad exitiũ eorum qui à Deo vivente ad mortem voluntariam ſua infidelitate tranſiverint. Huic verò contrarius hortationis locus ſimiliter duobus officiis comprehenditur: quorum prius eſt, ut alii alios provocemus, per hortationem & conſolationem verbi, ad bonitatem Chriſtianam & veritatem quæ eſt in fide: poſterius, ut à fraude peccati, tum ipſi nobis, tum alii aliis caveamus, qua fraude circumventum & oppreſſum cor noſtrum obduretur: quantò magis ut caveamus, ne quando deficiamus a Deo vivo; qui effectus eſt cordis mali & ruentis in voluntariam incredulitatem. Prudentiſſimè verò huic hortationis loco duæ circumſtantiæ ex Prophetæ verbis apponuntur: tum ut unoquoque die in ſanctas hortationes incumbamus,& a fraude peccati atq; obduratione caveamus: tum verò ut his officiis ſtudeamus,tantiſper dum appellatur hodiernus dies, id eſt, & quotidie & indeſinenter invigilemus fratrũ ſanctificationi,& noſtræ.Horum verò omnium αἰτιολογία ſubjicitur commodiſſimè 14.verſu,& ſequente: nempe quòd participes facti ſumus Chriſti, & unum cum ipſo. Sic enim argumentatur author à proprio. Proprium eſt Chriſti, ut conſortes ſuos avocet à corde malo atque infideli,& ab impia defectione, & ſacris hortationibus verbi per Spiritum liberet à fraude peccati, & obduratione illius conſectaria: Nos autem participes Chriſti effecti ſumus; Hæc igitur propriè in nobis Chriſtus, qui caput eſt & conſummator fidei noſtræ, effecturus eſt. Nam Chriſtus ſine conditione præſtat ſuis, quæcumque opus ſunt ad ſanctificationem ipſorum; à nobis verò conditionem unicam deſiderat, nempe ut maneamus in ipſo,& circumſpiciamus attendamúſque nobis ab omni peccato & infidelitate: quemadmodum ipſe in nobis ſpondet ſe manſurum eſſe. Atque hanc conditionem notat Apoſtolus his verbis: *ſiquidem principium illius ſubſiſtentiæ*, puta, qua jam in ipſo ſubſiſtimus,

velut participes & concorpores cum ipso effecti, *firmum tenuerimus ad finem usque*, id est, prout in eo coaluimus, ita porrò coalescamus, donec pervenerimus ad justam illam staturam in Christo, quæ nobis proposita est. Hujus communionis & conformationis tempus a principio ad finem usque sequente versu ex Prophetæ verbis circumscribitur, quum inquit Apostolus: *Intereà dum dicitur, hodie si vocem ejus audieritis*, &c. Hactenus accommodatio antecedentis loci: quam luculenta illa sequitur declaratio, ut paulò antè monuimus. Quemadmodum autem hortationis illius duas partes constituimus, ita & declarationis. Nam primùm declaratur exemplum Israëlitarum, quod ex Prophetæ verbis adductum est, reliquis versibus hujus capitis; posteà verò accommodatio, in 4. capite. In exemplo tria maximè notatu digna observat Apostolus: Primùm, quinam Deum exacerbaverint, versu 16. Secundò, in quos Deus irruerit judicio suo & justissima indignatione, versu 17. Tertiò, qua cum præsignificatione, ad testandam misericordiam suam etiam in severissimis quibusque judiciis, versu 18. Primum quod attinet, duo sunt quæ Apostolus optimè inculcat, ut impietatem Israëlitarum, qua Deus exacerbatus est, & justitiam ejus asseratutum quòd beneficia mirificentissima operibus liberationis & prædicatione verbi salutaris à Deo acceperant, quibus par fuerat vel cótumacissimos animos frangi & resipiscere: tum quòd sapientissimè & misericorditer disparavit Deus eos qui offensionibus suis ipsum exacerbaverât, ab iis qui sibi caverant ab offensione ipsius, & sanctificationi suæ ipsorum studuerant. Nam in illis beneficia communiter oblata quidem fuerant, sed turpiter repudiata: his verò percepta per fidem profuerant. Secundus locus, in quos Deus irruerit justo judicio suo, gravissimè exponitur duobus documentis; nempe tum ab actionibus illorum, quòd illi fuerunt peccatores, dederúntque operam impietati & injustitię: tum verò ab eorumdem perpessionibus, quarum author fuit Deus justus judex, quando dicuntur ipsorum membra in deserto cecidisse, id est, aut singuli membratim invadente morte periisse, aut populus membratim, id est, per partes variis temporibus judiciisque, exardescente ira Dei in ipsos, occubuisse. Tertius denique locus, de pręsignificatione judiciorum quæ peccatoribus superventura erant a Domino, ostenditur ab Apostolo duobus modis: tum quòd peccatoribus incredulis & immorigeris suum illud judicium prænunciavit Dominus: tum verò quòd prenunciationis illius sermonem juramento confirmavit, ut videre est Num. 14. quibus in rebus fieri non poterat ut mentiretur Deus: Ac propterea certissimè debebant immorigeri timorem serium mentibus suis percipere, ut è diverso pii validam consolationem; quemadmodum noster hic Apostolus cap. 6. loquitur. Ceterùm versus quidem unus prætereà huic capiti in libris vulgatis adjicitur ex antiqua illa & usitata distinctione capitum, qui numero habetur 19. sed mihi propiùs ad ejus constitutionem & consequutionem attendenti videtur probabilius esse ac convenientius, ut versus ille 19. (quemadmodum habetur vulgò) cum principio sequentis capitis conjugetur, ut cui omnino conuenit argumento & consequutione sua.

CAPUT QUARTUM.

1 Et videmus hos non potuisse ingredi propter incredulitatem.
2 Metuamus igitur, ne quando derelicta promissione ingrediendi in

in requiem illius, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.
3 Etenim Euangelizatum est nobis, sicut & illis; sed non profuit
illis hic sermo auditus, ut qui non fuerit contemperatus fide iis qui au-
diverant.
4 (Nos verò ingredimur in requiem, nempe qui credidimus) sicut
dixit: Itaque juravi in ira mea, si ingressuri sunt in requiem meam: licet
operibus illis confectis ex quo jacta sunt fundamenta mundi.
5 Nam ita dixit alicubi de die septimo.

Gen.2.	
2 *Et requievit Deus die septimo ab omni opere suo quod fecerat.*	Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.

6 Et hic rursum: si ingredientur in requiem meam.
7 Quandoquidem ergò relinquitur aliquos in eam ingressuros es-
se; ii verò quibus antè euangelizatum est, non introierunt propter in-
credulitatem:
8 Rursum quemdam præfinit diem, *Hodie*, apud Davidem dicens
tanto post tempore (prout dictum est) Hodie si vocem ejus audieritis,
ne obdurate corda vestra.
9 Nam si eos Jesus in requie collocasset, nequaquam de alio po-
steà die loquutus fuisset.
10 Itaque reliquus est aliquis sabbathismus populo Dei.
11 Nam qui ingressus est in requiem ipsius, requievit & ipse ab o-
peribus suis, quemadmodum a suis Deus.

INstitutæ accommodationis ex Davidis Prophetę verbis declarationem fieri ab Apostolo antè docuimus, ejusque declarationis duas esse partes; quarum priorem, quę est de priscorum Israëlitarum exemplo, modò perstrinximus. Sequitur deinceps posterior pars, nimirum accommodatio sive applicatio exempli ad nostra hæc tempora, quibus facem Euangelii Christus præferri voluit. Ad hanc autem accommodationem μεταβατικὸς est versus 1: ut res ipsa loquitur: ac propterea non dubitavimus a superiore capite eum divellere, & cum hoc conjungere. Nam in eo versu conclusio quędam summa exempli antecedentis statuitur, ut eo simili doceamur officiū nostrum, quandoquidem justitia Dei semper eadem est sibique constans; ne si ab officio discedamus, similes pœnas subire cogamur severissimo judicio Dei. Hujus autem accommodationis membra sunt duo; prius ἀποτρεπτικὸν sive dehortationis, versu 2. & sequentibus: posterius, προτρεπτικὸν sive hortationis, ut in antecedentibus diximus, & gravissimam hortationem continens, inde a versu 12. ad finem usque capitis. Prioris partis, quam in hac συζυγίᾳ posuimus, partes omnino duæ sunt: una dehortatio ipsa; altera, dehortationis argumentum. Dehortatio est; ne demus incredulitati locum, néve operibus incredulitatis palam faciamus nos frustra promissiones Euangelii percepisse. Quam ad rem commodissimus est ille sanctorum metus, quo sibi ipsis, suæ intelligentiæ, voluntati, viribúsque omnibus diffidentes, & a seipsis maximopere metuentes, denique sibi caventes a seipsis, tamquam salutis suę a natura hostibus, se totos credunt & committunt Domino. Quemadmodum hortatur Psaltes: Servite Jehovæ cum timore, & exsultate cum tremore, id est, trepidi propter vos, læti & confidentes propter Dominum ad ipsum cōcurrite.

Huic dehortationi sua *εὐπολογία* subnectitur, versibus sequentibus. Ostendit enim Propheta meritò nos in officio auditionis ac fidei religiosè contineri, si tum ab exemplo Israëlitarum periculū superventurum agnoscamus, nisi Euangelium sit in nobis fructuosum: tum animo præcipiamus utilitatem ad nos, si credimus, perventuram. Hujus autem beneficii oblati summa propositio continetur his paucis verbis: *Etenim nobis euangelizatum est, sicut & illis*: uterque verò eventus distinctè ponitur, sequentibus. Ac malus quidem infideles & immorigeros quibus præluxit lux Euangelii obruturus, exponitur his verbis: *At non profuit illis auditus ille Sermo, ut qui non fuit contemperatus fide iis qui audiverant*: bonus verò illis, *introimus enim in requiem, nos qui credimus*: quæ verba per parenthesin si legantur, commodior futura est interpretatio. Nam confirmatio illa proximè subsequens ex verbis Davidis, ad priùs membrū de incredulis immorigerisque pertinet, quum inquit Apostolus: *Non profuit illis, sicut Deus dixerat, itaq; juravi*, &c. Ceterùm illud in oppositione versus 3. diligenter oportet observari, in utroque membro antitheseos aliquid desiderari ad justam membrorum comparationem: cujusmodi *ἀνανταπόδοτον* est in Testamento vetere, in primis autem Proverbiorum libro, frequentissimū. Sed quia in hunc modum Apostolus brevitati consultum voluit, suæq; ἀποδόσεις tum ex præcedentibus, tum etiam ex ipsa *ἀντιθέσεως* natura claræ sunt; non sumus in eo argumento futuri longiores. Hac declaratione posita, alterum quoque declarationis modum adhibet Apostolus, per occupationem sive anticipationem cujusdam cavilli, quo Athei & omnes veritatis hostes poterant veritati (ut solent) illudere, nisi prudenter occurrisset. Fuerant enim dicturi fortasse nonnulli: Atqui fieri non potest, quin ii etiam quos incredulitatis reprehendis, requiem Dei pariter assequãtur & fruantur ea. Nam duplex sōlùm requies in scripturis legitur; una, inde a creatione requies sabbathi sive sabbathismus, ut posteà vers. 9. appellatur; altera, requies Chananææ, ex quo populus Dei ministerio Josuæ in possessionem terræ illius missus est. Hanc cavillationem diluturus, de priore agit Apostolus ad versum usque 8. de posteriore vers. 9. Nam respectu quietis illius, qua Deus quievisse dicitur inde a jactis fundamētis mundi, respondet Apostolus, turpiter eos *παραλογίζεσθαι*, qui illam requiē, de qua Moses Gen. 2. loquutus est, confundunt cum ea requie, quam spectabat Propheta in eo Psalmi loco: Nam aliud esse requiem *κατά τι*, aliud simpliciter dictam. Requiem *κατά τι* eam esse, qua Deus requievisse in die septimo dicitur; nempe ab operibus creationis, sive a rebus novis ampliùs creandis & statuendis in natura rerum, vers. 4. & 5. Requiem verò simpliciter dictā eam esse, qua Deus *αὐταρκέστατος* in filio dilectionis suæ per vinculum Spiritus, & in Ecclesia illius conquieturus est per se; vicissimque Ecclesia & fideles singuli in æternum conquieturi in ipso per filiū dilectionis ipsius, secundùm communicationem gratiæ ipsius gloriosæ. Præterea duobus aliis modis evinci manifestissimè discrimen utriusque illius quietis; nempe, eventu, & temporis circumstantia: quæ duo Apostolus versu septimo & octavo demonstrat perspicuis verbis. Eventu quidem: Nam inquit, *illi, quibus primùm annunciatum fuit, non introierunt propter incredulitatem in requiem Dei*. Atqui in hanc requiem cujus Propheta meminit, aliqui introituri sunt. Differt igitur una ab altera; nisi quis (quod absit) Deo crimen velit mendacii impingere. A temporis verò circumstantia: Nam, inquit Apostolus, hæc posterior requies

longo

longo pòst intervallo a Davide præfinita est; quum dicit, *hodie*, &c. Cùm itaque & prædicationis modo, & eventu, & tempore una ab altera absit quàm longissimè, ex scripturæ testimonio; certè non potest nisi ineptissimè requies una confundi cum altera; quam adeò disertis verbis & signis necessariis Spiritus Dei distermìnavit in scripturis sacris. Atque hæc quidem de priore illius occupationis membro. Eadem verò opera refellit Apostolus alterum item occupationis membrum versu 9. quum inquit: *Nam si eos Jesus in requie collocasset; nequaquam de alio postea die loquutus fuisset*, id est, alteram esse hanc requiem ab ea in qua Israëlitæ ministerio Josuæ collocati sunt, hæc quoque postrema ratio quam proximè adduximus declarat evidentissimè. Nam dederit sanè Josua requiem populo Dei, eúmque in ipsa collocaverit; imò verò etiam in ea ipsa requie David Rex primas obtinuerit in populo suo: illud pro nobis facit. Nam necessario ex eo sequitur, si David diu post tempora Josuæ & quidem regnans in ea requie, in quam Josue introduxerat populares suos, de altera requie loquutus est, & eam denunciavit Ecclesiæ, dicens, Hodie si vocem Christi audiverint, non esse obduranda corda; Davidem ergò de alia requie loquutum esse. Ac proinde optimè concludit Apostolus, reliquum esse aliquem Sabbathismum sive requiem pro populo Dei; cum neque ad priorem illam requiem, qua Deus perfectis operibus usus est, neque ad posteriorem, qua Duce Josue Israëlitæ usi sunt, Propheta in eo loco respexerit. Huic verò conclusioni commodè subnectitur ἐργασία in vers. 10. ad alteram hujus capitis partem μεταβατικήν. Nam etsi certissimis argumentis & invictissimis Apostolus demonstravit aliam esse ab illis requiem, de qua Propheta Ecclesiam voluit instituere; tamen non parum confirmationis in versu 10. accedit huic interpretationi, quum suam illam prædicationem, de requie Dei in quam pii ingressuri sunt, illustrat a complemento Prophetiæ illius in persona Christi, qui tamquam Princeps & caput nobis a Patre datus jam tum ex facto in requiem Dei ingressus erat, quemadmodum suprà cap. 1. sedisse dicitur ad dextram Majestatis Dei in locis excelsis, & similia plurima: quo ex fonte omnino profluunt sequentium hortationum loci. Sic enim argumentatur Apostolus ab enumeratione partium essentialium & principalium mystici illius Christi sive (ut Dialectici loquuntur) a parte ad totum; ut ostendat populo Dei aliquem sabbathismum reliquum esse: Quò caput Ecclesiæ ingressum est, vel Princeps populi Dei, eodem Ecclesia vel populus Dei ingressurus est: Est autem ingressus in requiem ipsius, & ab operibus suis, in quibus se in forma servi exercuit, gloriosè requiescit; quemadmodum olim Deus in creatione quievit a suis operibus, ubi perfecta sunt. Eódem igitur populus Dei ingressurus est, & corpus illius capiti suo adhærescens, vestigiáq; illius sequens, eumdem sabbathismum, qui reliquus jam ipsi est in Christo & per Christum, exercebit. Cęterùm huic interpretationi, quam adducit Apostolus, oblatrare Judęi possunt, nihil de hac futura requie a Propheta in eo Psalmo fuisse traditum: Nam simpliciter fide historica rerum antegestarũ exemplum afferri, non autem futuras prænunciari. Atque hæc cavillatio tantam speciem probabilitatis habet, ut multi quoq; Interpretes mirati sint hoc in loco fieri hujusmodi accõmodationem. Sed tamen facilis est objectionis istius solutio si quis partim naturam justissimæ administrationis Dei, partimque loci animadverterit. Justissimę administrationis

ſtrationis Dei ratio ſemper una eſt & ſibi conſtans, quemadmodum in Parallelum 6.libro 1.demonſtravimus. Ex ea fide conſtantiáque juſtitiæ Dei, David in hunc modum argumentatus eſt: Ut Iſraëlitas audientes olim vocem Dei non oportuit obdurare corda ſua, aut obduratos iram Dei & maledictionem ſuſcipere; ſic etiam hodie juſtitiam ſuam conſtanter ſervat Dominus: Id autem fuit tum Juſtitiæ Dei, quòd ad homines exacerbantes Spiritum ipſius offendit, eoſque in ſuam requiem non eſt perpeſſus ingredi; Eadem ergò juſtitia hoc noſtro tempore a Deo exercebitur in eos, qui vocem non audiverint ipſius, nempe quòd requiem ipſius non ſint ingreſſuri. A natura verò loci vincitur germanam hanc interpretationem eſſe, poſita illa voce, Hodie, quam propterea multoties Apoſtolus inculcavit. Ergò (ut ſcholaſticè dicamus, quod hic pluribus ab Apoſtolo oſtenditur) qui argumentantur in hunc modum, nempe membra exempli illius ad hodiernum diem hunc minimè pertinere, indignè committunt fallaciam (ut vocant) diviſionis. Nam ſi Propheta vocem illam, hodie, præfixit dehortationi ad tempora noſtra pertinenti, & dehortationem hanc ſuam exemplo majorum declaravit; ſequitur illud *hodie* non ad dehortationem ſolùm reſtringendum eſſe, ſed ad ſingula exempli membra, quæcumque inſtitutæ dehortationi ſubverviunt. Quemadmodum itaque dicit Apoſtolus: Hodie ſi audieritis vocem ejus, ne obdurate corda veſtra, ut fecerunt illi, id eſt, ne exacerbate, tentate, & probate Dominum, ut verbis ſequentibus Propheta ipſe explicat; continuò alterum quoque membrum exempli ſequitur, nempe, ne per vos fiat hodie, ut vobis infenſus Dominus juret in ira ſua, ſi eſtis ingreſſuri in requiem ipſius. Alioquin niſi hæc ita conjungantur, luſiſſe magis quàm ſeriò docuiſſe Pſaltes videretur: qui propoſita dehortatione & exemplo ad dehortationem pertinente, ſtatim ab inſtituta dehortatione, ut impos ſui aut aliud agens, dicatur aberraviſſe: neq; valitura eſſet Apoſtoli ſanctiſſima & his noſtris temporibus perneceſſaria accommodatio.

12 Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodem exemplo contumaciæ cadat.

13 Vivus enim eſt Sermo ille Dei, & efficax, & penetrantior omni gladio ancipite; ac pertingit ad diviſionem uſque animæ ſimul & Spiritus, compagúmque & medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptiones cordis:

14 Neque eſt ulla res creata, quę non manifeſta ſit in conſpectu illius; ſed omnia nuda & patentia oculis illius, cujus cauſa nobis hic ſermo inſtitutus.

15 Habentes igitur Pontificem Magnum qui pervaſit cœlos, Jeſum illum Filium Dei, teneamus hanc profeſſionem:

16 Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit unà affici ſenſu infirmitatum noſtrarum; ſed qui fuit tentatus in omnibus ſimiliter, abſque peccato.

17 Accedamus igitur cum fiducia ad Thronum illū gratię, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunū auxilium.

ALterum accommodationis membrum deinceps ſequitur reliquo capite, quod προτρεπτικὸν eſſe ante monuimus, ſive in hortatione poſitum: quæ hortatio ſumitur ex contrario dehortationis

nis proximè præcedentis. Hujus autem hortationis 3. omnino sunt loci: quorum primus est de fine ad quem pios omnes opus est contendere, vers. 11. Secundus est de materia atque instrumento, quo fretos certum est nos ad finem perventuros esse, versu 14. Tertius est de modo, quo per beneficium Christi salutaris nostri & instrumentum fidei ad finem illum aspiramus, versu ultimo. Finem autem, qui primus locus est, assequendũ esse contentissima diligentia, id est, requiem illam Dei; primùm quidem simplicibus verbis proponit Apostolus, dicens: *Studeamus igitur ingredi in illam requiem*; nempe quandoquidem Christus caput nostrum, & Princeps salutis nostræ, in eam ingressus est, & in ea gloriosissimè requiescit, *Studeamus* autẽ, id est, tum in doctrinam fidei tum in obsequium toto studio diligentiáque summa incumbamus: deinde verò hujus hortationis necessitatem demonstrat Apostolus ex eventu contrarii dicens; *Ne quis eodem exemplo contumaciæ cadat*, id est, ne ullus de numero eorum quos Deus jam erexit misericordia sua, & stare in fide voluit, ex tanta gratia gloriáque decidat; quod proculdubio iis futurum est, qui non student, id est, omnem operam occupant huic glorioso fini assequendo. Nam ut violenti rapiunt regnum cœlorum quod ait Christus, ita segnes & ignavi indiligentésque amittunt sua ipsorum culpa, & antè sibi ereptum sentiunt quàm id futurum esse præsumserint. Hanc propositionem confirmat Apostolus a persona Filii Dei (qui æternus est Dei Patris sermo, cum Patre & Spiritu sancto ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος, & cujus vocem a nobis jussit audiri Pater olim per Prophetas, & ultimis hisce temporibus in Euangelio) tum in studiosos quietis adipiscendæ, tum in segnes efficacissimi, versu 13 & sequente. Sic enim argumentatur Apostolus: *Vivus est hic sermo & efficax*, &c. Ergo efficacitatem suam, tum in studiosos, ad salutẽ & requiem ipsorum; tum in contumaces, ad ruinam & perditionem, exserturus est. Hanc verò præstantiam sermonis Dei, primùm a natura ipsius, deinde verò ab effectis prædicat Apostolus elegantissimè. A natura, quòd *sermo ille vivus est*, id est, æternus natura, potestate, & operatione: nunquam mortuus, nunquam intermortuus, nunquam otiosus. Effecta verò primùm generatim, deinde speciatim explicat. Generatim, primùm quidem simpliciter, quum *efficax* dicitur, deinde verò per comparationem figuratè *penetrantior & secans vehementiùs quàm ullus anceps gladius*; quemadmodum a Davide quoque & Jeremia appellatur. Speciatim verò hujus efficacitatis tres modi exponuntur; primus est, idémque summus, quòd in animo & corpore quidvis etiam intimum afficit virtute sua, adeò ut non possit eos non perdere in quos sententiam perditionis tulit, & eos non servare qui ordinati sunt ad vitam æternam, secundùm Patris in ipso εὐδοκίαν, ex verbo ipsius. Secundus modus est ad finem hunc spectans, quòd omnes homines, omnésque illorum partes, adeóque cogitationes & conceptiones intimas bellissimè dijudicat; ex quibus perituros perdat, & servandos salute donet. Tertius denique est, quòd ad hanc dijudicationem faciendam, & finem præstandum qui hominibus omnibus constitutus est, omnia habet manifesta tamquam vera lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & quæ Euangelii sui illustratione omnia facit manifesta, ut inquit Apostolus Ephes. 5. Quam prædicatienem, postquam propriis simplicibúsque verbis expressit Apostolus, postea venustis ornat translationibus; ostendens non homines solùm, sed res omnes creatas,

cælestes

cælestes & terrestres, vivo huic sermoni & efficaci non secus esse expositas, quàm expositæ solebant esse oculis spectantium ex omni parte pecudes in sacrificiis, quum olim a sacerdotibus in populo Judæorum nudarentur pelle, & dissecarentur in partes ad collum usque, exsecto primùm capite: cujus exsecandi singularem ritum Lege imperavit Deus. Non sum nescius hunc locum aliò quàm ad personam Christi jam olim relatum esse; totum quidem ab aliis; & partem ab aliis, id est, 14. versum: quia nempe hi convenientius id esse putaverunt, si hæc de verbo Dei, id est, de voce Christi quam jubemur audire, pronunciata dicantur esse. Quam interpretationem illi propterea maluerunt, quòd animadverterent frequentissimum illud in Scriptura esse, & innumeris exemplis demonstrari posse, eam ipsam potentiam, operationem, & cetera quæ de Deo & Christo Jesu essentialiter prædicantur; de verbo quoq; ipsius & voce Euangelii instrumentaliter prędicari, & (quod amplius est) etiam coaptari verbi illius administris. Sed ubi omnia mēbra hujus enunciationis expendi, atq; inter se comparavi; omnino statuo de sermone Dei æterno sic agi, ut illi ipsi sermoni, id est, Domino Jesu Christo singula, tamquam propria personæ ipsius, tribuantur; quæ ipsi tum per seipsum præstat, tamquam λόγος ἔμφυτος Dei Patris; tum per instrumentum verbi seu vocis Euangelii, tamquam sermonis Dei προφορικοῦ: quo sermone Christus Jesus (qui tamquam Filius æternus Dei semper vivit, efficax est, penetrat, pertingit, dijudicat, & omnia habet cognitioni suæ exposita) has omnes operationes, quando vult, & quomodo vult, perficit. Atque hanc interpretationem ut aliis præferamus, adducimur non solùm propter materiam qua de agitur (agitur enim de Christo Propheta nostro & de voce illius conjunctim) verùm etiam in primis propter posteriora illa prædicationis membra sub finem versus 13. & versu quoque 14. posita, quæ non nisi βιαίως (ut ita dicam) verbo illi prædicato, id est, instrumento attribui possunt; cùm sint ea essentiæ divinæ, ac non personæ solùm Christi, propriissima. Exposito primo προτρέψεως vel παρακλήσεως membro, sequitur locus secundus hortationis versu 15. in quo Propheta ratione illius materiæ & fundamenti, cui superstructi nos ad requiem Dei venturos confidimus, hortatur ut instrumentum fidei & professionis per fidem constanter teneamus, id est, ita conquiescamus in voce Christi Prophetæ nostri per fidem, ut deinceps non solùm tamquam Prophetam, verum etiam tamquam sacerdotem summum & consummatorem fidei nostræ (quam perfectè nos docuit, dum hic in forma servi ambularet) habeamus colamúsque ex officio nostro. Quam ad rem pertinent amplissima illa Epitheta, quæ Apostolus de Christo prædicat; nempe quòd sacerdos summus est officio, quòd pervasit cœlos in effectu, & sanctuarium illorum ingressus perfectè quoque obiit summi sacerdotis partes: Postremò quòd Filius Dei est, ac proinde ipsissima Dei virtus & sapientia, quæ nec errare nec infirmari potest. Atque hac ratione commodissimè transitum parat Apostolus a secundo loco de Prophetia Christi, ad tertium de sacerdotio; qui sequentibus capitibus copiosissimè exponitur. Antequàm verò ad tertium illum locum de sacerdotio transeat; opportunè sequitur occupatio cujusdam objectionis, quam pius quisque eo magis fuisset allaturus, quo plus afficitur reverentia Dei, nisi prudenter prospexisset Spiritus sanctus hac occupatione. Est autem ea hujusmodi: Hortaris ut firmè teneamus hanc professionem; sed quo pacto

firmè possumus, qui infirmi sumus, & infesti peccato, omnibúsque infirmitatum, quæ umquam fuerunt, generibus? proptereà igitur subjicit Apostolus: Insunt quidem infirmitates nobis; sed res nobis cum eo est, qui summa cum misericordia afficitur sensu infirmitatum nostrarum, eas delet, nos sublevat, deniq; potentissimè & citra ullum defectū opus illud divinum misericordiæ in nobis consummaturus est. Hunc habemus, & ille vicissim nos; hujus charitate ita constringimur, ut quamvis per nos non possimus aut ipsum prehendere, aut firmè retinere professionem nostram, idem tamen qui nos prehendit, firmè nos in virtute Dei retinere, professionisque illius nostræ tenacitatem & constantiam præstare possit. Quid ita? quia primùm officio sacerdos est summus acceptus Deo & Patri; secundò potestate & studio συμπάσχει nostris infirmitatibus; tertiò denique reipsa jam præstitit sui illius officii & potentissimæ benevolentiæ complementum; quando in omnibus rebus tentatus est similiter; sed ita ut incorruptione, justitia, & sanctitate sua, quòd sine peccato est, tentationes, quas tulit, superaverit; adeò ut ex quo in ipso sumus, gloriari cum Apostolo possimus, nos in rebus omnibus ὑπερνικᾶν in eo qui dilexit nos. Atque hinc nascitur tertius & postremus hortationis locus, quandoquidem talem habemus Sacerdotem summum, non modò id nobis curandum esse ut hic constanter professionem nostram teneamus; verum etiam ut certa audacia fiduciáque in cœlos ad Deum assurgamus, quum inquit: *Accedamus igitur cum fiducia ad Thronum gratiæ*, &c. ejúsque accessus, modus & causa paucissimis quidem verbis, sed amplissimis significatione demonstratur: Modus quidem, ut cum audacia sancta per fidem vivam accedamus, freti summo sacerdote nostro: causa verò; tùm materialis, quia jam nobis thronus non judicii, sed gratiæ a Deo exhibetur, prout à Filio nobis reconciliatus est in cruce per sanguinem ipsius; tum etiam finalis, ut misericordiam ejus indies percipiamus, & gratiam assequamur ex misericordia. Quarum rerum amplitudo nobis eò magis est commendabilis, quòd semper invocantibus ipsum in veritate sunt paratissimæ ad opportunum auxilium: nempe quum in mediis infirmitatibus nostris premimur tentationibus, & laqueis peccati (quibus facilè circumretimur, ut ait idem Apostolus) in perditionem fermè præsentissimam miserè deturbamur. Atque hic aptissima est transitio a Prophetiæ ad Sacerdotii, ut antè diximus, explicationem.

CAPUT QUINTUM.

1 Nam omnis Pontifex ex hominibus sumitur, & pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deum oportet geri, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.

2 Qui commodè possit miserari ignorantes & errantes; quandoquidem & ipse circumdatus est infirmitate;

3 Et propter eam debet offerre sacrificium pro peccatis, sicut pro populo, ita & pro seipso.

4 Neque sibi ipsi quisquam hunc honorem sumit; sed qui vocatus est a Deo, sicut & Aaron.

5 Ita & Christus non arrogavit sibi gloriam hanc, ut fieret Pontifex; sed *is tribuit* qui dixit ei:

Psal. 2.

Psal. 2.	
7 *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.*	Filius meus es tu, Ego hodiè genui te.

6 Sicut & altero in Psalmo dicit, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.

Psal. 110.	
4 *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.*	dùm ordinem Melchisedec.

7 Qui in diebus carnis suæ quum deprecationes & supplicationes apud eum qui poterat ipsum servare a morte cum clamore valido obtulisset, & exauditus esset ex metu;
8 Quamvis Filius sit, didicit ex iis quæ passus est obedientiam:
9 Et prout consecratus est, factus est author salutis æternæ omnibus qui auscultant ipsi,
10 Cognominatus a Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedec.

HOc demum loco aggreditur Apostolus tertium illud caput de officio sacerdotali Christi: cujus longè copiosiorem quàm aliorum instituit interpretationem, quia in illius argumento potissimùm versantur ea doctrinæ capita, quæ reliqua fermè Epistola continentur, & quæ Hebræis offensioni futura fuissent maximè, nisi diligenter & commodè sacerdotium illius ex Testamento vetere demonstrasset. In hac verò explicatione tota duæ partes observandæ sunt: prior est Propositio de sacerdotio Christi, conjuncta secundario quodam exordio, vel potiùs dispositione, propter materiæ difficultatem gravitatémque, hoc & sequente capite. Posterior verò est expositio sive enarratio propositionis illius, capite 7. & sequentibus. Propositionis autem partes item duæ sunt; una est, γενικὴ sacerdotii veteris circumscriptio ex Lege, versibus 4. altera est μερικὴ, id est particularis vel singularis eorum quæ de sacerdotio posita sunt accommodatio ad personam Christi, ad versum usque 10. De sacerdotio autem in genere prædicantur ista: sacerdotem secundùm personam, finem, modum, officium, & vocationem justam in Lege Dei circumscriptum esse, prout hic omnia summatim ab Apostolo percurruntur. Etenim personam sacerdotis, Lege imperari & sumi ex hominibus: finem esse, ut pro hominibus apud Deum ea procuret & gerat, quæ sunt opus ad reconciliationem & remissionem peccatorum, oblatis donis & sacrificiis pro peccatis: Modum, ut aptus sit & idoneus, potentiáque justa præditus ad miserandum commodè eos qui per ignorantiam & errorem infirmitatémque peccaverint; non autem qui voluntariè in impietatem & injustitiam ruerint, ut infrà capite 9. & 10. homines isti impii excluduntur a tanto hoc beneficio. Atque hunc modum eo convenientiùs a sacerdote summo exsistere, quòd ipse quoque infirmitate circumdatus est, & afficitur apud se illius conscientia, ut infirmitatum alienarum sensu tangatur vehementiùs, quòd suprà dictum est cap. 4. versu 10. Officium, quòd propter communem hanc infirmitatem omnium tenebatur sacerdos, sicut pro populo, ita etiam pro seipso, tamquam infirmitatis reo coram Domino, & apud se conscio, pro peccatis offerre sacrificia.

sacrificia. Vocationem denique quia Deus solus author vocationis legitimus esse potest ad ea procuranda, quæ apud ipsum pro hominibus opus est procurari. Quapropter inquit Apostolus, *quemquam sibi ipsi non sumere hunc honorem, sed eum* fungi *qui a Deo ipso vocatus fuerit, sicut & Aaron* vocatus est, Exodi 28. His generatim positis, sequitur particularis accommodatio versu 5. & sequentibus: in qua ὕστερον πρότερον de vocatione priùs agitur, cujus postremo loco facta est mentio; deinde verò de functione sacerdotii. Ad vocationem pertinent versus 5. & 6. ad functionem, sequentes 4. Vocationem ergò sacerdotii ad Christum pertinere hoc loco demonstratur ex authoritate Scripturæ: cujus authoritatem vehementiorem efficit Apostolus ἀντιφατικῶς; quum primùm quidem per negativam (ut vocant) hæc verba de Christo pronunciat: *Ita & Christus*, nempe ut Lege constitutum est, *hunc honorem non arrogavit sibi*, puta, ipse citra voluntatem Patris, *ut fieret sacerdos summus* pro nobis; *sed Deus vocavit ipsum*, ut præcedente versu dictum est. Vocavit autem, postquàm dixisset ei secundo Psalmo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam idem qui hæc verba dixerat, continuò subjicit: Pete a me, vel postula: id est, suscipe sacerdotis partes, & ea perfice quæ apud me pro hominibus oportet procurari. Sed quia horum verborum, ut ut necessaria sit, interpretatio in dubium vocari poterat a malevolis aut malè sentientibus hominibus: propterea alterum locum velut antecedentis interpretamentum attulit Apostolus, quo & genuina prioris loci intelligentia demonstrari posset, & adversariorum refelli importunitas, qui interpretationi prioris loci fuissent illusuri: tamquam si diceret, Etsi proprium est sacerdotis ut pro hominibus petat apud Deum; ac proinde quem Deus jubet a se petere, eum vocatione instituat sacerdotem: Jussit autem Christum id a se petere: tamen ne quis cavilletur aliud agi in secundo Psalmo postulationis genus atque argumentum: idem Propheta nobis interpres futurus est qui alibi, nempe Psalmo 110. Dei verbis ita pronunciat: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Qui locus cùm postea cap. 7. & sequente exponatur luculentissimè, eò rejecturi sumus quæcumque videntur pertinere ad illustrationem ipsius. Post vocationem sequitur functionis sacerdotalis, quam Christus obiit, summa propositio, versibus sequentibus: quæ deinceps inde a capite septimo copiosiùs exponitur. Hujus functionis duæ partes commodissimè ab Apostolo statuuntur. Nam eorum quæ Christus tamquam sacerdos noster procuravit consummavitque, alia sunt τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, quæ apud Deum Patrem agi pro nobis oportuit; alia verò τὰ πρὸς ἡμᾶς, quæ erga nos ab ipso geri oportuit secundùm Deum. τὰ πρὸς τὸν Θεὸν exponuntur 7. & 8. versu: τὰ πρὸς ἡμᾶς, versu 9. Quibus subjicitur in versu 10. summa repetitio vocationis & functionis illius, quæ nihil aliud est, nisi ad dispositionem proximè sequentem μετάβασις. Antequam verò membra hæc persequatur, prout postulat ordo in propositione antecedente enunciatus; primùm ostendit Christum sacerdotem summum ex hominibus assumtum esse, quum dicit, *In diebus carnis suæ*, id est, quo tempore sermo ille factus est caro vel Deus in carne conspicuus; non quòd jam dies carnis Christi esse desierint, & essentia carnis cum infirmitate illius sublata sit unà; sed quia instituitur comparatio horũ dierum, quibus caro in λόγῳ Dei substitit ἐνυποστάτως, cum temporibus illis æternis quibus a Patre Filius gignitur, unus Deus συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος cum Patre & Spiritu sancto.

R Deinde

Deinde verò cetera persequitur, quæ in sacerdote summo antè pronunciavit ex Lege requisita esse. Etenim primùm pro eo quòd dona & sacrificia pro peccatis oblaturus sacerdos in Lege dicebatur; hic seipsum Christus, tamquam eorum corpus, Deo & Patri dicitur obtulisse. Secundò, pro eo quòd modus sacerdotii Legalis in eo definitur, quòd sacerdos commodè potest miserari ignorantium & errantium vicem; eumdem modum a Christo observatum fuisse dicit, qui deprecationes & supplicationes cum clamore valido & lacrymis apud eum obtulerit qui ipsum a morte servare potuit. Tertiò, quòd sacerdotis officium in eo constituitur, ut ita pro seipso offerat pro peccatis ac offert pro populo; id eo ipso demonstrat Apostolus quòd in metu fuisse dicitur, nempe quem peccatorum causa, nostrorum quidem reipsa, ipsius verò κατ' οἰκείωσιν & applicationem pœnarúmque ex ipsis, perceperat. Sed quia hæc omnia cùm ab uno eodémque Sacerdote sæpiùs repeti, tum a diversis successivè (ut loquuntur) præstari oportebat: quibus ex rebus evincitur manifestissimè legalis illius sacerdotii, sacerdotúmque omnium illorum infirmitas; propterea prudentissimè Spiritui sancto visum est quædam adjicere, quæ veritatem officii a Christo præstiti demonstrarent, perfectionémque illius ab omni infirmitate vindicarent. Prius est, quòd exauditus fuit a metu, id est, ita acceptus Deo, ut quem metum ex peccatis nostris, pœnísque meritis, & sponsione sua secundùm hominem conceperat, is a Deo Patre levaretur absolutissimè, testata remissione peccatorum ad abolendam maledictionem nostram. Deinde verò alter quoque effectus subjicitur 8. versu, nempe (ut antè diximus) παραστατικὸς τῶν πρὸς ἡμᾶς, quòd ubi sic exauditus est a Deo & Patre, didicit ex iis quæ perpessus est, obedientiam; hoc est, Quemadmodum in suo illo metu gravissimo se a Deo & Patre didicit exaudiri, ita ex iis quæ perpessus est, & quæ tam gravem metum ipsi injecerant, didicit (κατ' ἄνθρωπον dictum) cognovit & vidit manifestissimè, nihil ampliùs superesse, quàm ut membra sua a metu illo, quandoquidem ipse fuit exauditus, potentissimè liberata, in justa obedientia informarentur, quemadmodum Zacharias Lucæ 1. versu 74. & sequente declaravit. Hoc ergò ut commodè intelligamus, ita paucis distinguenda est hæc discendi ratio. Discere Christus quum dicitur, aut in persona sua secundùm humanitatem, aut in corpore suo, quà Christus est Ecclesiæ caput, & illa corpus ipsius, intelligendus est: ac proinde modus discendi est duplex; unus, secundùm rei veritatem; alter, secundùm οἰκείωσιν. Utrumque autem in passione Christi effectum est. Nam & Christus, quà homo, didicit & experimento cognovit fidem & bonitatem Patris, quam imploraverat dicens: Pater, si fieri potest, &c. & Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me: & quà Christus est mysticus, unum cum Ecclesia sua pro omnibus passus, mortuus, &c. dicitur idem didicisse obedientiam, id est, tum sublato metu, & remissione peccatorum parta, ac reconciliatione facta in cruce per sanguinem ipsius id unum recepisse, & in mandatis a Patre habuisse ut studeret obedientiæ, quam ipse perfectè Patri præstitit in persona sua, in nobis informandæ. Itaque ceteris rebus omnibus, quas probè didicerat, consummatis, didicit obedientiam, in qua adhuc informanda in nobis seipsum occupat. Didicit autem *quamvis sit Filius*, id est, non quà Filius Dei est, vel secundùm deitatem suam; sed quà filius hominis est, id est, secundùm humanitatem suam; quæ nos doceret quà Filius Dei & filius hominis est secundùm

cundùm

cundùm personam suam. Quamobrem etiam occupationem illam adhibuit Apostolus, ut omnem præcluderet tergiversandi locum, quum dixit; quamvis sit filius. Ac propterea etiam non dubitavit Nazianzenus Græcum illud verbum μανθάνειν, prout apud Græcos dicitur variè, exponere altero verbo διδάσκειν, quum inquit: ὃς οἷς ἔπαθε τὸ πάσχειν διδάσκων, οἷς ἐδοξάσθη τὸ συνδοξασθῆναι χαρίζεται. Atque hinc sequitur alter locus, quem antè diximus, ἀεὶ τῶν περὶ ἡμᾶς: nempe quòd consecratus & sanctissimè acceptus probatusque a Deo & Patre ad cõsummandum mysterium redemtionis nostræ, factus est author salutis æternæ omnibus qui auscultant ei secundùm eam obedientiam, quam a Deo Patre acceptam informat in mentibus piorum per Spiritum: Quandoquidem obedientiæ salutis promissio facta est & legata morientis ipsius testamento; quam obedientiam in se perfecit Christus, in nobis inchoavit, & suo tempore per Spiritum æternum provehens, tandem consummaturus est secundo adventu suo. Omnia autem ex vocatione Dei Patris, quæ summatim 10. versu repetitur, tamquam mysterii illius & ministerii fundamentum; ut (quemadmodum antè dicebamus) ad dispositionem totius sequentis argumenti commodiùs transiretur.

Orat. de sancto Paschate.

11 De quo multus nobis est sermo quem dicamus, & difficilis explicatu; quandoquidem segnes auribus facti estis.

12 Etenim vos, quos per tempus oportebat esse doctores, rursum habetis opus, ut doceam vos quæ sint elementa initii eloquiorum Dei, & facti estis ii qui opus habeatis lacte, ac non solido cibo.

13 Nam quisquis alitur lactis participatione, is expers est sermonis justitiæ; infans enim est.

14 Adultorum verò est solidus cibus, nempe eorum qui propter habitum instrumenta sensus habent exercitata ad discretionem boni & mali.

HActenus propositio summa de Christi Jesu sacerdotio, quam deinceps Apostolus copiosè explicat. Antequam verò ad institutam illam explicationem transeat, utitur hoc loco exordio novo, vel potiùs dispositione quadam; ut Hebræorum animos ampliùs compararet ad percipiendum illud sacerdotium Christi. Hujus autem exordii, sive dispositionis ad sequentem tractationem pertinentis, argumentum est hujusmodi: quum Apostolus materiam quæstionemve institutam comparat cum eorum hominum constitutione, apud quos de ea materia agi oportebat; se fermè dubitare, utram viam possit commodè insistere, tradendi lactis, ut vocat, an verò cibi solidi. In hac itaque comparatione duæ propositiones simplices & separatæ sunt: quarum prior pertinet ad distinctionem materiæ institutæ, posterior verò ad discretionem personarum quibus hæc materia fuerat proponenda. Quam rem simpliciter quidem enunciat versu 11. deinde exponit versu 12. postremò autem illustrat similitudine, duobus ultimis. Posteà verò hoc velut exordio dispositionis præmisso, ad propositionem transit illius partis quam deinde statuit explicare, in capite sexto. Distinctionis illius pernecessariæ summa propositio his verbis continetur, *de Sacerdote nobis multa dicenda sunt*, &c. De hominum verò inepta ad hanc materiam capiendam constitutione dicuntur illa: *Quando-*

quidem segnes facti estis auribus. Distingui materiam vel argumentum de quo agendum est non obscurè ostendit Apostolus, quum non negat quidem Hebræos jam aliquid didicisse; sed alio sermone prætereà opus esse narrat, hoc est, ex parte solùm minima didicisse, ampliùs ut discant porrò desiderari: ac proindè explicari ea a se oportere: quorum gravitas duobus modis perstringitur, nempe a multitudine vel amplitudine eorum, & ab explicandi ea difficultate. Quia verò rationem hanc impii quique arripiunt ultrò, ut sui ipsorum vitii culpam in Dei verbum regerant; propterea ostendit Apostolus difficultatem harum rerum explicandarum neque a vitio materiæ, quæ agenda est, proficisci, neque infirmitati & imperitiæ suæ acceptam ferri oportere; sed hominum stupori & indiligentiæ, quorum aures imparatæ sunt his documentis, ut par est, capiendis: Non enim per se difficultatem his rebus inesse, sed per accidens; quia homines non sunt capaces horum mysteriorum; & quamvis ad capacitatem vocati divinitus, tamen sese ineptos præstant percipiendis tenendísque his rebus, sua ipsorum segnitie & indiligentia: quandoquidem (ut Plutarchus optimè loquitur) τὰ ῥᾴδια τοὺς ἀμελοῦντας φεύγει. Hæc propositio enarratur paulò copiosiùs versu 22. adhibitis circumstantiis ad hanc rem pertinentibus; nempe ratione temporis, & laboris per tempus multum occupati. Quæ ratio comparata cum inani illorum profectu evincere dicitur illorum segnitiem, argumento sumto a consequentibus: Qui sunt segnes, ii non proficiunt pro ratione temporis. Vos autem non profecistis: segnes igitur. Non profecisse autem demonstrat a partis primæ vel fundamenti ipsius exemplo: Quos opus est doceri elementa, ii longissimè absunt ut Doctores appellentur: At ea vos doceri rursum opus est. Hic verò observandum est (ut in transcursu dicamus) elegantissimè a rebus naturalibus & Physicis axiomatis transferri commodas appellationes ad doctrinam Christi. Nam quemadmodum in rebus creatis, alia sunt principia simplicissima; alia verò materialia, quæ Elementa appellantur; ex quibus res omnes materiatæ exsistunt: sic in rebus sacris & Mysterio doctrinæ Christi, genus ab Apostolo ponitur, quum dicuntur *Eloquia Dei*: horum principium constituitur, & principii hujus Elementa, id est, summa quædam & crassissima (ut ita dicamus) capita, ex quibus reliquum doctrinæ Christianæ corpus, ut ex Elementis corpora, conformatur. Sed ne philosophari plus satis in rebus sacris videretur; repentè alio se confert Apostolus, similitudinémque adhibet ex rebus humanis sumtam, illustrandæ huic increpationi; quum inquit eò devenisse ipsos, ut lacte opus habeant, non autem cibo solido: non solùm ad modum docendi (ut quibusdam placere video) sed etiam ad argumentum respiciens; quia (ut altera quoque similitudine rem illustremus) aliud est semen in quo planta inest potentia, aliud verò planta ex semine in natura rerum procreata. Nam eodem quoque modo in doctrina Christi aliud est semen sive principium (ut ita dicamus) doctrinæ illius: aliud verò informata ex eo semine & diducta tamquam in ramos & fructus docendi materia ratióque. Suam verò illam similitudinem, de lacte & solido cibo, enarrat Apostolus duobus versibus ultimis per ἀντίθεσιν. Nam lactis μετοχὴν, quæ cum doctrina Principiorum Elementorúmque comparatur, autor dicit esse hominum rudium, qui non sunt capaces sermonis justitiæ, id est, puerorum nondum ratione utentium & justum ab injusto non valentium discernere, sermonémque de eo capere: quemadmo-

quemadmodum sequens εἶπον demonstrat accipi oportere, quum inquit Apostolus, *infans enim est*. Solidi verò cibi usum ad eos qui adultiores & provectiores sunt pertinere demonstrat evidentissimè; in quibus putà tria hæc insunt, ἕξις, γυμνασία, καὶ διάκρισις. Habitus, tamquam altera natura atque tempore confirmata: Exercitatio sive consuetudo, habitum confirmans magis ac magis: Διάκρισις denique, tamquam finis ad vitam optimus ex habitu & exercitatione consequens. Qui ordo dum ab iis negligitur, qui Christiani dici & haberi volunt; omnino periclitantur, ut etiam ab ipsis elementis principiisque eloquiorum Christi decidant indignissimè.

Caput Sextum.

1 Quapropter missum facientes sermonem de initiis Christi, ad perfectionem feramur; non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum,

2 Doctrinæ baptismatum, impositionisque manuum, & resurrectionis mortuorum, ac judicii æterni.

3 Atque id facturi sumus, si quidem permiserit Deus.

4 Nam fieri non potest, ut qui semel fuerint illustrati, gustaverintque donum supercæleste, & Spiritus sancti participes facti fuerint;

5 Ac gustaverint bonum Dei verbum, virtutésque futuri seculi;

6 Ubi exciderint, eos renovet iterum ad resipiscentiam; ut qui rursum crucifigant sibi ipsis Filium Dei, & exponant ignominiæ.

7 Nam terra quæ pluviam sæpiùs supervenientem sibi imbiberit, & progignit herbam accommodam iis per quos etiam culta est, participat benedictionem a Deo:

8 Quæ verò profert spinas & tribulos, reproba est, & affinis maledictioni, cujus exitus ad exustionem est.

Postquàm Apostolus proximè præcedentem illam προδιαίρεσιν in fine capitis quinti proposuit, eloquiorum divinorum tractationem partim in elementis initiorum Christi, partímque in firmioribus & quasi provectioribus documentis constitutam esse: Nunc demum dispositionem instituit illius modi, quem in explicando Christi sacerdotio sequuturus est. Cujus dispositionis summa continetur in membro priore versus primi; deinde verò partes illius convenientissimo ordine exponuntur. Dispositionis summa est: Quandoquidem ita se res habet, & doctrina de Christo in duas partes pro ratione docendi divisa est; priorem partem, quæ est de initiis Christi, missam fieri hoc loco oportere; & posteriorem, quæ plus perfectionis habet & perfectorum sive adultorum est, deinceps sibi exponendam. Itaque duæ partes in hac summa propositione continentur: una, de omittendis rudimentis: altera, de amplioribus documentis in commune afferendis. Sic enim ex antithesi τῆς ἀρχῆς καὶ τῆς τελειότητος hunc locum interpretamur, & utrumque membrum ad λόγον sive doctrinam Ecclesiasticam de Christo accipimus, quæ per gradus a peritis sapientibúsque Dei administris apud auditores suos enunciari solet, ut etiam 1. Cor. 2. legitur. Hujus dispositionis membra quia ab Hebræis controverti facilè poterant, eodem ordine fuisse ponenda, & alterius explicationem altero omisso

institutendam, demonstrat Apostolus gravissima enarratione, reliquo capite. Nam primùm sermonem, qui est de initiis Christi, non esse hoc loco repetendum demonstrat sequentibus, ad versum usque nonum: deinde verò alterum sermonis genus ad perfectionem spectans & perfectis conveniens institui oportere docet, reliquo capite. Sermonem de initiis Christi, fundamentum appellat, dicens: *non jacientes rursum fundamentum*, &c. Atque hoc fundamentum prædicat repeti in hoc loco minimè oportere, tribus versibus, deinde causam adfert cur ipsum hoc loco repeti minimè oporteat, vers. 4. & sequentibus. Quia verò futurum fuisset apud nonnullos obscurius; quid sibi hoc in loco velit fundamenti appellatione; idcircò materiam sive argumentum fundamenti hujus, vel initiorum Christi, circumscribit Apostolus ab enumeratione summarum illius partium. Eæ sunt in speciem numero sex, ut nonnulli putant; ut ego, in universum quinque. Prima est, ut verbis utamur Apostoli, resipiscentia ab operibus mortuis: secunda, fides in Deum: tertia, doctrina Baptismatum: quarta, impositio manuum: ultima, resurrectio mortuorum & judicium æternum: quæ duo in unum conjungi oportere non obscurè ostendit Epanalepsis, qua utitur Apostolus in versu quinto, redditurus causam hujus instituti sui. Primus locus de resipiscentia verè principium obtinet in fundamentali doctrina Christi: cujus duæ sunt partes; una, ut doceamur opera nostra esse mortua, & nos in ipsis a natura mortuos, teste conscientia nostra, & Lege Dei judice; Altera, ut doceamur ab illis animo & reipsa quoque desistere, nobisque renunciare & operibus nostris. Hoc fundamento posito, alterum superstruitur, puta fides in Deum; quia ubi nos operáque nostra mortis evictos esse persentiscimus, certè non possumus, quin desperatione ruamus in exitium nostrum, nisi oculi mentis nostræ ad Deum excitentur; & fide in Deum per Christum caput & consummatorem fidei nostræ in ipso conquiescant, & ad ipsum contendant religiosissimè. Tertius fundamenti locus est, ut qui fide accedunt Dominum, doctrina Baptismatum confirmentur, se Deo acceptos esse, & per fidem insitos in Ecclesia ejus. Baptismatum autem, tum interioris, quo Christus nos Spiritu sancto baptizat & igne; tum verò exterioris, quo Ecclesia per ministerium externum, Dei gratiam testatam facit iis qui resipiscunt ab operibus mortuis, & fide accedunt Deum. Quartus fundamenti locus, est impositio manuum: qua ceremonia sancti Apostoli & Patres orthodoxi significatum voluerunt, Christianum hominem resipiscentia & fide præditum atque Ecclesiæ insitum, ubi legitimè probatus esset, mancipari Domino, & consecrari ad vocationem suam sanctè & religiosè obeundam; sive eam quæ communis est Christianorum omnium, quà Christiani sunt: sive eam quæ singularis & propria est administrorum Dei, quum ad functionem aliquam intromittebantur, & per manuum impositionem mancipati ac consecrati Domino, commendabantur ipsi precibus Ecclesiæ, ut eorum vocationem intus semper ipsis, & foris quum videretur, testatam faceret Ecclesiæ suæ, donisque eos instrueret ad vocationem oblatam pertinentibus. Postremus locus est de resurrectione mortuorum & judicio æterno, id est, certissima illa spe sanctorum quæ reposita est in cœlis, secundùm quam corpore & animo, Deo authore & judice, vita æterna perfruituri sunt. Atque hic partium essentialium ordo, quæ ad Christi initia pertinent, tam naturalis est & docendis hominibus conveniens, quàm qui maximè. His positis, ad institutum

stitutum sermonem, tamquam discedens ab hyperbato proximè antegresso, repetit Apostolus consiliuum suum in vers. 3. dicens: *Atque id faciemus*, id est, omittemus sermonem de initiis Christi, & feremur ad perfectionem exponendam, *si Deus permiserit.* Propositionem consilii de rebus deinceps explicandis confirmat Apostolus, causarum, quę in hoc argumento spectari debent, enarratione. Eæ petuntur ab objectis, in hunc modum: Quicunque homines in fundamento initiorum Christi ædificati, ab eodem fundamento exciderunt, eos non renovat Deus ad resipiscentiam; ac proinde non potest Ecclesiæ aut ullius administri & dispensatoris mysteriorum Dei officium esse, ut eos ministerio verbi revocent ad fundamentum initiorum Christi, & rem sanctam canibus exponant, versu quarto & quinque sequentibus. Uos autem non estis ejusmodi: sed contrà, etsi in doctrina perparum; tamen in fructibus resipiscentiæ non mediocriter profecistis; unde apparet manifestò, vos ex fundamento Christi minimè excidisse, neque porrò de eo institui tamquam a primis rudimentis oportere, vers. 9, & sequentibus. Hoc igitur faciemus, & ad sermonem perfectionis convertemus orationem nostram, ut versu 3. fuit propositum. Negativam igitur hujus Aetiologiæ proponit Apostolus, tribus versibus; postea verò exponit simili, vers. 7. & 8. In negativa subjectum (ut vocis illius, ἀδύνατον, & prædicationis modum ad docendi commoditatem seponamus) & prædicatum circumscribuntur accuratissimè: qua circumscriptione non satis observata, plurimi a vera hujus loci intelligentia aberrarunt. Subjectum est homo duabus conditionibus vel qualitatibus præditus; primum donis acceptis, deinde verò abjectis. Donorum acceptorum enumeratio omnino respondet illi, quæ in fundamento initiorum Christi posita est. Nam primùm fundamento resipiscentiæ ab operibus mortuis respondet illa prædicatio, *qui fuerint illustrati*, id est, a tenebris & morte sua ad vitam revocati per renunciationem sui ipsorum, suorúmque mortuorum operum: prout fit, quum primùm tenebras mortémque suam illustratione Dei videre possunt. Deinde fundamento fidei in Deum respondet alterum, quum *gustavisse* dicuntur *cœleste donum*, id est, fidem a Deo accepisse, & per fidem bona quæ Deus credentibus exhibet aut certè promittit, prehendisse. Tertiò, fundamento doctrinæ Baptismatum ex adverso comparatur illa hominum conditio, quòd *participes Spiritus sancti facti sunt*, id est, quum primùm professione sacra in Christum & Ecclesiam fuerunt insiti, Spiritum sanctum acceperunt in ipsis habitantem, tamquam arrabonem hereditatis nostræ, testémque adoptionis & redemtionis constantissimum. Quartò, fundamento doctrinæ de manuum impositione, respondent illa, quum *gustavisse* dicuntur *bonum Dei verbum*, tamquam justum alimentum eorum qui vivunt in Spiritu, & qui impositione manuum per Spiritum ad vitæ illius acceptæ administrationes & operationes sanctas a Deo vocati sunt; quemadmodum famuli de bonis illius solent vivere cui famulantur. Postremò autem fundamento de resurrectione mortuorum judicióque æterno convenit illud, quod item ultimo loco dicit Apostolus, *qui gustaverint virtutes futuri seculi*, quas virtutes pii spe gustare solent, eáque in fide sustentari. Hæc igitur est perceptio donorum illorum quinque, de quibus in Christiana illa Catechesi & fundamento initiorum Christi homines instituuntur in Ecclesia, ut fructum eorum percipiant: quæ dona semel percepisse, satis est ad salutem, perseverantibus; excidentibus verò, ad

exitium. Altera conditio est principio versus sexti, quum ait Apostolus, *si exciderint*: putà non lapsu uno particulari, aut a re una alteráve solùm; sed ab omnibus rebus quæ modò dictæ sunt, & ab earum habitu; eò quòd voluntariè & malitiosè habitui privationem anteposuerint: Nam qui verbum hoc παραπίπτειν aut ad partem unam solùm rerum antecedentium, aut ad tempus unum & singulare factum restringunt; imprudenter & contra veritatem ea omnia dividunt, quæ jam antè duobus locis docuit Apostolus esse conjunctissima. Hæc illa est subjecti de quo agitur ratio: nempe hic eum hominem considerari qui omnia bona fundamenti & principiorū Christi expertus est, & ab omnibus discessionem fecit. De hoc igitur homine prędicat Apostolus *fieri non posse ut eum rursum Deus renovet ad resipiscentiam*: Deinde rationem affert cur id fieri nullo pacto possit. Fieri non posse docet Apostolus duabus de causis: una est, quòd ipsi filium Dei sibi ipsis, id est, quantum in ipsis est, suo ipsorum facto suoq; magno malo crucifigunt de integro, & Judæ illius Iscariotæ sceleratam perfidiam imponunt sibi. Altera est, quòd eumdem filium Dei traducunt insolentissimè apud omnes, & exponunt ludibrio: quę duo crimina fieri non potest ut umquam probentur Deo; ac proinde necessariò illud consequitur, fieri non posse, ut impia illa vasa dedecoris beneficio Dei renoventur ad eum honorem, cujus primus aditus & quasi janua est resipiscentia. Hic autem duplex occurrit quæstio: prior; possit ne fieri ut qui illa Dei dona, quæ Apostolus enumeravit, acceperunt, ex eis decidant: posterior, utrùm illud honorificum, an potiùs contumeliosum sit Deo, quum dicitur, fieri non posse ut eos renovet ad resipiscentiam, qui inde exciderint. De priore ita statuimus paucis, posse excidere. Nam si non posset, neque hypothesin hanc facturus esset Apostolus, neque ex hypothesi tam grave pronunciatum allaturus, neq; ad hanc causam, quæ agitur, hoc dictum Hebræis, quibus scribebat, accommodaturus: sed quia indefinitarum propositionum, quæ quidem contingentes sunt, ea natura est, ut numquam dici universales possint propriè & per se; propterea intelligendum est, in eorum numero qui dona illa perceperunt, esse qui excidāt; & esse qui non excidunt nec possunt excidere. Eorum qui excidunt conditionem describit Apostolus versu 4. & 5. ita evidenter, ut etiam ex antithesi deprehendi conditio eorum possit qui non possunt excidere. Nam illustrationis primùm modus est differens; quia in iis qui excidunt, aut foris exhibetur illustratio, aut intus insidet coruscatio, nec pleni luminis, nec plenè, nec in perpetuum mentibus eorum hęrens: qui verò non excidunt, ii lucem Dei sic habent in thesauro cordis, ut in ea tamquam lampade permaneat inexstinguibilis, virtute Dei in eis habitantis. Similiter gustatio cœlestis doni in his atque in illis diversa est. Nam qui excidunt ii tantùm gustaverunt, aut ita certè gustaverunt, ut quamvis temporaria quadam lætitia donum illud cœleste acceperint, tamen non secus ac homo κακοστόμαχος cibum etiam optimum infirmitate sua, ita donum cœleste fidei evomant vitiositate sua. Idem quoq; de ceteris gradibus, quos ponit Apostolus, faciendum judicium est: nempe dona Dei & vocationem, ut inquit Apostolus, esse ἀμεταμέλητον, ac proinde Deum veracē esse, ut ut sit omnis homo mendax: sed non omnia subjecta capacia eorum donorum esse rectè & salutariter: esse quidem nonnulla quodammodo & quadamtenus capacia; quæ posteà miserè excidunt sua ipsorū vitiositate; sed non omnia. Rectè & salutariter

salutariter capacia esse ea, quæ Deus Pater tradidit filio secundum beneplacitum voluntatis suæ, id est, Electos ejus; non esse verò capacia instrumenta ea, quæ non sunt Christo tradita secundùm electionem gratiæ, quamvis externa vocatione & aliquo donorum gustu ad stationem in Christo habendam provocentur. Ad hanc rem commodiùs explicandam ita habendum est: lucem, dona cœlestia, & cetera quæ hoc loco nominantur, non appellari homonymως sive æquivocè, tamquam si aliam lucem donáque Deus suppeditaret improbis a Deo postea defecturis, aliámque bonis: Nam eamdem lucem eadémque dona, si rei substantiam spectes, quamvis suis modulis gradibúsque distincta, exhiberi; si modò fundamentum eorum omnium, id est, cõmunionem Christi (in quo stant pii virtute Spiritus sanctificationis, & a quo absunt impii) exceperis. Sed illa ipsa lux, donáque, & effecta a Deo proficiscẽtia, partim quantitate seu modò, partimque applicatione & perceptione differunt. Quantitate, seu modo: quia electis fons ipse vel radix traditur; ac proinde rivos vel fructus per Spiritum sanctificationis oblatos sibi non possunt amittere, cùm nullus eorum quos Pater dedit Christo periturus sit de manu ejus: Aliis verò rivi quidẽ vel rami iidem gustandi & percipiendi exhibentur, sed citra fontem radicémq; ipsorum; ac proinde in ipsis positi nullo negotio exarescunt, & ipsi resilientes a Domino sanctificationi suæ renunciant. Applicatione autem: quia piis hæc bona insident, neque solùm auribus, oculisque, vel sensibus ipsorũ, aut sensui etiam communi, aut cerebro & cogitationi exhibentur; sed percipiuntur corde per fidem & bonã conscientiam, & in thesauro cordis reconduntur; ut suo tempore res bonæ de thesauro cordis depromantur: Aliis verò qui semen pietatis non habent in Christo Jesu, hæc ipsa documenta lucis donorúmque Dei ita exhibentur, ut ipsi sibi non applicent ea salutariter; út quæ non sint cõtemperata in ipsis fide justa per Spiritum sanctificationis; sed tantùm aut quasi sensibus percepta & primoribus labris degustata; aut in conscientia mala, tamquam invalente stomacho, reposita, quę statim evomant; aut denique *ἀυποκρίτῳ*, seu personata (ut ita dicamus) fide, ita ab eis percepta, ut nec concoqui ad vitam salutémque ipsorum, nec digeri possint. Quam similitudinem, ab usu naturalis cibi, ut adhibeamus ad hunc locum ipse Apostolus nobis author est, repetito *gustandi* verbo. Ad summam, accipiunt eadem dona impii; sed non cum radice & causa formali ipsorum, nec eadem quantitate & modo: deinde verò non ita percipiunt, quamvis a Dei gratia ad perceptionem illorum provocentur, omnes quidem communiter, pii verò salutariter: ac proinde non debet cuiquam videri mirum, si ex eis bonis dicuntur decidere, qui fundamentum, basin, radicémque, & fontem bonorũ numquam tenuerunt. Quòd autem decidere hoc loco dicit Apostolus, ne quis fortè cum Novatianis hujus loci authoritate labefactet infirmorum fidem, tres gradus intelligendi sunt, secundùm quos hoc peccatum a ceteris peccatis distinguitur, & sine quibus non potest haberi commoda hujus & similium locorũ interpretatio. Primus gradus est, quòd toti; secundus, quòd de toto: tertius deniq;, quòd in totum decidunt, qui hoc modo decidunt. Toti decidunt, qui & intelligentia & voluntate consilioque certo, non ignorantia, aut infirmitate, sed malitia toti resiliunt a Deo & donis ipsius, & se totos mancipant voluntati carnis suæ: ac proinde non ita peccavit **Paulus**, nam per ignorantiam fecit: non item Petrus, nam per infirmitatem

infirmitatem fecit, ac non totus renunciavit Christo; sed tantùm, quisquis se totum & quicquid habet avertit a Deo, & aversatur eum. De toto decidunt, qui non huic tantùm, aut illi bono, quod testatur Deus, renunciant semel, aut sæpiùs, & a fide vitâque aberrant; sed qui a tota doctrina, & vocatione Dei, bonisque oblatis & perceptis omnibus absistunt voluntariè, abnegantes fidem, & Legem Dei oppugnãtes, eámque maximè quæ ad pietatem spectat & ædificationem secundùm Deum. In totum decidunt, qui impiam illam scelestámque defectionem suam ita constituunt & obfirmãt in animis suis, ut ultrò ipsam Dei majestatem infesti petant, eámque, quoad ejus fieri potest, indesinenter student ignominiæ exponere. Atq; hoc illud peccatum est, quod Christus peccatum in Spiritum sanctum appellavit, & Johannes, peccatum ad mortem, de quo postea idem Apostolus capite 10. testatur, non esse adhuc reliquam hostiam pro peccato hujusmodi. Atque hoc quidem peccatum totius hominis esse testantur ipsa Euangelistarum verba: ut quum Matthæus disertis verbis blasphemiam Spiritus appellat, id est, quam homo perversa voluntate Spiritu & animo iniquissimo pronunciat. De toto verò bonorum spiritualium cumulo reum hujus peccati decidere, demonstrant illa, quod apud omnes Euangelistas de eo agitur qui adversus Spiritum sanctum blasphemaverit; ut qui author atque effector est proximus bonorum omnium illorum, quę homines unquam possunt accipere. In totum denique decidere demonstrat illa instituta a Christo antithesis: Quisquis loquutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur ei; quisquis autem fuerit loquutus adversus Spiritum sanctum, non remittetur: quasi dicat; Grave quidem est peccatum & gravis blasphemia, quæ in Christum filium Dei pronunciatur, quacumque tandem occasionę fiat: sed quum homo blasphemus ita in Christum exardescit, ut feratur etiam infestus contra Spiritum sanctum, eúmque deliberata malitia ementiatur & exstinctum velit, cujus vis illuxit ipsius conscientię; hujus crimen αὐτοκατάκριτον nullam condonationem unquam obtinebit; sed ligatum atque obsignatum in cœlis permanebit, cum Spiritui sancto in totum renunciet. Ex his omnibus ergò conficitur illud quod principio diximus, posse fieri, ut decidant ii qui dona Dei illa acceperunt quæ huc contulit Apostolus; nempe quicumque non fuerunt Christo traditi a Patre, neque in ipso insiti & radicati sunt; quandoquidem omnis planta quam non plantavit Pater, eradicabitur: contra verò, non posse fieri ut qui beneplacito Dei secundũ electionem ejus, sunt in Christo Jesu, ii decidant de hac communione & participatione donorum Dei; quia vero potentissimóque fundamento verè superstructi sunt, quod ne ipsæ quidem inferorum portæ unquam poterunt labefacere. Sequitur altera quæstio, utrum honorificum, an verò contumeliosum in Deum esse videatur, quum dicitur fieri non posse ut eos renovet Deus ad resipiscentiam, qui ex his bonis exciderint. Ac mihi quidẽ videtur huic dubitationi causam prębuisse maximè ea interpretatio, quæ in vulgo hactenus obtinuit: Impossibile est rursus renovari ad pœnitẽtiam, &c. vel (ut aliis placet) renovari per resipiscentiam: quod posterius (bona pace illorum dixerim) a mente Apostoli, & proprietate vocis longiùs videtur discędere: Utrumque verò abesse longè ab Apostoli argumentatione; quę sumitur a consilio decretóq; Dei, ut antè diximus, & cõcludit ita se habere vocationem & functionem administrorum ejus oportere. Quamobrem mihi

mihi omnino probatur hæc interpretatio, quam in diagrammate contextus sequuti sumus: nempe τὸ ἀνακαινίζειν, ut per se activum est, sic etiam activè accipi, & de ipso Deo salutis vocationisq; ad salutem authore hæc enunciari; nempe fieri nō posse ut eos qui tantis donis acceptis voluntariè ab eis abscesserint deciderintque, Deus iterum renovet ad resipiscentiam, &c. Quæ propositio a natura Dei constantissima & immutabili confirmatur. Etenim perinde est ac si diceret Apostolus: Deus seipsum negare non potest, ut alibi inquit idem Apostolus. Hæc autē species abnegationis sui futura esset, si eos homines, qui ab his donis omnibus exciderunt ultrò, renovaret ad resipiscentiam. Hoc ergò Deus facere non potest, vel (ut commodius loquitur Apostolus) fieri non potest, ut hoc faciat Deus. Quid ergò? an impotentiam in Deo hoc sermonis genere statuimus? Minimè verò; nam contra si daremus illud, Deum potentem esse abnegandi sui, non esset perfectè omnipotens: cùm illa ipsa, quæ abusivè dicitur, potentia abnegandi sui, propriè non potentiæ, sed impotentię deputanda sit. Cùm itaque absolutissimę potentiæ illud sit, quòd seipsum negare non potest; quòd non est in ipso mutatio, ac ne mutationis quidem ullius adumbratio; quòd non est ut homo qui mentiatur, aut ut filius hominis quem pœniteat, & si qua sunt ejusmodi: omnino sequitur, sublato genere hanc quoque speciem tolli; nec magis fieri posse, ut qui constantissimus est in justitia sua, protervos peccatores istos revocet ad resipiscentiam, legémque mutet justitię suæ, quam potest fieri ut sese abneget. Id enim constatiæ est & veritatis Dei; tantùm abest, ut contumeliosum hoc dictum in Deum meritò vederi possit. Ne quis autem fortè miretur, quòd verbum παραπίπτειν de voluntario protervóque hominum peccato & universali defectione accipimus; id imperitiorum causa hoc loco monebimus, eam nos interpretationem amplecti religiosissimè, quæ habet convenientiam cum aliis Scripturæ locis argumento, & verbi ipsius significatione. Argumento; nam hoc genus denunciationis non nisi de voluntario peccato, quod fit elata manu, in Scripturis usurpari solet, ut Numerorum 15. Matth. 12. infrà cap. 10. & 1. Joh. 5. & similibus prætereà locis. Significatione verò: quia verbum cadendi sive decidendi Hebræis & Græcis, ut & Latinis, procidere, de voluntaria quoque dejectione, ac non de involuntaria solùm vel inopinata dicitur: ut legitur Rebecca de camelo decidisse, quum Isaacum prospexisset, Gen. 24. & in libr. Judicum Axa quum pro fontibus patrem rogatura esset; & alia quoque exempla leguntur consimiliter. Hæc verò omnia tandem illustrat Apostolus adhibita similitudine: quæ similitudo, quia nihil obscuritatis habet, a nobis (quorum aliud institutum est) de industria omittetur. Tantùm de eo nobis dicendum est, quid causæ fuerit cur Apostolus ad Hebræos scribens in hunc sermonem devenerit. Duę igitur causæ sunt, judicio meo, cur in hunc sermonem venit Apostolus; prior est, ut institutam illam dispositionem a contrariis illustraret: posterior, ut Hebræos proposita gravitate minarum Dei adversus gravitatem instantium calamitatum & infirmitatem humanam confirmaret. Dispositionem fuisse illustrandam (quod ex contrariis maximo opere obtinetur) demonstrat maximè alterum hujus capitis membrum; versu nono & sequentibus. Hæc enim dispositio fuit: Duplex est docendi modus, materiáque in Ecclesia Dei: una, lactea; altera, solida: quarum lactea infantibus, solida adultis præbenda est. Ac vos quidem infantiam

prætergreſſi eſtis, ſi temporis rationem habeamus:ſegnitie verò quadam,ac non rebus omnibus infantiam imitamini. Hæc autem cùm ita ſint;non tamquam infantibus ſermonem de principio Chriſti oportet adhiberi; ſed potiùs perfectiorem doctrinam proponi, conjuncta exhortatione, ut qua in re infantes imitamini, ab ea deſiſtatis,& adoleſcatis augeſcatiſq; ad omne opus bonũ.Quòd ſi in eorum numero eſſetis,qui poſtquàm inceperunt a Spiritu, in carne deſinunt, & ad carnis ſtudia abdicato omni pietatis guſtu voluntariè feruntur præcipites; hoc ego non eſſem facturus: quia canes & porcos ejuſmodi nec Deus juſto conſilio ſuo renovare ſtatuit ad reſipiſcentiam, nec verbi ſui Miniſterium ampliùs illudendũ hominibus iſtis exponere: *ſed perſuaſimus nobis,dilecti,de vobis*,&c. verſu nono. Confirmatione verò fuiſſe opus, & quidem ſeveriſſimis Dei minis grauiter appoſitis adverſus tam multa pericula quæ minari Hebræis videbantur, multis rationibus oſtendi poteſt, ex natura communi omnium, hiſtoria illorum temporum, & verbis hujus ipſius Epiſtolæ. Nam ea eſt a natura hominis infirmitas,ut niſi promiſſionibus alliciatur, minis impellatur, omnibus denique modis quotidie excitetur; facilè ac nullo negotio infirmitatibus ſuis indulgeat. Hiſtoria verò illorum temporum oſtendit apertè, plurimas fuiſſe Hebræorum perpeſſiones, quas ab aliis Gentibus ferre cum ſumma ignominia coacti ſunt. In primis autem eorum qui in Chriſtum crediderunt; quia hi non ſolum eò male audiverunt quòd Judæi eſſent,ſed apud ſuos etiam Gentiles fuerunt odio maximo, tamquam ſi ſcandalum ſuis fratribus profeſſione Chriſtianitatis poſuiſſent. Maximè autem verbis hujus ipſius Apoſtoli capite 10. confirmantur iſta: ubi hoc ipſum argumentum exhortationis iterum inculcavit, & cauſas ejus copioſius explicavit. Ex his itaque concludimus, non iniquam, aut ineptam,aut ſupervacaneam propoſitionem hanc apud Hebræos exſtitiſſe; ſed potiùs ad lucem hujus diſpoſitionis maximè pertinere, & oportunum illi genti temporibúſque ſtimulum hujuſmodi acceſſiſſe, quo Hebræorum animi in fide & patientia ſancta perſiſterent.

9 Sed nobis perſuaſimus de vobis,dilecti,res meliores & ſalute conjunctas,etiamſi ita loquamur.

10 Non enim Deus injuſtus eſt,qui obliviſcatur opus veſtrum & laborem illum charitatis, quam demonſtraviſtis, quum ad nomen ipſius miniſtraviſtis & miniſtratis ſanctis:

11 Sed cupimus unum quemque veſtrum demonſtrare idem ſtudium ad plenam ſpei perſuaſionem in finem uſque;

12 Ut ne ſegnes efficiamini; ſed imitatores eorum qui per fidem, & patientiam hereditatem promiſſionum obtinent.

Gen.22.

16 *Per me juravi,dictum Jehovæ, quandoquidem feciſti rem hanc, ac non ſubſtraxiſti Filium tuũ, unicum tuum:*

17 *Benedicendo benedicam tibi,& multiplicando, multiplicabo ſemen tuũm*,&c.

13 Nam cùm Deus promiſſa fecit Abrahę,quandoquidẽ non habuit unde juraret per majorem quemquam,juravit per ſeipſum.

14 Dicens, Certè benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.

15 Atque

15 Atque ita, quum patienter exspectavisset, promissionem illam assequutus est.

16 Etenim homines per eum jurant qui major est; & jusjurandum ad confirmationem adhibitum, est eis omnis controversiæ terminus.

17 Qua in re Deus volens ampliùs demonstrare heredibus promissionis immutabilitatem consilii sui, interposito jurejurando confirmavit:

18 Ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut sit mentitus Deus, validam consolationem habeamus, qui eò confugimus, ut propositam spem teneamus:

19 Quam, velut tutam ac firmam animæ anchoram, habemus, & ingredientem in partem intimam veli:

20 Quò præcursor pro nobis Jesus ingressus est, factus Pontifex in seculum secundùm ordinem Melchisedec.

POsita antecedente descriptione eorum hominum, ad quos non doctrina Christi, ac ne fundamentum quidem illius pertinet, nunc demùm propositionem alteram, & quamdam velut ὑποθεραπείαν adhibet Apostolus: quæ si ad justam argumentationis formam revocetur, propositio minor, sive (ut vocant) Assumtio institutæ hujus dispositionis vocari potest. Sic enim argumentatur, & probat consilium suum. Iis qui salutaria Dei dona evomuerunt, & fundamenta ipsorum, non est perfectionis Christianæ doctrina proponenda, neque pueris rudibus in Christo. Vos autem neque pueri estis in Christo, neque doctrinæ sanæ renunciavistis, ut de vobis persuasi sumus. Restat igitur, ut perfectionis doctrinam exhibeamus vobis. Atque hæc quidem assumtio, versu nono & tribus seq. confirmatio verò, sequentibus exponitur. Propositionis autem de illa Christiana persuasione fiduciáque, quam de Hebræis se narrat præcepisse, simplex enuntiatio verbis evidentibus & blanda modestia conjunctis exstat versu nono; quæ ita per se clara est, ut nos quidem lucem ei afferre nequeamus. Ejus verò confirmatio est in versu 10. ubi ostendit Apostolus persuasionem suam non esse de nihilo conceptam opinionem; sed certissimum judicium a signis & rebus conjunctis sumtum. Sic enim statuit Apostolus: in quibus signa & testimonia bonorum operum & laboris in charitate summi posuit & ostendit Deus, de iis bona debet esse persuasio; Vos autem ii estis. Verumtamen ne quis putet persuasionem hanc in virtute aut qualitate hominum fundatam esse; altiùs assurgit Apostolus, persuasionem suam testificans in Deo justissimáque natura ejus, non autem in hominibus & infirma eorum conditione acquiescere: tamquam si diceret; omnino quidem id fieri potest, ut vos vestri ipsorum obliti per infirmitatem ab opere vestro & labore charitatis illius desistatis; sed persuasio mea cõquiescit in Domino: is judex ille justus est, qui opus illud vestrum & laborem charitatis efficit in vobis, qui hæc signa testimoniáque protulit, & qui dona sua in vobis coronaturus est. Hanc verò argumentationem in hunc modum accipi oportere qui negant, falluntur ex homonymia verbi ἐπιλαθέσθαι sive oblivisci: illis enim obliviscendi verbum non aliò spectat, quàm ad præmium & compensationem operum antecedentium: cùm tamen in Scripturis passim hoc idem verbum accipiatur pro eo quod est, non pergere & continuare in promisso vel instituto bono: quemadmodum hoc in loco accipi oportere demonstrat

ſtrat antitheſis duorum ſequentium verſuum, in qua Apoſtolus ſuum deſiderium ſtudiúmque explicat, velut adjuvantem cauſam ſummæ illius & principalis cauſæ efficientis, nempe Dei juſti, & juſtum opus ſuum in piis & juſtis juſtè proſequentis ad gloriam nominis ſui, ſanctorum adjumentum, & omnium ædificationem: quæ cauſæ ſigillatim his verbis Apoſtoli comprehenduntur; *quam charitatem demonſtraviſtis, quum ad nomen vel in nomine ipſius miniſtraviſtis ſanctis, & adhuc miniſtratis.* Ad ſummam, hæc eſt Apoſtoli argumentatio: Qui juſtum opus juſtè inſtitutum, tamquam ſui ipſius oblitus, deſerit, is injuſtus eſt. Deus autem non eſt injuſtus. Non igitur juſtum opus veſtrum, laborémque fidei, ſanctis pietatis charitatiſque officiis teſtatum in nomine ſuo ad miniſterium ſanctorum, relinquet infectum. Huic verò propoſitioni ſuccedit altera eódem pertinens; ſed diverſo tamen argumento ſeu medio argumentationis: nempe a ſtudio Apoſtoli, tamquàm vocati ad miniſterium iuſtitiæ illius Dei, ad procurationem operis illius, & ad provectionem ſalutis noſtræ. Sic enim ab exemplo Domini, cujus aſſeruit juſtitiam præcedente verſu, ſuum officium officio Domini ſui conformatum eſſe affirmat, dicens; *ſed cupimus* (tamquam ii nimirum, qui Dei illius non injuſti, ut antè loquutus eſt, adminiſtri ſumus & operarii) *ut unuſquiſque veſtrum demonſtret idem ſtudium ad plenam ſpei illius noſtræ perſuaſionem in finem uſque,* nimirum quale ſtudium in opere veſtro & labore charitatis erga ſanctos exhibuiſtis: id eſt, ut fides veſtra & demonſtratio illius ſpei, quam Dei Spiritus genuit in vobis, eadem ſit, quanta fuit demonſtratio charitatis illius, de qua jam diximus. Hujus autem optati finis demonſtratur verſu 12. per antitheſin emphaticam, ubi ait: *ut ne ſitis ſegnes,* aut verò *ſegneſcatis:* abjicientes puta illud ſtudium de quo modò diximus; ſed potiùs diligentes ſitis imitatores ſanctorum, quorum deſcriptio elegantiſſima concluſa eſt ſequentibus verbis, quum appellantur ii *qui per fidem & patientiam obtinent hereditatem promiſſionū.* Nam generalis quidem eſt illa ſanctorum deſcriptio, quòd heredes promiſſionum dicuntur eſſe, hereditatémque earum obtinere; ſed cùm alii in re (ut Auguſtinus loquitur) alii in ſpe hereditatem obtineant; optimè formam ſanctorum, tantiſper dum in hac vita ſunt, circumſcribit Apoſtolus duobus attributis, fide & patientia. Quæ duo in hoc ſeculo omnino ſunt opus, ut per fidem veritas rei teneatur; per patientiam vincatur adverſitas: quemadmodum & in Apocalypſi legimus, hîc eſt fides & patientia ſanctorum. Sequitur jam confirmatio antecedentis argumenti, unde perſuaſio illa profecta eſt, & cujus argumenti reſpectu ac confidentia ſanctos omnes alios de aliis optima quęque ſperare neceſſe eſt. Sic enim Apoſtolus ſeipſum in perſuaſione illa confirmans argumentatur: Quæ Deus promittit & jurat, ut juſtè promittit & jurat, ſic eadem juſtè pręſtat: Hereditatem verò promiſſionum vobis juſtè promiſit Deus, juravitque, & documenta præſtitit veritati ſuæ in illo opere veſtro & labore charitatis; Juſtè igitur hęc vobis quoque præſtiturus eſt. Præſtare autem demonſtrat Apoſtolus exemplo Abrahami, verſu 13. & duobus ſequentibus: quod exemplum poſteà interpretatur, & tum omnibus ſanctis, tùm præſenti cauſæ accommodat, ad quæſtionem inſtitutam tranſiturus. Deum Abrahamo promiſiſſe narratur verſu 13. & 14. præſtitiſſe, decimoquinto. Promiſſionis duo membra ſtatuuntur; nempe ipſum promiſſionis genus; & modus ad promiſſionem confirmandam pertinens; putà juramentum, quo Deus

per

per seipsum juravisse dicitur, cùm per majorem quemquam jurare non possit. Deinde confirmatur hæc propositio ab authoritate sumta ex 1. libro Mosis, quemadmodum suprà in Parallelo diagrammate nostro posuimus. Atque hic locus ita est evidens, ut declaratione ulla ampliore opus non habeat; præsertim cùm hujus ipsius argumenti declaratio reliquo capite apponatur. Declarationis autem illius similiter membra duo sunt: priùs enim declaratur promissionum divinarum modus, versu 16. & 17. deinde finis & effectus, reliquis. Modum promissionum per comparationem Apostolus explicavit sumtam ex humano usu: quẽ usum versu 16. accommodationem 17. complexus est. Humanum usum in juramentis distinguit Apostolus duobus modis; tum quòd ii qui jurant per eum jurant qui ipsis major est; tum quòd jusjurandum confirmationi rerum inservit, & omnem controversiam vel contradictionem terminat. Hujus verò propositionis sequitur accommodatio 17. versu, qua ostendit Apostolus quantopere Deus hominum confirmationi consultum voluerit: qui ratione humana heredes confirmaverit de fide & constantia sui consilii; Quod consilium his verbis exponit Apostolus: *Deus volens ex abundanti* sive ampliùs *demonstrare immutabilitatem consilii sui heredibus promissionis:* factum verò expressit illis, *intercessit vel interposuit se jurejurando:* tamquam si diceret, veram quidem, immutabilem, & indubitatam esse Dei fidem in promissionibus ipsius agnoscunt omnes, quibus manifestum est id quod de Deo cognosci potest: Ac proinde nihil attinuit ipsius causa, ut promissiones suas verissimas & heredibus earum factas ex abundanti confirmaret. Verumtamen quia heredum infirmitatem vidit, dum hic versantur in exspectatione hereditatis suæ, circumstantem ipsos; propterea placuit ipsi cavere infirmitati ipsorum eodem modo quo homines inter se solent, & se ad captum & conditionem ipsorum demittere, adhibito juramento, cujus finis sequentibus versibus exponitur. Ac fines quidem propriè duo sunt: unus, ad Deum respiciens & gloriam ipsius, quum Deus vers. 17. *voluisse* dicitur *ex abundanti heredibus promissionis demonstrare immutabilitatem sui consilii:* Alter ad nos respiciens, & bonum salutémque nostram; nempe, *ut per duas res immutabiles*, quod versu 18. dicitur, *validam consolationem habeamus* in hoc stadio curriculóque nostro, dum eo cursu contendimus, ut spem propositam in promissionibus ejus obtineamus, atque in ea persistamus. Cujus constantiæ firmamentum illud est amplissimum, quod inquit Apostolus, *fieri non posse ut in rebus illis mentitus sit Deus*. Effecta verò cum fine ita conjuncta sunt, ut divelli ab eo nulla ratione possint. Nam primus hujus confirmationis divinæ effectus est fides, quòd in isto cursu, quamvis arduo & perdifficilli, validam habemus consolationem, qui in fide & veritate promissionum Dei conquiescimus. Secundus effectus est spes, *quam* (inquit Apostolus) *velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam*, &c. Quæ duo effecta elegantissima similitudine & quasi allegoria hoc loco describuntur, quum hic mundus alto mari, fideles vectoribus cursu ad portum contendentibus comparantur. Quemadmodum enim vectoribus duo sunt opus in gravissimis & periculosissimis procellis, tùm ut inter medios fluctus cõsolationem habeant, tùm ut extra fluctus in portu quadam velut anchora confirmentur de salute sua: sic etiam fidelibus & piis omnibus prospectum fuisse a Deo demonstrat Apostolus, ut in alto fidem habeant, quam fidem spes, velut anchora in portu reposita & infixa, tutam

&

& securam esse jubeat ab omni incommodo. Hujus verò securitatis maximum argumentum, sed μεταβατικὸν ad quæstionem institutam, subjicit Apostolus, quum anchoram spei nostræ narrat *ingredi in partem interiorem usque veli,* quod olim in templo locum sanctum a sanctuario Dei disterminaverat typicè, & sanctuarii cælestis (ut idem pòst interpretatur) ingressum adumbraverat. Sic enim ostendit Apostolus, non modò facultatem ad portum appellendi nobis oblatam esse, verùm etiam ipsa penetralia quietis & gloriæ Dei reserata esse: cui rei fundamentum & causa efficiens proponitur versu 20. *Jesus Christus præcursor pro nobis,* &c. Qui versus nihil aliud est, nisi ἐπανάληψις sermonis illius, ex quo digressus erat Apostolus inde a vers. 11. capitis præcedentis, & prolepsis sive propositio summa eorũ quæ postea dicere instituit apostolus de sacerdotio Christi. Nam duo summatim in hoc versu de Christo Jesu prędicantur; unum, Jesum Christum præcursorem pro nobis intra velum ingressum esse: alterum, id non nisi secundùm vocationem Dei fuisse ab ipso factum, ut qui pontifex sit factus in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Nam hæc duo membra prolepseως in capitibus sequentibus ὕστερον πρότερον exponuntur; prius quidem capite 7. & 8. posterius sequentibus.

Caput Septimum.

1 Nam hic Melchisedec rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui venit obviam Abrahamo revertenti a cæde regum, & benedixit ei,

2 Cui etiam decimas ex omnibus impartitus est Abraham, qui primùm quidem ex interpretatione dicitur rex justitiæ, deinde verò etiam rex Salem, quod est rex pacis,

3 Sine patre, sine matre, sine recensione generis, nec initium dierum, nec vitæ finem habens, sed assimilatus ipsi Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

INstitutæ propositionis de sacerdotio Domini & servatoris nostri Jesu Christi membra duo antè posita sunt: unum exsequutionis, quòd Christus persunctus est partibus sacerdotis nostri; alterum, vocationis & functionis imperatæ ad perfectionem salutis nostræ. Posteriorem hunc locum suprà capite 5. & 6. ita proposuit Apostolus, ut non simpliciter, sed comparatè dignitatem sacerdotii illius ostenderit ex Davidis Prophetæ verbis; quia Christus pontifex vel summus sacerdos factus esse dicitur in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Explicaturus igitur propositionem hanc Apostolus καθ' ὑστέρον, duas sibi partes sumsit ordine (ut opus fuit) explicandas: unam, typi, quo sacerdotium Christi fuit adumbratum; alteram veritatis cum sacerdotio Christi consistentis, quam ille typus jam olim adumbraverat. Est autem in his tribus versibus summa propositio illius typi, cujus enarratio deinde ad versum usque undecimum continetur: posteà demum transitur ad illud sacerdotium Christi, quod Melchisedec adumbraverat. De hoc autem Melchisedeco sic agit Apostolus, ut primùm descriptionẽ ex Mose percurrat, deinde verò officium ejus sacerdotale circumscribat ex Davidis verbis, in fine versus 3. Ad descriptionem ex Mose sumtam tria hæc pertinent: primùm, quòd hominis nomen, functio, res gestæ exponuntur: secundò, quòd affertur nominum interpretatio: tertiò, quòd

ea

ea observantur, quæ a Mose typicè dissimulata sunt, sive reticentur in historia ejus. Nomen viro fuit *Melchisedec*: functio duplex: una regalis, nam *Rex* dicitur *Salem*; altera Sacerdotalis, secundùm quam *Sacerdos Dei altissimi* appellatur. Facta sive res gestæ, quòd tamquam Rex munificus *occurrit Abrahamo revertenti a cæde Regum*, & tamquam Sacerdos ac Propheta ordinarius verbis Dei *benedixit illi*; quo nomine etiam *Abraham illi decimas ex omnibus impartitus est*, & ille ab eo non dubitavit accipere tamquam fretus authoritate Dei, & ex ea ritè perfungens sacerdotis officium. Secundus locus, puta nominum interpretatio, non habet quidem magnam authoritatis speciem, quia nomina plerumque in rebus humanis κατὰ τὸ τυχὸν, vel contingenter imponi solent; ut innumeris scripturæ sacræ exemplis demonstrari potest, & quotidiana arguit experientia. Sed cùm ea, quæ a Mose de Melchisedeco narrantur, primùm quidem certa Dei providentia se ita habuerint, & nomina quoque eodem authore & duce fuerint imposita: præterea cum ea ipsa quę Dei providentia geri in hunc modum voluit, per eamdem providentiam & οἰκονομίαν ita a Mose conscripta sint; ac proinde a Deo cùm impositio nominum, qua Moses, tum interpretatio, qua Apostolus utitur, dicenda sit: non dubitamus quin necessaria sit ex illis appellationibus divinitus impositis & firma consequentia; quemadmodum suprà capite primo de Christo diximus in versum quartum. Duplex igitur est interpretatio. Nam primùm quidem nominis *Melchisedec* interpretatio est *Rex justitiæ*: fuit enim typus Regis illius nostri, sive Jehovæ justitiæ nostræ, ut vocat Jeremias; qui ipse justus est, justitia nostra est, nos justificans, & justitiam curat regia administratione sua. Deinde verò etiam *Rex Salem* dicitur, id est, *Rex pacis*, quia pax nostra est, qui justitia sua perfectáque obedientia Deo, & Patri ita satisfecit, nósque ab omni peccato & injustitia vindicavit, ut jam pacem habeamus erga Deum per ipsum, & aditum in gratiam hanc per quam stamus, gloriemúrque in ipsis oppressionibus sub spe gloriæ Dei. Est enim pax illa justitiæ Dei consectaria. Sequitur deinde tertius descriptionis locus, sumtus ex iis rebus quæ Moses typi causa dissimulavit & reticuit in historia sua, authore Spiritu Dei. Sic enim statuit Apostolus: Quemadmodum ea ipsa quæ humanitus de Melchisedeco fuerunt pronunciata contingenter secundùm hominem, respectu typi a Deo dati atque destinati necessariam efficiunt consequentiam; ut sunt ea quæ hactenus de Melchisedeco fuerunt exposita: sic etiam quæcunque destinato certóque consilio a Spiritu Dei in libro & narratione Mosis dissimulata sunt, typi causa fuisse dissimulata; ut rerum quarumdam silentium pro typo eorum haberetur quę de persona Christi (in quo est typi illius veritas) negare necesse est. Atque hæc quidem speciatim recenset Apostolus quatuor prædicationibus in vers. 3. Deinde generatim materiam & modum harum prædicationum proponit. Specialia igitur sunt hæc, quæ de Melchisedeco reticuit Moses typicè, de Christo autem verè oportet accipi. Primùm, quòd est *sine patre*, putà Melchisedec quidem sine patre quem narrat Moses; Christus verò sine patre ullo secundum carnem, ut qui sine patre ex Spiritu sancto, id est, operatione illius & inumbratione ac veluti fotu conceptus est, factus ex muliere & factus sub Lege secundùm carnem. Secundum est, quòd *sine matre* dicitur consimiliter; quod epitheton Melchisedeco typicè secundùm historiæ modum; Christo secundùm veritatem

competit, quà filius est æternus Dei & Patris æterni, Splendor gloriæ, Character personæ illius, & imago Dei inconspicui, ut aliquot locis Scriptura loquitur. Atque eòdem quoque pertinent sequentes aliæ prædicationes duæ: una, quòd est ἀγενεαλόγητος, quia prout typicè a Mose reticetur Melchisedeci genus, ita revera Christus omnes generationes superat, quæ in rebus creatis dici & recenseri solent; tamquam æternùm a Patre genitus inexplicabili & incomparabili generatione: Altera, quòd *neque principium dierum neque vitæ finem habere* dicitur, nimirum κατὰ λόγον sive τάξιν, id est, prout narratio illius a Mose instituta est, qui neutrum de Melchisedeco vel minima vocula expressit; sed omnia dissimulavit religiosissimè πρὸς τύπον, authore Dei Spiritu. Atque hæc quidem κατὰ λόγον ἱστορίας καὶ τάξιν dissimulata de Melchisedeco typicè, de Christo κατὰ λόγον ἀληθείας optimè, velut complemento antecedentis typi, enunciata sunt. Nam si Christus, omnibus modis infinitus est, quà Deus (est autem) certè etiam tempore infinitus futurus est. Quòd si tempore; igitur nec principium dierum, nec vitæ finem habet; alioqui si haberet, non rectè infinitus esse diceretur. Harum verò prædicationum quatuor antecedentium materia & modis circumscribitur illis vocibus: *sed assimilatus Filio Dei*, id est, similis factus, non secundùm substantiam (quis enim par aut similis Deo appellari posset propriè?) sed secundùm rationem & modum narrationis historicæ; ubi de Melchisedeco ea reticentur, tamquam si non fuissent in eo: quæ de Christo religiosè & sanctè negantur, quia in ipso non sunt. Quam analogiam & proportionem typi veritatisque optimè Psaltes Hebræa appellatione significavit *Dibrath*, id est, λόγου συντάκτου: Græci τάξιν appellaverunt, ut unam vocem altera exprimerent. Restat officium Christi in persona Melchisedeci adumbratum, quod in fine versus tertii Apostolus exponit, dicens, *Manet sacerdos in perpetuum*: qua de re quia hoc ipso capite amplior futurus est dicendi locus, nimirum 8. versu, hanc partem in eum locum rejicimus.

4 Spectate verò quantus hic fuerit, cui Abraham etiam Patriarcha decimas dederit ex spoliis.

5 Ac ii quidem ex filiis Levi qui sacerdotium suscipiunt, mandatum habent decimas percipiendi a populo secundùm Legem, id est, a fratribus suis, licet egressis ex lumbis Abrahæ:

6 Is verò, cujus ad illos non refertur genus, decimas ab Abrahamo accepit, & benedixit ei qui habebat promissiones.

7 Sine ulla autem controversia; quod minus est, id benedicitur ab eo quod est majus.

8 Atque hic quidem homines qui moriuntur decimas accipiunt: illic verò is cui testimonium perhibetur quòd vivat:

9 Et (ut ita loquar) in Abrahamo etiam Levi, is qui decimas solet accipere, fuit decimatus.

10 Adhuc enim in lumbis patris erat, quum Melchisedec obviam venit illi.

PRopositionem typi antegressam sua sequitur enarratio 7. versibus, quos in diagrammate posuimus: sed quia non tanti interfuit de enarratione typi illius laborari, nisi quatenus pertinuit ad amplificandam

plificandam Christi (in quo corpus est & veritas illius typi) dignitatem; propterea visum est Spiritui sancto per Apostolum hoc loco typi illius dignitatem uno aut altero tantùm argumento, de pluribus decerpto, ostendere: unde pii omnes agnoscerent, si tanta fuit illius typi dignitas atque autoritas, longè ampliorem esse veritatis in Christo Majestatem. Ad hanc autem enarrationem, postquam certo quodam velut epiphonemate Apostolus transiliit, inquiens, *Spectate quantus hic fuerit*; Tria argumenta summatim adducit illius præstantiæ, qua Melchisedec præ aliis secundùm Christum instructus est. Primum est a jure decimandi, tribus versibus: secundum, a jure benedicendi, versu sexto & septimo: tertium denique a silentio de morte ipsius, quod silentium indesinentem vitam adumbravit versu 8. quibus breve quasi auctarium versu 9. & 10. adjectum est. Jus decimationis Apostolus exponit his verbis: Quòd *Abraham Patriarcha ei decimas etiam spoliorum dederit*: quibus rebus & circumstantiis amplificatur typi illius dignitas, quòd vir ille Dei Abraham Patriarcha, & credentium Pater, dederit ei etiam decimas spoliorum, quæ omni jure post omnem hominum memoriam Deo fuerunt sacræ; ac proinde illum non obscurè Sacerdotem Dei viventis a se haberi professus est. Hic autem locus insigni comparatione illustratur ver. 5. & 6. quando sacerdotum ex gente Levitica jus in decimandis fratribus comparatur cum jure illius qui sine patre, sine matre, sine recensione generis (ut antè dixit Apostolus) jus habuit decimas capiendi. Nam Leviticis quidem sacerdotibus jus illud fuit ex mandato legali, ut fratres suos ex eodem genere & ex iisdem lumbis Abrahami progenitos decimarent: Melchisedec verò non ex mandato legali, aut humano ullo: sed divina quadam authoritate instructus: non ex generis sui privilegio, sed ex sola Dei gratia jus decimarum obtinuit; non ex populo fratribúsque suis, sed ex iis ad quos non legitur pertinuisse sanguinis necessitudine. Quæ omnia si diligenter inter se comparantur, non parum momenti ad asserendam præstantiam typi sacerdotalis hujus allatura sunt. Alterum argumentum, a jure benedicendi & collata in Abrahamum benedictione, graviter enunciatur, quum dissimulato proprio Abrahami nomine dicitur περιφραστικῶς, ὁ ἔχων τὰς ἐπαγγελίας is qui promissiones habet: *Benedixit*, inquit Apostolus, *habenti promissiones*. Ex hac autem benedictionis divinæ pronunciatione & administratione, quàm benè præstantia Melchisedeci spectari possit, demonstrat Apostolus versu 7. sumta argumentatione a dignitate vel natura efficientis causæ, sive ea principalis, sive instrumentalis dicatur esse. Quam conditionem affirmat Apostolus positam esse, consensu omnium, extra omnem controversiam. *Id quod minus est*, inquit, *ab eo quod majus est benedicitur*. Abrahamo a Melchisedeco benedicitur: Est igitur Abraham Melchisedeco minor. Neque refert, quòd propriè principalis causa efficiens benedictionis Deus est, qui unus est supra omnes, ut inquit Ecclesiastes: Nam etiam illud omnium bonorum consensione certò constat, eum qui benedicit ex vocatione Dei & verbis ipsius, quamvis ministerialiter & instrumentaliter, ut loquuntur, tamen quatenus sese in eo ministerio, ut instrumentum Dei & legatione fungens secundùm Deum, occupat; ea re majorem esse iis, quibus in nomine & authoritate Dei benedixerit. Restat argumentum amplificationis tertium, constans iisdem comparationis membris quæ in superioribus audivimus: Qui decimas capiunt, inquit Apostolus, homines

sunt, qui & natura & scriptura teste moriuntur; ac propterea de successione in Lege prospexit Deus in mortuorum locum. Dignior est autem is de quo testimonium est ipsum vivere; aut certè non est testimonium de morte ipsius: & hujusmodi noster est Melchisedec: Hic igitur illis est præstantior. Ejusmodi esse non tantùm silentio Mosis (quod fuit typicum) demonstratur, verùm etiam Davidis testimonio, dicentis Dei verbis, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, id est, secundùm quam sacerdotii constitutionem Mosis narratio de Melchisedeco authore Dei Spiritu conscripta est, ut antè explicavimus. His argumentis postremò velut corollarium adhibet Apostolus, ad dignitatem Sacerdotii Melchisedeciani asserendam, per comparationem utriusque sacerdotii & juris ad sacerdotium utrumque pertinentis, hoc modo: Qui decimas capit dignior est dante: Melchisedec decimas cepit, & quidem (ut ita loquamur) cepit ex ipsa gente Levitica mediatè in persona Abrahami: præstat igitur sacerdotium decimantis Melchisedeci, sacerdotio Levitico quod in Abrahamo decimatum est. Hoc argumentum videri potuit argutius, quàm ut ab Apostolo in hac causa poneretur. Quapropter duplicem θεραπείας adhibuit, ut totum hunc locum commodè & sine cujusquam offensione concluderet. Prior θεραπείας & præmunitionis locus in his verbis positus est, *ὡς ἔπος εἰπεῖν, ut ita loquamur*: quibus non obscurè testatur Apostolus se hunc sermonem suum nolle ad vivum (ut vulgò dici solet) resecari, & quasi appendi ad aurificis trutinam; sed crassè & secundùm quemdam modum accipi. Posterior verò est *αἰτιολογία* versu 10. quòd Levi adhuc in lumbis patris Abrahami fuit, id est (ut loquuntur Scholæ) potentialiter & originariè, quum Melchisedec ipsi occurreret. Atque hac ratione suum illud dictum quod nonnullis fortè insolentiùs videri potuerat, Apostolus commodè temperavit.

11 Siquidem igitur sanctificatio per Leviticum sacerdotium erat (nam propter illam populo sancita est lex *Sacerdotii*) quid amplius erat opus alterum exsistere sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, ac non dici secundùm Aaronis ordinem?

12 Mutato enim Sacerdotio, necessariò etiam Legis fit mutatio.

13 Nam is, de quo hęc dicuntur, consors fuit tribus alterius, de qua nullus attendit altari.

14 Palàm est enim, e tribu Juda exortum esse Dominum nostrum; ad quam tribum nihil de sacerdotio Moses proloquutus est.

15 Idque etiam magis ex eo manifestum est, si secundùm illud simile Melchisedeci exsistit sacerdos alter:

16 Qui non sit factus secundùm Legem mandati carnalis, sed secundùm vim indissolubilis vitæ.

Psal. 110.	
4 *Tu es sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedec.*	17 Testatur enim, dicens, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedeci.

18 Etenim abrogatio fit præcedentis mandati, propter impotentiam & inutilitatem ipsius:

19 Nam Lex nihil sanctificavit, sed superaddita melioris spei introductio, per quam appropinquamus Deo.

20 Et quatenus non absque jurejurando,

Psal.

Psal.110.
4 *Juravit Jehova, & non pœnitebit ipsum. Tu es sacerdos in seculum secundùm ordinem Melchisedec.*

21 (Illi etenim sine jurejurando facti sunt sacerdotes; hic verò, cum jurejurando, per eum qui dixit ei: Juravit Dominus & non pœnitebit eum; Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.)

22 Tanto potioris testamenti sponsor Jesus factus est.
23 Ac illi quidem plures facti sunt sacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere:
24 Hic verò, propterea quòd manet in æternum, indesinens habet sacerdotium.
25 Unde etiam servare in universum potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis.
26 Talis enim nos decebat Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & sublimior cœlis factus:
27 Qui non habeat quotidie necesse, ut illi pontifices, priùs pro suis propriis peccatis victimas offerre; deinde pro peccatis populi: Hoc enim fecit semel, quùm semetipsum obtulit.
28 Nam Lex homines constituit Pontifices, qui infirmitatem habent: sermo autem jurisjurandi quod post Legem conceptum est, filium constituit, qui sanctificatus est Pontifex in æternum.

CUm antè sub finem capitis sexti & principium hujus demonstraverimus, duo esse membra ad propositionem de sacerdotio Christi pertinentia; unum, vocationis; alterum exsequutionis ex mandato & vocatione Patris: quæ duo membra in typo Melchisedeci Apostolus summatim complexus est, ut in versum 3. ostendimus: deinceps transit Apostolus ad anagogen sive accommodationem & declarationem eorum membrorum, quæ de Christo summatim proposita sunt, & in Melchisedeco adumbrata: Nam vocationem Christi exponit Apostolus, hoc & sequente capite: Exsequutionem, 9. & 10. capitibus. Ad vocationis justam explicationem duo pertinent: unum, ut teneamus quisnam vocetur; alterum ut ad quid vocetur cognoscamus: quorum prius de persona vocata, hoc capite; posterius, de functione ad quam vocata est, sequente exponitur. Antequàm verò Apostolus de personæ vocatione certis argumentis agat, occasionem illius vocationis principio statuit versus 11. quum inquit, populum Israëlis causa sanctificationis suæ Legem sacerdotii illius Levitici a Deo accepisse: Sic enim interpretamur illa Apostoli verba versu undecimo, (ὁ λαὸς γδ̀ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο,) quemadmodum apud Græcos constat præpositionem ἐπὶ tertio casui junctam, causam vel finem eorum quæ dicuntur ostendere: quod exemplis a nobis confirmari nihil attinet, cum ea peti a vulgo Grammaticorum possint. Atque hæc quidem propositio certa est: Populum Dei accepisse Legem & mandatum de Sacerdotio & sacrificiis ad Sacerdotium pertinentibus, ut æterno Sacerdotio sacrificióque Christi æternam perfectámque sanctificationem assequeretur sui. Ex hac propositione dilemma sive disjunctio statuitur in hunc modum: Cum duplex Sacerdotium in Scripturis exstet

quod probatum sit Deo; unum, secundùm ordinem Levi; alterum verò, secundùm ordinem Melchisedec; aut ex priore, aut ex posteriore sanctificationem esse. Non autem ex priore; Igitur ex posteriore sanctificationem obtingere. Ex priore non obtingere argumentis aliquot sic demonstrat Apostolus, ut per contrarium confirmet ἀναλόγως ex posteriore esse; quia eversa una disjunctionis parte continuò altera conficitur. Sunt autem hæc argumenta quatuor, ex quibus assurgit gloriosissima illa conclusio de persona Christi, tribus versibus ultimis. Primum argumentum est, a Sacerdotii Levitici mutatione, versibus 4. Secundum, a virtute & utilitate, versu 15. & quatuor sequentibus. Tertium ab institutionis modo, & adjunctis, versu 20. & duobus sequentibus. Quartum denique, a personarum quæ Sacerdotio funguntur discrimine, versu 23. & duobus sequentibus. Primum, quod a mutatione est, hoc fundamento nititur; Lex Sacerdotii ad sanctificationem populi Dei pertinet, & in ea conquiescit. Non est autem populi Dei sanctificatio per Sacerdotium Leviticum. Non igitur in eo Sacerdotio Lex potuit conquiescere: sin conquievisset, quid ampliùs fuisset opus Sacerdotem alterum exsistere? Exstitit autem: Non conquievit ergò in priore Sacerdotio, sed de altero prospexit populo Dei. De altero prospectum esse demonstratur re & nomine, in eodem versu; Re, quia alter Sacerdos exstitit: Nomine verò, quia secundùm ordinem Melchisedec, ac non secundùm ordinem Aaronis dicitur exstitisse. Hanc propositionem vel primum argumentationis locum enarrat Apostolus, tribus versibus proximè sequentibus: idque eo ordine, ut gradatim a generalibus ad singularia quasi deducamur manu. Nam versu 12. generalia proponuntur duo; Sacerdotium, & Lex Sacerdotii, in hanc sententiam: Constantis est perpetui Sacerdotii Lex perpetua est: contrà verò, mutato Sacerdotio, Lex ejus necessariò mutationem patitur. Est autem mutatum Sacerdotium Leviticum: Ergo & Lex ipsius: idque necessariò, non autem per contingentiam, ut loquuntur, humanam; quia utrumque in decreto Dei immutabili positum est, qui unus justus legitimúsque author est Sacerdotii ad sanctificationem nostram, & Legis ad Sacerdotium pertinentis. Hoc autem genus argumentationis si quis ad locum topicum referre voluerit; judicio meo locus est a proprio. Nam Sacerdotii quod instituit Deus, summè propria est Lex Sacerdotii. Hinc transit Apostolus ad probationem hypotheseωs, nempe mutatum esse Sacerdotium, versu 13. Atque hoc probat a persona Sacerdotis, & gente vel tribu ipsius. Ait enim, Mutata tribu cui demandatum fuerat Lege Sacerdotium, & Sacerdotium quoque mutatum est; ac proinde Lex etiam illius. Est autem mutata tribus; Nam is de quo dicuntur ista, nempe fore Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, & cui dicuntur, consors fuit alterius tribus, de qua nullus ex Lege antecedentis Sacerdotii attendit altari, id est, Sacerdotio functus est, synecdochicè. Mutatum igitur Sacerdotium. Rursum verò, quia regeri a rixosis hominibus potuisset, ne hoc quidem videri probabile, quod alterius tribus consors ille fuerit, de quo, & cui dicebantur ista: confirmat Apostolus versu 14. Nam, inquit, hæc dicta sunt Domino Davidis, & Domino nostro per consequens, quem Dominum ne perversissimi quidem Judæi unquam negaverunt ex tribu Judæ exstiturum. Nam dixit David principio Psalmi, Dictum Jehovæ Domino meo, &c. quæ in toto Psalmo Deus Pater de

Christo

Christo pronunciavit, & omnes Judæi uno ore jam tum Filium esse Davidis agnoverant, de quo in eodem Psalmo: ut interrogatione expressit Christus confessionem ipsorum Matth. 22. Atque hoc Antithesi quadam Apostolus amplificat verbis sequentibus, quum ait, *Mosem nihil de Sacerdotio pronunciavisse*, quando tribum Judæ compellavit. Hoc enim membrum ex adverso respondet illi quod antè pro fundamento totius hujus argumentationis fuit propositum versu 11. populum nempe causa sanctificationis Legem de Sacerdotio Levitico a Deo accepisse. Secundum argumentum, a virtute & utilitate utriusque Sacerdotii, similiter per comparationem instituitur versibus 5. sequentibus. Nam alterum hoc argumentum esse ipso transitionis modo ostendit Apostolus, quum dicit: *idque etiam magis patet*, &c. Vim autem utilitatémque Sacerdotii posterioris asserit ab efficiente causa & effectis ipsius, versu 16. Vide autem singularem Apostoli prudentiam: qui ut melius τὸ συνεχὲς argumentationis ostendat, & minùs offendat eorũ animos qui in hac causa nondum satis informati essent; περιφραστικῶς posterius illud Sacerdotium circumscribit his verbis: quòd *secundùm similitudinem Melchisedeci exsistat Sacerdos alius*: qua circumloquutione plurimum hoc toto capite delectatur Apostolus ad eam docendi commoditatem quam modò diximus. Hujus ergo Sacerdotii causa, dicitur esse vis sive potentia, vitæ: effectus, quòd vita est indissolubilis, ac proinde Sacerdos cum sacerdotio ἀδιαλύτως & in perpetuum permansurus. Quæ duo, similiter ut in præcedentibus, amplificantur Sacerdotii Levitici comparatione, quum hujus efficiens causa dicitur esse *Lex mandati carnalis*, id est, in rebus carnalibus positi atque occupati; unde necessariò hic effectus sequitur, quòd mandatum illud est dissolubile: quandoquidem caro, vel carnale quicquid est, id a natura interit, & est dissolubile. Hanc verò propositionem tribus sequentibus proximè versibus confirmavit: primùm quidem ab authoritate; versu 17. secundò authoritatis explicatione, duobus aliis. Authoritatis meminit Apostolus, his verbis: *Testificatur enim*, putà Dominus, a quo vis illa est vitæ indissolubilis, exposita in Euangelio, quod potentia est Dei ad salutem omni credenti: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Quæ authoritatis verba etsi ipsa per se perspicua sunt satis: tamen ut evidentior fiat argumentatio, deinceps illustrantur partim rei ipsius, partimque causæ explicatione. Rei; quia inquit Apostolus, *abrogatio fit antecedentis mandati, quum datur hoc novum.* Causæ verò: quia antecedens illud mandatum viribus & utilitate dicitur fuisse destitutum. Quibus duabus prædicationibus de Sacerdotio Levitico, hæret tacita antithesis de viribus & utilitate Sacerdotii Christi; putà hoc Sacerdotium reipsa loco prioris institutum esse, viribus autem & utilitate maximum. Quia verò hęc verba propugnatores (ut sibi videbātur) Legis facilè in calumniam fuissent vocaturi, quòd Lex viribus & utilitate dicitur caruisse: restringit Apostolus versu 19. illud generalius dictum: nempe, non id quidem contendere se, omnino fuisse nullas vires utilitatémque Legis simpliciter; sed κατά τι, nempe respectu quæstionis institutæ, de sanctificatione ex Lege Sacerdotii ad homines perventura: cujus sanctificationis causa Legem Sacerdotii a Deo fuisse datam suprà enunciaverat versu 11. Nihil enim, inquit, sanctificavit Lex illa Sacerdotii Levitici per se, ut ampliùs capite 10. posteà exponitur. Quæ ergò Lex sanctificat? dixerit quispiam: respondet Apostolus: *Introductio super*

addita melioris spei sanctificat, id est, Lex illa Sacerdotii, quam Deus superaddidit, meliore spe nostra & melioribus promissionibus (ut idem postea loquitur) effectisque melioribus: quia per hanc spem, ut fultam fretámque melioribus promissionibus, appropinquamus Deo, id est, ipsi Sacerdotes effecti sumus in communione Pontificis & servatoris nostri Jesu Christi. Tertium argumentum, ab institutionis modo & adjunctis exponitur secundùm eamdem antithesin, quam in præcedentibus docebamus. Tantum id observandum est, quia argumentum est omnium evidentissimum, disiita esse membra antitheseως illius, & confirmationẽ ab authoritate interpositam fuisse ὑπερβατικῶς. Quapropter in cõtextu versum 21. nota παρενθέσεως placuit includere. Est autem hujusmodi argumentatio: Quę Lex Sacerdotii jurejurando cõjuncta est & voluntate ultima testantis, ea prçstantior est Lege sine jurejurando, & sponsor illius Sacerdotii atq; testamenti sponsore hujus prçstantior dicendus est; Lex autem Sacerdotiúmque Leviticum sine jurejurando, Lex verò Sacerdotiúmque Christi jurejurando conjuncta est, & Lege Testamentaria: Hæc igitur illa præstantior est: & Christus Jesus sponsor omnium præstantissimus. Subjectum versu 20. prædicatum sive attributum versu 22. ponitur: probatio interseritur versu 21. & ab authoritate Spiritus sancti confirmatur, dicentis Christo; *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. Quibus verbis, & juramẽtum Dei, & rei juratę firmitas atque immutabilitas disertè ostenditur. Nam juramentum illis verbis, *Juravit Dominus*; firmitas & immutabilitas, sequentibus, *Non pœnitebit eum*, perinde ostenditur, tamquam si dixisset Spiritus sanctus per Davidem: Non magis fieri posse, ut hic Sacerdos, hoc Sacerdotium, & Testamentum excidat, quàm potest fieri ut Deus seipsum abneget: quia fundatum est hoc Sacerdotium non in vanitate hominum, sed in veritate & fide constantiáque Dei. Quartum argumentum a discrimine eorum qui funguntur Sacerdotio, proponitur consimiliter ἀντιθέτως versu 23. & sequente; & commendatur ab effectu, versu 25. Ad Sacerdotum comparationem duo hæc pertinent; numerus & causa illius. Numerus, quia in Sacerdotio priore plures fuerunt qui fiebant Sacerdotes, & numero differentes: in posteriore verò unus & idem Sacerdotium habet ἀπαράβατον, id est (ut ita loquamur) personale, in persona ipsius consistens, & ad personam alteram minimè transiens, nec periens tempore. Causa verò, cur differentes numero Sacerdotes antè consequuti sunt, fuit ipsorum mortalitas, *eo quòd morte impedirentur*, ne in Sacerdotio sibi mandato permanerent. Hujus verò immortalitas, propterea quòd manet in æternum, ut Deus pronunciaverat, in causa est cur Sacerdotium ab ipso minimè transferatur. Atque ex hac immortalitate personę, & perpetuitate Sacerdotii hujus, sequitur magnifica illa commendatio, ab effectu & gratia prçsentissima Christi Sacerdotis nostri, ad effectum illum præstandum, qui versu sequente exponitur: nempe quòd is demum Sacerdos cujus persona manet in æternum, & qui indesinens habet Sacerdotium, *quandoquidem semper vivens est, ut interpellet pro Sanctis* (nam hæc verba de industria adhibuit Apostolus, velut summam præcedentium argumentationum ἀνακεφαλαίωσιν) Is ergo servare omnino potest, atque in æternum salutem conferre iis qui per ipsum, velut pontificem in quo vis est vitæ indissolubilis, ad Deum fide accesserint. Sic commodè transitur ad conclusionem hujus partis quam antę instituimus, per circumscriptionem accuratissimam

mam illius summi Sacerdotis atque Pontificis, quem nos habere oportuit ad salutem prorsus consequendam. Hujus autem circumscriptionis partes in universum duæ sunt: una, personæ; altera, ministerii. Persona circumscribitur his verbis: *Talis enim nos decebat Pontifex*, in se, sive in persona sua *sanctus*; erga alios *innocens*; a rebus aliis *impollutus*: in genere denique, *segregatus a peccatoribus* & nihil commune cum illis habens, ut qui justificet impium, non autem cùm impio ullam communionem habere possit. Ministerium verò circumscribitur, primùm quidem ingressu sanctuarii, quum dicitur *sublimior cœlis factus*, id est, supra cœlos evectus esse, ut principio capitis 1. & sequentis, & alibi cõfirmatur: secundò, oblationis genere atq; ratione quam per antithesin cum Levitico Sacerdotio Apostolus illustravit versu 27. dicens, *qui non habuit necesse quotidie*, quemadmodum illi Pontifices in Levitarum gente, *offerre oblationes priùs quidem pro suis peccatis* (Nam hic nescivit quid peccatum esset) *deinde pro peccatis populi: sed ipse ultro hoc fecit semel*, id est, oblationem pro peccatis populi obtulit, quum semetipsum obtulit Deo & patri per Spiritum æternum: qui si reus fuisset peccati, seipsum non potuisset offerre salutariter. Seipsum autem obtulit: Non ergò fuit peccati reus, sed quid peccatum esset ignoravit. Huic conclusioni additur confirmationum & probationum antecedentium corollarium, ut æquè causarum atque rerum, quæ de sacerdotio Christi prædicantur, summa conclusio exstaret ad partem sequentem μεταβατική. Est igitur versus ultimus conclusionis præcedentis αἰτιολογικὸς, & eodem modo ἀντιθέσεως quam antè sæpiùs ostendimus. *Lex enim*, putà Levitici sacerdotii, *homines constituit Pontifices, qui infirmitatem habent*, & ex ea laborant: *sermo autem ille jurisjurandi* quod Deus post Legem pronunciavit, ut Sacerdotium hoc illi succederet, *constituit Filium Pontificem qui in æternum vivit*, æternúmque sanctificatus est, ut nobis sit æternæ sanctificationis author.

Caput Octavum.

1 Quod autem caput est supra hæc quæ dicta sunt, talem habemus pontificem qui sedit in dextera throni majestatis in cœlis;

2 Sanctuarii administer, & veri illius Tabernaculi, quod fixit Dominus, ac non homo.

3 Omnis enim pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur. unde necesse fuit, ut hic quoque aliquid haberet quod offerret.

4 Etenim si esset in terra, ne sacerdos quidem futurus esset, exsistentibus illis sacerdotibus qui dona offerunt secundùm Legem:

5 Ut qui exemplari & umbræ deserviunt rerum supercælestium, quemadmodum divinitus fuit edoctus Moses quum absoluturus esset Tabernaculum:

Nam, Vide, inquit, facias omnia secundum typum, qui monstratus est tibi in hoc monte.

Exod. 25.

40 *Vide autem, & fac ad exemplar eorum, quod tibi videndum exhibitum est in monte isto.*

6 Nunc verò excellentius ministerium sortitus est hic noster pontifex, quo præstantioris etiam testamenti mediator est, quod Lege sancitum est meliorum promissionum causa.

7 Nam

7 Nam si prius illud fuisset ejusmodi in quo desiderari nihil potuisset, haud quaquam secundo fuisset quæsitus locus.

Jerem. 31.

31 *Ecce, dies veniunt, dictum Jehovæ, quando pangam cum domo Israëlis & cum domo Judæ Fedus novum.*

32 *Non secundùm illud Fedus, quod pepigeram cum patribus ipsorum, quo die prehendi ego manũ ipsorum educturus eos ex terra Ægypti: quia ipsi irritum fecerunt Fedus meum, & ego conjugio junctus mansissem eis: dictum Jehovæ.*

33 *Nam hoc Fedus est quod pangam cum domo Israëlis post dies illos, dictum Jehovæ, indens Legem meam in mentem ipsorum, in corda ipsorum inscribam eam: & ero ipsis Deus, & ipsi populus mihi futuri sunt.*

34 *Neque docebunt ampliùs quisque amicum suum, & quisq; fratrem suum dicendo, Cognoscite Jehovam: nam omnes illi cognoscent me, cùm parvulus ipsorum, tum maximus ipsorum, dictum Jehovæ:*

Me condonare iniquitatem ipsorum, & peccata ipsorum ampliùs non recordari.

8 *In eo* enim desiderari *aliquid* ostendens dicit eis, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, quando cõsummabo in domo Israëlis & in domo Judæ Testamẽtum novum.

9 Non secundùm illud Testamentum quod feci Patribus ipsorum, quo die prehendi ego manũ ipsorum educturus eos ex terra Aegypti: quia ipsi non permanserunt in Testamento meo; & ego neglexi ipsos, dicit Dominus.

10 Nam hoc illud Testamentũ est quod disponam domui Israëlis post dies illos, dicit Dominus, indens Leges meas in mentem ipsorum, in corda ipsorum inscribam eas: & ero ipsis Deus, & ipsi populus mihi futuri sunt.

11 Neque docebunt singuli proximum suum & singuli fratrem suum, dicendo: Cognosce Dominum: quia omnes cognoscent me, tum parvulus inter ipsos tum magnus.

12 Nam propitius ero injustis factis ipsorum, & peccata ipsorum iniquitatésque ipsorum non recordabor amplius.

13 Dicendo novum antiquavit prius: quod autem antiquatur senescitque, propè est ut deleatur.

DIximus suprà in versum 12. capitis proximè præcedentis, duo capita ad vocationem justã Pontificis nostri pertinentia, ordine explicari; unum de persona vocata ; alterum de officio & functione ad quam vocata est. Ac de persona quidem hactenus secundùm vocationem & institutionem illius, in maxima capitis præcedentis parte dictum est. Sequitur nunc alter vocationis locus de officio ejus qui in vocatione hac institutus est. Hanc quæstionem ingreditur hoc loco Apostolus per comparationem ipsius cum antecedente; ostendens in hac (ut ita dicamus) nobis plus esse positum, quam in ea quæ antecessit, si respiciamus ad mysterium redemtionis nostræ. Hoc enim caput quæstionis esse potentissimum, non solùm ut videamus quisnam ille sit, quem instituit Deus; sed illud inprimis, ut videamus & teneamus complementum, fructúmque percipiamus functionis illius, quam Deus imperavisse & Christus accepisse dicitur. In hac autem functionis a Christo

Christo susceptæ explicatione, Apostolus primùm summam instituit propositionem illius, duobus versibus: Secundò illustrat & declarat typi & veritatis comparatione, ad versum usque 8. Postremò autem confirmat authoritate Prophetiæ, inde ad finem usque. Propositio summa est, *Nos talem habere Pontificem*, nempe qualem capite proximo vers. 26. & sequente descripsit Apostolus: sed functionem & administrationem illius anteponi ceteris oportere, tribus nominibus. Primùm quòd ita semel victimam sui ipsius obtulit Deo & Patri, ut jam quasi perfunctus opere illo oblationis, *sedeat in dextera throni*, id est, assideat proximè & secundùm Deum (cui acceptum est sacrificium ipsius in æternum) obtineat locum summum, unde interpellat & intercedit pro nobis apud Patrem in cœlis, tamquam optimus & certissimus conciliator pacis nostræ cum Deo; quam semel partam sacrificio sui ipsius in terris, nunc in cœlis continet virtute ejusdem sacrificii: Secundò quòd *Minister est sanctuarii*, id est, tamquam Mediator inter Deum & homines constitutus, qui perfectissimè obeat quæcunque ad redemptionem & salutem nostram pertinent, in illo cœlesti sanctuario, ubi Gloria & Magnificentia Dei residet, & seipsam exserit potentissimè: quemadmodum olim Pontifex generis Levitici in sanctuario manufacto ea procurabat quæ apud Deum Lex mandaverat procurari. Postremò autem, quòd idem Pontifex *administer est veri illius Tabernaculi quod fixit Dominus, ac non homo*. Quod membrum quia variis interpretationibus auctum est, sententiam nostram paucis explicabimus. Verum igitur hoc tabernaculum alii de cœlo accipiendum putant, ut quod Dominus fixerit ac non homo ullus: alii de corpore Christi, quod citra viri operationem sola Spiritus sancti virtute conceptum est de substantia matris in utero illius. In priore interpretatione ut non acquiescamus, faciunt hæc: primùm quòd ταυτολογία eáque maximè futilis, (ut ita dicamus) hic esse videretur; cùm res una evidenter dicta, per obscuriorem & minùs intellectam significaretur. Nam evidentius est, si Sacerdotem summum dixeris ministrum sanctuarii (quod officium est summi Sacerdotis proprium) quam si ministrum tabernaculi appellaveris: quod officium est cum Levitis omnibus commune. Secundò, quòd περισσολογία, & quidem planè inutilis, in fine versus hac interpretatione statuitur, quum dicitur hoc tabernaculum fixisse Dominus, ac non homo; quam orationem si de cœlo placebit accipere, quis homo ita desipit ut cœlum ab homine fixum & constitutum fuisse dicat? Postremò autem confutat hanc interpretationem ipsum Apostoli testimonium quod posteà capite nono visuri sumus, & ipsa quoque figura ceremonialis, quam in eum locum (si Deus dabit) exponemus. Verum igitur tabernaculum accipimus, pro illo ipso corpore, quod Filius æternus Dei sibi assumsit in unitatem personæ, ut per illud ingrederetur in Sanctuarium cæleste: cujus corporis finalis causa & efficiens paucis ostenditur. Finalem causam ostendit *tabernaculi* appellatio; quia illud ipsum corpus, quod Deus pater aptavit Christo virtute Spiritus, quoddam velut tabernaculum fuit a Deo positum, in quo omnes pii (quos sacerdotes in Christo facit) conquiescerent, & in quo, non autem extra aut præter illud, omnia perficerent, quæ ceterorum sacerdotum Levitarúmq; ministerio olim in Tabernaculo fuerunt adumbrata. Ac proinde (ut ita loquamur) Christus conceptu & nativitate ingressus est Tabernaculum, cruce sanctuarium: nobis verò, qui in Christum credimus, illud ipsum

corpus

corpus Christi Tabernaculum est,per quod in Sanctuarium cæleste ingredimur. Efficientem verò causam illius Tabernaculi, quod fuit aptatum Christo,hæc verba denotant, *quod Tabernaculum fixit Dominus ac non homo*, id est (ut posteà idem Author exponit capite 10. Davidis Prophetæ verbis)quòd Deus aptaverit ipsi corpus; idque divina virtute solùm, ac non humana ulla operatione. Cùm itaque hujus tabernaculi Minister appellatur Christus; non aliud significari videtur, quàm si ex opposito dixeris non esse Dominum Jesum Christum administrum earum oblationum,quę in Tabernaculo solebant exhiberi,aut illius ipsius Tabernaculi & rerum omnium ad Tabernaculum illud pertinentium; sed potiùs ipsum nobis a Deo ita datum esse, ut in sese & Tabernaculum, & oblationem, & omnia ad ministerium illud necessaria habuerit, quibus instructus in sanctuarium illud verũ ingrederetur,& nos reconciliaret Patri. Atque hęc ita accipi oportere demonstrat sequens αἰτιολογία, ad declarationẽ hujus dicti & cõfirmationem pertinens,quum ait Apostolus; *Omnis enim pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur* ; *unde necesse fuit hunc quoque habere aliquid quod offerret:* tamquam si diceret, Omnis sacerdos ex instituto Dei dona & victimas tenetur offerre. Dominus autem Christus sacerdos noster est: Donum igitur & victimam habeat,quam Deo patri offerat,necesse est. Est autem hoc donum corpus ipsius; puta verum Tabernaculum, verúmque donum & oblatio a Deo instituta, eiq; accepta,quam in sanctuarium ipsum intromisit. Atque hoc quidem est primum declarationis membrum; quod Apostolus de industria subjecit proximè præcedentibus verbis,de corpore & quasi Tabernaculo Christi,ut argumentum fieret evidentius.Deinceps verò,in v.4.& sequentibus ὕστερον πρότερον confirmat Apostolus prius propositionis membrum; nempe oportuisse ut Christus sederet ad dexteram throni majestatis Dei in cælis,& summi illius sanctuarii minister esset. Hoc autem probat Apostolus per comparationem typi in Lege ad Leviticum sacerdotium dati,& veritatis in Christo consummatę.Hujus comparationis propositio summa his verbis continetur:*Nam si esset in terra, ne sacerdos quidem futurus esset* : Declaratio verò hujus argumenti sequentibus verbis continetur. Propositio hæc est: Quisquis sacerdos legitimus est,aut sacerdos in terra est secundùm Legem mandati carnalis,aut sacerdos in cœlo, & sedens ad dexteram Dei,secundùm potentiam vitæ indissolubilis. Christus autem in cœlis ad Dexteram Dei sedet.Ergo sanctuarii illius cœlestis minister est. Probatio:nam si esset in terra adhuc, ne sacerdos quidem esset.Est autẽ sacerdos: Ergo jam optimo jure non est in terra,sed illud sacerdotium in cœlo perfungitur.Demonstratur illud antithesi,reliquo vers.4.& duobus sequentibus, hoc modo:Qui sacerdotes sunt in terra,offerunt secundùm Legem dona, & exemplari umbræque rerum cælestium, id est,figuris deserviunt. Christus verò sacerdos noster seipsum Deo offerens, non exemplari & umbræ figurisque rerum cælestium deservit; sed ipsi archetypo, quem exemplaria, umbræ & figuræ Legis præfiguraverunt. Alius igitur sacerdos est ab illis Christus. Hinc sequitur alterum argumentum in vers.6.Præstantius est ministerium rerum cælestium quàm umbraculorum. Christus autem rerum cælestium obtinet ministerium: Præstantius igitur. Prioris argumentationis majorem minorémque eadem opera confirmat Apostolus versu 5. ab authoritate. *Nam Moses,inquit, divinitus fuit edoctus istud,quum esset absoluturus*

absoluturus Tabernaculum, dicente Domino, Vide facias ad exemplar istorum, &c. Perinde enim est, ac si distinctè Dominus exposuisset Mosi, alterum esse illud sacerdotium quod imperabat ipsi: alterum verò sacerdotium quod in archetypo legalis illius & ceremonialis sacerdotii atque umbratilis præstandum esset. Nam cum Deus illa Mosi imperaverit, & typum illorum in monte ostenderit, id est, fecerit ut Moses ex monte ubi cum Deo colloquebatur, in cœlum prospectans typum illorum perceperit; omnino sequitur relationem quamdam analogiámque inter duas illas partes statui oportere: nempe cæleste & terrestre tabernaculum: ex quo discrimine consimiliter ἀναλόγως sacerdotes, ministeria, oblationes, res denique omnes ad sacerdotium pertinentes, discernantur. Atque hinc conficitur alter argumentationis locus quem antè diximus; nempe præstantiorem esse sacerdotem, & ministerium præstantius, quod archetypo aut veritati præstatur, quàm quod exemplis & umbraculis ipsius: ut versu 6. per ἀντίθεσιν concluditur. Verumtamen ut sacerdotii hujus dignitas ampliùs ostendatur, commodè Apostolus duo argumenta illius præstantiæ subjicit in eodem versu: quorum unum est a proprio illius sacerdotii; alterum a fine. Sic enim statuit Apostolus; Cujus sacerdotii proprius modus & finis præstantior est, illud sacerdotium altero est præstantius: Ita autem est sacerdotium Christi. Proprium hujus sacerdotii esse præstantius his verbis ostendit Apostolus, quum *Christum mediatorem* esse, vel intercessorem dicit *melioris Testamenti*: quod Testamentum qua ratione melius appelletur, sequentibus in capite 9. ita explicatur, ut nihil ad lucem illius orationis possimus addere. Finem quoque præstantiorem esse affirmant illa verba, quòd *Testamentum illud* cujus mediator est Christus, *ad meliores promissiones*, sive (ut antè loquutus est) ad meliorem spem pronunciatum Lege & introductum est: quæ promissiones similiter in sequentibus exponuntur. Ex his itaque transiturus Apostolus ad confirmationem hujus sacerdotii, & cum eo conjunctæ dispositionis testamentariæ, qua tota vis sacerdotii manavit ad nos; conficit breve ἐπιχείρημα versu 7. ex iustituta illa utriusque sacerdotii comparatione nascens. Sic enim statuit: Si sacerdotium unum altero præstantius est; illud quod inferius est, non est ἄμεμπτον, quâ est inferius, id est, non ita se habet ut nihil in eo desiderari possit. Est autem inferius Leviticum sacerdotium: Non igitur ἄμεμπτον. Probatur illud eodem argumento, quod antè copiosiùs idem author cap. 7. versu 11. & sequentibus explicavit: nempe, si prius illud sacerdotium Leviticum ita fuisset constitutum, ut nihil in eo desiderari meritò potuisset, non fuisset quæsitus secundo locus: Quæsitus est autem, & per Dei gratiam constitutus: Conficitur ergo, prius illud sacerdotium vel Dei ipsius & Servatoris nostri testimonio habuisse quod in ipso desideraretur. Ac cetera quidem hujus argumentationis mẽbra extra controversiam videntur posita, si minorem (quam vocant) exceperis; nempe quòd dicimus, secundo sacerdotio quæsitum fuisse locum; & Deum ipsum in priore aliquid desideravisse, ac proinde secundum obtulisse. Hanc igitur partem de infirmitate sacerdotii Levitici, & secundi hujus subrogatione, author confirmaturus ab authoritate Scripturæ sacræ, his verbis utitur, Μεμφόμενος γὰρ, &c. Quæ verba procul dubio respiciunt ad illa quæ proximè antecesserant. Nam si prius illud sacerdotium fuisset ἄμεμπτον, &c. tamquam si diceret, Non est quòd quisquam eo nomine

nomine offendatur, aut mihi crimen intendat blasphemiæ, quòd prius illud sacerdotium cum posteriore hoc comparatum ἄμεμπτον esse pernego: hoc enim non dictum meum est: sed Dei ipsius dictum & Prophetæ ejus: Deus enim per Prophetam in priore illo sacerdotio desiderari aliquid disertis verbis pronunciavit; idque non clam, aut obscurè: sed palàm Israëlitis dixit, & per eum Prophetam qui ad sacerdotale genus illud pertinebat. Propterea cùm illud non ex me dicatur; sed a Deo, & sacerdote ipsius profectum sit; certa fide illud pro vero ducendum est, non autem pertinacia malitiáque oppugnandum. Jam verò quomodo utrumque per Prophetam Deus fecerit, ostendens in priore desiderari aliquid, ac propterea posterius ei subrogari, videamus. Locus est Jeremiæ 31. vers. 31. & sequētibus, ut in Parallelo diagrammate posuimus. Illius autem loci, qui totus est Euangelicus, membra duo sunt, prout in 6. versu ab Apostolo fuerunt exposita: prius est de Testamento, ut proprio ac necessario sacerdotii illius ἀπαραβάτου καὶ ἀδιαλύτου cōsectario, quod antè dicebamus: posterius, de promissionibus ad Testamentum hoc pertinentibus. Testamenti propositionem continent versus duo: promissiones in Testamento factas, addictas, & quasi legatas piis, alii 3. versus cōplectuntur. Utrúmque melius esse in sacerdotio Christi quàm olim fuerit in Levitico, demonstratur per antithesin hujus & illius Testamenti, ex Dei ipsius verbis: *Ecce*, inquit Deus, *venient dies quando consummabo in domo Jsraëlis & in domo Judæ Testamentum novum.* Hæc propositio: deinde verò sequitur explicatio ex antithesi: *Non secundum Testamentum* aut simile isti Testamento *quod feceram Patribus ipsorum, quo die prehendi manum ipsorum educturus eos ex terra AEgypti*, id est, hoc officium & procurationem recepi in me, ut eos, tamquam nutricius, manu ducerem ex domo servitutis, in libertatem asserendos. Non igitur Testamentum illud, sed alterum novum futurum est: subjicitur deinde causa, nempe quòd priùs illud Testamentum (ut Paulus de Lege loquitur, Rom. 8.) impotens fuit in carne. Hujus ἀδυνάτου documenta duo sunt; ex effectis, & consequentibus. Ex effectis: *Nam ipsi*, inquit Deus, *non perstiterunt in illo meo Testamento*, vel potiùs, non steterunt illi; nempe quia illud Testamentum impotens fuit in carne ipsorum; quandoquidem literam magis occidentem quàm Spiritum vivificantem (ut vocat Apostolus 2. ad Corinth. 3.) habuerunt: denique conditiones infuerunt & jugum ejusmodi, ut illi neque præstare illas, neque hoc portare potuerint. A consequentibus. Nam inquit Deus, *Ego despexi ipsos*, id est, prout illi me aversati sunt, neque dederunt operam ut perstarent in mei Testamenti Legibus, sic ego aversatus sum illos pro merito ipsorum. Hic verò gravis incidit quæstio de mutatione; quia plurimum videtur hoc loco Apostolus a verbis Prophetæ discessisse: Quamobrem plerique existimant omnia hæc, ut habentur hoc loco, ex septuaginta Græcorum interpretatione manavisse: ac proinde huic causæ satisfactum putant si mutationis (ut videtur) culpa in 70. derivetur. Mihi verò neque in 5. versu, neque in hoc similiter vitiosa ullo pacto videtur esse interpretatio, neq; aliena loci accommendatio; ut in hos aut illos rejiciatur factum, sed potiùs Apostolus ultrò hanc interpretationem, sive ab illis acceptam, sive a Spiritu sancto huic argumento (quod magis puto) accommodatam proponere. Nā in præcedente versu, neque Hebræis Prophetæ verbis, neque translatione 70. dicitur, *Consummabo in Domo Jsraëlis*, &c. Sed tantum *pangam:*

Aposto-

Apostolus verò ampliore verbo & magis significante hoc loco usus est, respiciens ad Testamenti & promissionum in eo complementum, quod Christus in carne exhibuit Ecclesiæ suæ. In hoc autem versu, sive 70. illorum interpretamentum spectes, sive hæc verba Apostoli cum verbis illorum convenientia; *Et ego neglexi eos*; Hæc igitur verba specie quidem a verbis Prophetæ Jeremiæ longè absunt; sed reipsa id ipsum exprimunt, quod sibi Propheta voluit Hebræis illis; *Et ego conjugio junctus mansissem eis*, id est (si propriè reddas) & ego non neglexissem eos, divortiúmque fecissem ab eis? Quia verò Erotematicum illud loquendi genus emphasim habet, seu vehementiam, qua vehementia Spiritum sanctum uti in hoc loco non fuit necesse, ut tum in Jeremia fuit, quum homines seculi sui compellaret; commodissimè certè provisum est, ut quod ἐρωτηματικῶς καὶ ἐμφατικῶς illic fuerat enunciatum, hîc redderetur κατηγορικῶς. Alienam verò non esse loci accommodationem, si pro eo quod vulgo exponitur Fedus, substituta est Testamenti appellatio, evidentissimè (ut spero) in caput *9.* demonstrabimus. Atque hæc quidem de Testamento & mutationibus quæ in proponendo illo divino testamento in hoc capite adhibentur. Sequitur alter locus de promissionibus testamento illo comprehensis, quibus ipsa natura & vis tota hujus testamenti circumscribitur. Harum promissionum tres omnino ponuntur loci: primus est, de modo testamenti: Secundus, de substantia illius: tertius denique, de effectis ex substantia illa ad pios perventuris: ad quorum omnium explicationem transit Apostolus his verbis: *Quia hoc testamentum est quod disponam domui Israëlis post dies illos, dicit Dominus*; quasi dicat: Quod dixi me testamentum novum esse consummaturum, non autem secundùm prius illud testamentum olim Patribus factum; id usque adeò verum est, ut posterioris testamenti conditiones illud prius testamentum omnibus modis superaturæ sint, quamvis eadem substantia. Nam primùm modus novi hujus testamenti modo illius longè præstantior est; cum illud nihil nisi literam occidentem per se habuerit, hoc verò Spiritum vivificantem, quem Deus his verbis promittit: *Indam leges meas, menti ipsorum & cordi ipsorum inscribam eas*, hoc est, intelligentiam voluntatémque ipsorum virtute Spiritus, quem infundam ipsis, reformabo; & pro eo quòd corda habuerunt lapidea, efficiam carnea, atque in eis inscribam efficaciter posterioris hujus testamenti in Christo veritatem. Secundò, substantia utriusque testamenti una quidem atque communis est in Christo Jesu, eáq; partibus duabus comprehensa, prout Abrahamo primùm Genes. 17. deinde verò posteris illius fuit exposita: una promissionis, quum Deus inquit, *futurus sum ipsis Deus*: altera, conditionis appositæ, qua Deus petit ut nos vicissim pareamus ad stipulationem ipsius; quum ait, *Et ipsi mihi erunt populus.* Sed tamen illud testamentum a novo testamento ratione una superatur, quod in hoc novo testamento Christus promissionum veritas & complementum conditionum illarum exhibetur; qui in vetere sperabatur; & in utroque creditur, sed ita ut in hoc novo planè melior conditio testamenti promissionúmque in Christo habeatur. Tertiò autem effecta illius testamenti minimè omnium cùm effectu hujus cōparari possunt; sive Dei cognitionem spectes, quam novo testamento ampliorem in Christo largitur Deus; sive cognitionis fructum, id est, reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum ad vitam

æternam.

æternam. Ac cognitionis quidem vel scientiæ & intelligentiæ spiritualis, quam Novo testamento nobis contulit Christus, præstantiam Jeremiæ verbis ostendit Apostolus versu 11. quum per ἀνάμνησιν καὶ δίδαξιν, veteris illius testamenti doctrinam, quæ ad scientiam spiritualem pertinet, comparat cum doctrina Novi: quia doctrinæ, quam testamentum illud antiquum habuit, conditio fuit obscurior, & rerum plurimarum, atque adeò unius etiam rei, obscuras habuit significationes, & quasi inchoatas intelligentias; quas necesse fuit fideles doceri in Ecclesia, alios aliorum ministerio; In novo autem claræ sunt & apertæ illius beneficii intelligentiæ, quas vel minimus quisque præ evidentia & facilitate ipsarum potest addiscere, & de quibus Prophetæ jam olim diligentissimè inquisierunt, ut eam salutem, quæ nobis annunciatur, ampliùs cognoscerent. Ac proinde comparatè vel secundùm quid (ut loquuntur) accipienda est illa prædicatio de scientia nostra in Novo testamento: quemadmodum e diverso si nostra hæc
1.Cor.13. scientia conferatur cum ea quam in vita æterna olim habituri sumus, confitendum est cum Paulo nos ex parte cognoscere, & ex parte prophetare; postquàm autem advenerit quod perfectum est, fore ut quod ex parte est tunc aboleatur: nos cernere nunc per speculum & per ænigma; tunc autem fore ut cernamus in os coram; nunc cognoscere ex parte, tunc verò, prout etiam sumus cogniti, cogrituros esse. Alter verò effectus duobus membris continetur: quorum prius est de reconciliatione & gratia Dei reparata & restituta nobis, quamvis indignis peccatoribus: posterius de remissione peccatorum, quam in eo consequimur qui tollit peccata mundi, velut agno immaculato & incontaminato Dei: sed hæc omnes docti uno consensu semper docuerunt, & plurimi in Ecclesia didicerunt; adeò ut nihil accessione sit opus interpretationis nostræ. Ex hac verò authoritate, quam sermoni suo instituto interseruit ad confirmationem Apostolus, tandem id quod volebat concluditur in versu ultimo; nempe id quod priùs instituerat septimo versu, antequàm hæc Prophetæ verba adduceret. Dixerat enim, qui Testamentum habet ἄμεμπτον, id est, in quo nihil meritò desiderari possit, is secundo Testamento non est quæsiturus locum. Deus autem secundo Testamento quæsivit locum; Prius ergo Testamentum non fuit ἄμεμπτον, cùm illius succedaneum Testamentum Dominus procuraverit. Ex ea propositione concluditur, qui novum Testamentum vel novam dispositionem dicit, introducitque, is antiquat veterem. Deus autem novum Testamentum, novámque dispositionem dixit, pronunciavit, promisit: Ergo priorem antiquavit. Atque ex hac conclusione, quam nemo Judæus vel pervicacissimus negare possit, alterum ἐπιχείρημα adhibet author hujus Epistolæ; ut illud legale Testamentum, & ritus ceremoniásque eò pertinentes brevi exstinctum iri, & honestè ab Ecclesia sepeliendum esse (ut cum Augustino loquamur) ostenderet: ac proinde Hebæeos revocaret (si qua fortè religio prioris illius Testamenti mentes ipsorum adhuc incesseret) a prioris illius Testamenti observatione ad posterioris cultum. Nam propterea dicit Apostolus, *quòd autem antiquatur*, puta institutione Dei, *& consenescit*, puta sua ipsius infirmitate (ut vetere illo Testamento factum est necessariò, quum veritas illius tota resedit in novo) illud ergò propè est ut deleatur, exstinguatur, atque evanescat; translata nimirum omni authoritate & virtute in secundum Testamentum & dispositionem illius.

CAPUT

CAPUT NONUM.

1 Igitur habebat quidem prius illud Teſtamentum etiam juſta inſtituta cultus & Sanctuarium mundanum,

2 (Nam Tabernaculum fuerat comparatum, prius *quidem*, in quo & lucerna, & menſa, & propoſiti panes fuerunt, quod Tabernaculum appellatur Sancta:

3 Poſt velum autem ſecundum, Tabernaculum poſterius, quod dicitur Sancta ſanctorum.

4 Habens aureum thymiaterium, & Arcam ſederis undique circumtectam auro, ubi urna fuit aurea habens manna, & virga Aaronis quæ germinaverat, tabulæque ſederis:

5 Supra hanc verò arcam, Cherubini gloriæ obumbrantes operculum propitiatorium, de quibus nunc dicendum non eſt ſingulatim.

6 His autem ſic comparatis, in prius quidem Tabernaculum omni tempore ingrediuntur ſacerdotes, qui ritus obeunt ad cultum pertinentes:

7 In ſecundum verò ſemel per annum ſolus Pontifex; nec ſine ſanguine, quem offert pro ſuis ipſius erratis, & pro erratis populi.

8 Hoc declarante Spiritu ſancto, nondum patefactam fuiſſe viam ad ſacrarium, quum prius adhuc Tabernaculum ſtaret.

9 Quod exemplar erat ad præſens illud tempus, quo dona & ſacrificia offerebantur, quæ non poterant cultorem ſanctificare ſecundùm conſcientiam,)

10 Cum cibis ſolùm, & potionibus, diverſiſque ablutionibus, ac juſtis carnalibus inſtitutis, ad tempus uſque correctionis impoſita.

11 Chriſtus verò quum advenit, Pontifex bonorum, quæ futura erant, per majus & perfectius Tabernaculum, ac non manu factum, id eſt, quod hujus ſtructuræ non eſt,

12 Neque per ſanguinem hircorum vitulorúmque; ſed per proprium ſanguinem æternam Redemptionem adeptus, in ſacrarium ſemel ingreſſus eſt.

13 Nam ſi ſanguis Taurorum, hircorúmque, & cinis juvencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat eos ad carnis puritatem:

14 Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit inculpatum Deo, purgaturus eſt ab operibus mortuis conſcientiam veſtram, ad ſerviendum Deo vivo?

HActenus de vocatione, quam Deus Pater imperavit Chriſto, in Lege pronunciavit, in Melchiſedeco & ceremoniis adumbravit, promiſſionibus deniq; ſingularibus & jurejurando confirmavit. Deinceps altera pars ſequitur, ut in finem capitis 6. & principium ſeptimi docuimus, de exſequutione & præſtatione divinæ illius functionis, quam Chriſto imperavit Pater. Hujus autem exſequutionis propoſitio ſumma continetur in iis verſibus quos modò ſimul conjunximus: poſteà verò, reliquo hoc & ſequente capite, præcipua illius exſequutionis adjuncta minutatim exponuntur. In hac autẽ propoſitione ſumma, idem oportet obſervari quod in vocatione declaranda capite 7. annotavimus; nempe comparationem typi & veritatis inſtitui ad majorem argumenti totius evidentiam. Ac typi quidem deſcriptio, verſibus

decem; veritatis verò, quę in Christo esse ostenditur, declaratio continetur vers. 11. & sequentibus. In descriptione typi quatuor partes omnino videntur esse, quas certo ordine perstringit Apostolus, quantum putavit opus esse ad instituti sermonis commoditatem. Nam primùm de rebus typicis agitur, versibus 5. Secundò, de actionibus, versu 6. & 7. tum de usu illarum, versu 8. & 9. postremò autem de fine, in versu 10. Rerum typicarum, quę in priore Testamento ex instituto Dei obtinuerunt, partes duæ summatim ab authore proponuntur, versu 1. nempe justa legitimáque instituta ad cultum Dei pertinentia, quæ priscus ille populus apud Deum tenebatur observare; & sanctuarium illud sive Tabernaculum totum, tamquam sedes & domicilium Dei, ubi legitima illa instituta & ritus sibi exhiberi olim mandavit Deus. E quibus prior pars officium nostrum apud Deum; posterior beneficia Dei erga nos, & præsentiam ejus in Ecclesia ad sanctificationem & benedictionem populi, testificabatur. Harum verò partium brevis descriptio in sequentibus proponitur, ὕστερον πρότερον. Nam sanctuarium quidem illud quod mundanum appellat author διακριτικῶς (ut a sanctuario cælesti & verò Tabernaculo distinguatur) perstringit author versibus 4. postea verò ad institutos ritus cultúmque devenit versu 6. & sequente. Sanctuarii partes instituuntur duæ: una, prioris Tabernaculi cum instrumento suo, versu 2. altera, posterioris, similiter cum instrumento suo, versu tertio, & duobus sequentibus. Ac prioris quidem Tabernaculi instrumenta eadem ponuntur hoc loco, quę Deus in Lege imperavit: prout Exodi 25. legimus. Posterioris verò sive interioris Tabernaculi (quod ab Hebræis Sancta sanctorum κατ᾽ ἐξοχὴν, id est, sanctissimus locus dicebatur; ut prius Sanctorum nomine appellabatur διακριτικῶς, pro eo quod est sanctus locus, non autem sanctissimus) Illius igitur posterioris a priore loco distincti velo, quod secundum vel medianum hoc loco appellatur, & cujus Matthæus 27.51. meminit in historia Christi, instrumenta quo modo se habeant, apud Interpretes non satis convenit; quia in speciem hic aliud videtur author noster dicere, quàm aut Deus per Mosem instituit, aut testantur alii Scripturæ loci. Ac facilè quidem fuisset nobis e regione singulorum versuum, quos antè posuimus, locos Parallelos committere, prout in antecedentibus diagrammatis fecimus: sed quia res illa plurimum operæ consumsisset, nec admodum commodè nisi mutilatis quibusdam locis præstari potuisset; in primis autem quia non ad unum aliquem certum Scripturæ locum, consilio certo respexit Apostolus; sed potiùs ad totam priscam historiam & formam priscæ illius Ecclesiæ, quæ servata est in adventum usque Christi: proptereà maluimus tum ipsi ab eo labore supersedere, tum abstinere ab eo opere, quod Lectori potiùs fuisset futurum molestum, quàm gratum & utile. Ut igitur ad rem; Plerique omnes existimant, aut aliud hic ab Apostolo dici, quàm quod ex Testamenti veteris Scriptura didicimus; aut, si idem dicitur, constare nobis non posse quo id modo verum demonstrari possit. Nam, inquiunt illi, neque aureum thymiaterium in sacrario fuit, sed in priore Tabernaculi parte ex præscripto Legis; neque urna aurea aut virga Aaronis in arca fuisse legitur: sed potiùs ex disertis Scripturæ verbis confirmatur nihil fuisse in arca præter tabulas federis a Deo datas, 1. Reg. 8.9. & 2. Chron. 5.10. Ad hæc omnia respondebimus paucis, & quidem μεταφραστικῶς; resumta hac ipsa narratione Apostoli: deinde si qua obscuriùs fortasse dicta videbuntur, ampliùs declarabimus.

bimus. Sic ergo loquitur Apostolus;& nos μεταφράσωμεν. In ipso spatio prioris Tabernaculi erat dissepimentum quoddam ex velo sive aulæo constitutum; quod exteriorem partem prioris Tabernaculi,in qua lucerna, mensa,& panes erant, ab interiore,in qua altare suffitus, discernebat: quam rem ipse quoque Moses, quamvis obscurè, videtur innuisse,quum primò Tabernaculo priori viginti cubitos,posteriori decem tribuisset. Post illud autem velum, quod secundum vel medianum appellatur,id est,in spatio interiore veli (ut idem Apostolus disertè nominavit supra *6. 19.*) erat Tabernaculum posterius, sive sacrarium, quod sanctitas sanctitatum Hebræis, Græcis Sancta sanctorum fuit κατ' ἐξοχὴν appellatum. Hujus sacrarii instrumenta in hunc modum sese habuerunt; quod alia quidem foris, sed intra velum; alia intus,id est, intra spatium conclusum, vel claustrum ipsum sacrarii reposita sunt. Cùmque eorum instrumentorum duo præcipua sint,reliqua verò in accessionibus numerentur: hæc ita fuerunt constituta,ut sacrarium, foris quidem,sed in ipso aditu ante cōspectum Jehovæ habuerit thymiaterium, id est,aureum illud suffitus vel suffimenti altare, ante arcam testimonii, e regione operculi propitiatorii quod erat supra arcam federis vel testimonii, ut Mosis utamur verbis Exodi 30.6. Intus verò arcam federis & conventus sive testimonii, quo Deus conveniebat cum populo suo, undique circumtectam auro, ut describit Moses Exodi 25. His accedebant instrumenta reliqua in eodem Tabernaculo, alia foris, alia intus (ut de præcipuis instrumentis dictum est)reposita. Ac foris quidem,judicio meo,fuit urna illa aurea habens manna,& virga aurea quę germinaverat: quapropter de utroq; Moses dixit nominatim,deposita fuisse ante conspectum Jehovæ,Exod.16.34.& Num.17,25. Erat autem ipsum quoque thymiaterium ante conspectum Jehovæ,ut modò dicebamus. Intus verò erant hæc instrumenta, tabulæ federis in arca conditæ; & supra fedus,arcámq; ipsam federis synecdochicè,Cherubini glorię obumbrantes operculum illud propitiatorium,quod arcę federis erat impositum. Hic verò duo capita sunt(nisi me conjectura fallit) de quibus aliqua moveri controversia potest: unum,de illo mediano velo, utrùm pars sacrarii fuerit,nec ne; alterū,de relativo in v.4. ἐν ᾗ στάμνος,utrùm pertineat ad propinquius nomen arcæ, an verò ad longinquius σκηνῆς, id est,Tabernaculi. Prius caput etsi jam ex parte demonstravimus,freti analogia legalis illius Tabernaculi,quod Mosi fuit imperatum: tamen ut ampliùs quærentibus satisfiat,quoad ejus fieri potest,tria testimonia ex Testamento novo adferemus. Primum est Matth.26.51. ubi τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ, id est, velum ædis fissum fuisse dicitur. Est enim Gręcis ναὸς,non universum templum aut structura ipsius; sed ea demum pars templi ad quam culturi homines adire solent. Atque hoc modo ναὸς ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ non rarò distinguitur. Est enim ναὸς Græcum παρὰ τὸ ναίειν,ut ædis ab adeundo Latinis dicta. Alterum documentum est ex verbis hujus authoris ipsius suprà 6.19.ubi Pontificem nostrum affirmat ingressum esse non simpliciter εἰς τὸ ἔσω; sed comparatè εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος,tamquam si interius ab intimo Latinè discreveris.Tertium denique est ex hoc ipso loco. Sic enim habent verba Apostoli: *Post secundum autem velum* (nam prius erat in ædis aditu atque vestibulo)*comparatum fuit tabernaculum,quod vocatur Sancta sanctorum.* Ergo aliud est velum a Tabernaculo.Quod si aliud a Tabernaculo quis esse dixerit,ut pars aliud est a toto: ne hoc quidem commodè obtineri

poteſt; cùm dicat Apoſtolus, Tabernaculum illud poſt velum conſtitutum eſſe: quę res non niſi figuratè illo ſenſu dici poteſt. Nos autem propriâ ſequimur ex verbis & analogia Moſis interpretationem. Quæſtio altera, de antecedente nomine ad quod relativum pronomen reſpicit, ex eo nata eſt; quòd plerique omnes relativum illud ad proximè præcedens nomen κιβωτῦ, id eſt, arcæ federis exiſtimaverunt pertinere; cùm tamen id ipſum cum reliqua Scriptura viderent non admodum convenire poſſe. Nam in arca federis authenticas illas tabulas Legis ſolùm, Dei digito exaratas, fuiſſe repoſitas didicerant ex iis locis quos antè protulimus; nec aliud quicquam in ea arca exſtitiſſe: præterea eidem arcæ operculum propitiatorium, ita fuiſſe impoſitum & impactum ex mandato Dei, ut non facilè inde poſſet eximi; neque verò eximendi facultatem cuiquam fuiſſe datam. Hæc autem omnis dubitatio tolli evidentiſſimè potuit (niſi me animus fallit) unica obſervatione hac grammatica; quòd relativum pronomen in utroque Teſtamento, pro ratione locorum modò ad proximum nomen, modò ad longinquius pertinet: quod ex argumenti & hiſtoriæ veritate demùm dignoſcitur. Ac hujus quidem rei documenta & probationes plurimæ adferri poſſent. De priore, putà de eo quòd relativum propinquo antecedenti convenit, nemo dubitationem movet: poſterioris igitur, quòd relativum cum remotiore & longinquiore antecedenti conjungi oporteat, exempla paucula docendi cauſa citabimus. Geneſ. 10. 12. dicitur Nimrod ædificaſſe Niniven, urbem Rechoboth, & Celach, & Reſenem inter Ninivem & Celach; illam eſſe urbem maximam; putâ Ninivem, cujus primo loco meminerat: ut omnes Hebræi & homines noſtri uno conſenſu agnoverunt. Item 1. Sam. 7. ſub finem dicitur Samuel proficiſcens de anno in annum, obiviſſe domum Dei fortis, & Gilgalem, & Mitzpam, ut judicaret Iſraëlem in omnibus locis illis: deinde ſolitum eſſe regredi Ramam, quòd ibi eſſet domus ipſius, & ibidem judicaviſſe Iſraëlem, & exſtruxiſſe illic altare Jehovæ: illic autem, id eſt, in Ciriathjarim, quæ propter ſtationem arcæ federis domus Dei appellata fuit, antecedente verſu. Nam Samuelem, tantum Prophetam & veræ pietatis typum, quis homo pius altare exſtruxiſſe alio in loco conceſſerit; præſertim ſi ad hiſtoriam quæ eſt Joſ. 22. attenderit? Nec diſſimilis locus eſt 2. Sam. 21. 14. quum Deus fuiſſe ipſi terræ exoratus dicitur, poſt illud: non illud quod proximè author expoſuerat; ſed potiùs illud quod inde a principio capitis author narraverat fuiſſe geſtum ex mandato Dei Gabaonitarum cauſa. Quid? quòd eodem modo Pſaltes argumenta laudationis Dei adferens Pſalmo nonogeſimo nono, in hunc modum loquitur? Moſem & Aaronem cum Sacerdotibus ipſius, Samuelémque cum invocantibus nomen ipſius inclamantes Jehovam, ipſe illicò exaudivit eos: poſteà verò ad ſuperiores citra controverſiam reſpiciens ſubjicit? In columna nubis alloquutus eſt eos, Quæ verba de Moſe quidem & Aarone rectè; de Samuele, non niſi præter veritatem fidémque hiſtoriæ, exponi poſſent. Illud igitur his exemplis (ut confido) obtinemus; relativum utrovis, pro natura locorum rerúmque veritate quæ enunciantur, trahi oportere. Cùm autem, ſi ad propinquius nomen, nimirum arcæ, accommodaveris, ea ſententia conſequatur ex hac conſtructione, quæ auctoritate diſertóque teſtimonio ſcripturæ evertitur, & ne minimo quidem apice confirmari poteſt; Equidem non video quid obſtare poſſet, quo minùs relativum iſtud

ad

ad antecedens longinquius revocetur, id est, ad nomen illud Tabernaculi posterioris, quod versu 3. expressum est: cujus Tabernaculi sive sacrarii interiora arcam federis, anteriora verò thymiaterium habuerunt, ut antè exposuimus: cui thymiaterio ante conspectum Jehovæ aditúmque Sacrarii aderant hæc instrumenta, quæ recenset author, nempe urna aurea habens manna, & virga Aaronis quæ germinaverat. Dixerit fortasse quispiam, non videri causam, cur hoc relativum ad remotius antecedens trahi oporteat; aut si trahendū est, minimè exstare causam, cur Apostolus hoc ordine res istas enunciaverit. De utroque sic paucis respondemus. Causa cur relativum istud remotiori antecedenti aptari necesse sit, est Scripturæ authoritas & historiæ fides. Nam si ad propinquius nomen retuleris; id non modò ex Scripturis probari non potest, verum etiam omnino confutatur disertis atque luculentis testimoniis. Cur autem hunc ordinem in hac recensione Apostolus tenuerit; causam jam antè perstrinximus; nempe principalia duo instrumenta sacrarii divini, exterius atq; interius, fuisse ponenda priore loco: posteriore verò per Epanalepsim ejusdem antecedentis, quod versu 3. enunciaverat, reliquum instrumentum fuisse exprimendum; tum exterius adjacens thymiaterio, nimirum urnam mannæ & virgam Aaronis; tùm interius ad arcam pertinens, nempe tabulas federis & Cherubinos gloriæ, operculo arcæ, quod propitiatorium vocant, impositos. Quem ordinem in hoc narrationis genere; & in tanta brevitate mirari potiùs debemus (ut est admirabilis) quàm temeraria prę fidentia carpere. Sequitur actionum descriptio, versu 6. & 7. ad quam se transire non obscurè declarat author, quum inquit principio versus, *His autem ita comparatis*, &c. Actionum autem in universum administrationúmque sacrarum duo ponuntur genera; unum commune sacerdotum omnium, versu 6. alterum, singulare Pontificum (qui etiam Sacerdotes uncti in Testamento vetere, aut Sacerdotes summi in vulgo διακεϱιτικῶς appellantur) versu 7. Atque horum Sacerdotum administratio, luculenta antithesi his duobus versibus cicumscribitur. Illi enim ad quos communiter sacerdotalis functio pertinebat, dicuntur primùm, si de loco quæsiveris, in prius Tabernaculum ingressi esse; si de tempore, semper vel quovis tempore; si de functione & opere administrationis, confecisse cultus, id est, non unum aliquem solummodò cultum, sed varios atque differentes ratione legitima procuravisse. Nam in priore Tabernaculo erat cultus duplex, ut iterum distinguamus, communis, & hebdomadarius. Communis, qui exercebatur in vestibulo & priore parte Tabernaculi, atriisque antecedentibus: Hebdomadarius verò, qui in Tabernaculo curabatur, atque speciatim in secunda illa parte Tabernaculi, quæ erat post velum, ante conspectum arcæ, nempe ad thymiaterium sive altare suffitus. Quamobrem propter multiplicem rituum varietatem, & locorum viciúmque discrimen, τὰς λατϱείας, id est, ritus & officia, ut vocant, divini cultus, Apostolus nominavit. Pontificis verò administratio septimo versu pariter circumscribitur, opponitúrque antecedentibus: si locum respexeris, quum dicitur in secundum Tabernaculum ingressus esse; si tempus, quum semel in anno solùm; si personam, quum solus & citra ullum comitatum sive adjumentum ministratorium: si opus functionis & administrationis, quum eò venisse dicitur non sine sanguine, sine quo alioqui licebat ingredi in alias partes Tabernaculi; prout ritus sunt legitimi ad res

singulas imperati, & apud Mosem distincti exstant. Potentissimum verò discernendæ hujus functionis argumentum, quo ceterorum functionibus ministerióque anteponitur, sub finem adjecit author; quum inquit, *Quem sanguinem offert pro sui ipsius & populi erratis*, non autem pro alia ulla causa, quæ extra hunc ingressum sacrarii alioquin erant licita sacerdotibus, sive oblationes voluntarias, votivásque, sive Eucharisticas, sive quid aliud oblaturi essent. His positis, demum venit Apostolus ad explicandum usum earum rerum, quæ modo fuerunt positæ, vers. 8. & 9. quam explicationem præmunit ab authoritate Spiritus sancti; tamquam illius, cujus proprium est homines deducere in omnem veritatem, & res obscuras, ac typis ceremoniisque involutas atque adumbratas declarare. Sic enim ait Apostolus: *Hoc declarante Spiritu sancto*, puta qui & umbras ritus ceremoniásque illas instituerat, tamquam Spiritus æternus a Patre & filio procedens, & easdem res virtute sua illustravit maximè in temporum plenitudine, ex promisso Christi, Johannis 14. & sequentibus. Usus autem, quem declarare Spiritus sanctus dicitur, illis observationibus, duplex quidem est revera: sed unus solùm hic ab authore exprimitur; alter in eum locum, qui de veritate est typorum ceremoniarúmque rejicitur. Usum ergo priorem hæc verba significant: *Nondum patefactam fuisse viam ad sacrarium, quum adhuc staret prius Tabernaculum*, ver. 8. Sensus est, illas umbras, typos, & ceremonias totidem fuisse documenta, quibus priscam illam Ecclesiam docebat Deus; neq; illud perfectum esse Tabernaculum aut sacrarium ejus; neq; perfectã & absolutam administrationem, quæ in eo perficiebatur; neq; perfectum eventum ex eis consequuturum; quia non erat illa via ad perfectum Tabernaculum, sed tantum viæ adumbratio & significatio: ac proinde viam hanc uni solùm sacerdoti, ac non omnibus: uno solùm die, ac non semper patuisse; quia hæc figurativam habebant significationẽ, ad quam referebantur instituto Dei, non autem exhibitivam, ut loquuntur, potentiam atque energiam, quæ ad solum Christum Jesum pertinet, & quæ ad tempus illis rebus atque ceremoniis antè figurata est. Quapropter etiam illius temporis circumscriptio accuratissima subjicitur his verbis: *Quum prius adhuc Tabernaculum staret*, id est, statum suum antecedentem obtineret, qui versu sequente exponitur. Atq; hic modus expositionis est, quo utitur Apostolus, ut primùm Tabernaculi ipsius, de quo agitur, usum; deinde verò ceremoniarum & rerum ostendat, quæ fiebant in Tabernaculo. Tabernaculi usum definit duobus modis; relatione, & tempore. Relatione; quia prius illud Tabernaculum παραβολὴ, id est, *exemplum* fuit adumbrans illud Tabernaculum verum & non manu factum, cujus postea mentio fit versu 11. id est, corpus Domini & Servatoris nostri Jesu Christi. Tempore, quia exemplum illud non perpetuum, sed temporarium fuisse dicitur; idque non hujus temporis quo verbum caro factum est, & Deus in carne patefactus; sed illius temporis quod tum erat, *quum dona & sacrificia offerrentur*, &c. id est, prisca Ecclesia aleretur umbris in venturi corporis & veritatis per Christum expectatione. Rerum verò quæ in Tabernaculo observatæ sunt usus demonstratur modo, numero, & efficacitate ipsarum: modo, quia dona & sacrificia fuerunt rerum aliundè sumtarum & imperatarum Lege: Numero, quia multæ fuerunt atque multiplices: Efficacitate denique, quia non potuerunt secundum conscientiam sanctificare eum, qui Dominum colebat

ipsis;

ipsis: prout substantia, modo, numeróque, & eventu ipsarum convincitur. Atque hactenus quidem in antecedente hyperbato, inde a secundo versu, duæ illę partes in versu primo enunciatæ ὕστερον πρότερον descriptæ sunt: tertium desiderabatur, nempe quęnam materia ad legitimum illum cultum in sanctuario illo mundano adhiberetur, antequàm finem eorum omnium Apostolus ostenderet. Materiam itaque, regrediens ad institutum illum sermonem Apostolus, optimè determinat principio versus 10. quando certas primo loco species ad materiam illam pertinentes; deinde verò brevitatis causa genus earum omnium nominatim tradit. Tres enim species ex iis omnibus quos imperabat Lex adferuntur, cibi, potiones, & lotiones diversæ: quarum omnium hoc genus unum est, quòd justa quidē instituta sive observationes sunt legitimæ, sed carnales solùm: ac proinde corpus, veritatem, aut Spiritū minimè habentes; sed umbram, figuram, & literam occidentem solùm. Etsi hoc membrum, si quis cum præcedente versu conjungi voluerit & hyperbato consimiliter includi; non magnopere contendam: ut quod non ineptè in hanc sententiam præcedentibus aptari possit, in hunc modum: prius tabernaculū ad tempus illud fuisse exemplar, quum dona sacraficiáque oblata sunt; quæ secundùm conscientiam non possint sanctificare cultores: quippe quæ in cibis dumtaxat & potionibus, diversisque lotionibus posita sint. Verumtamen prior interpretatio magis convenit, judicio meo; maximè cùm hoc argumentum posteà ex professo ab ipso Apostolo versu 13. & 14. tractetur luculentissimè. Alioqui utrovis modo legeris, omnino statuo sequentia verba extra hyperbaton ponenda esse, & cum principio hujus capitis cōjungenda, quum inquit Apostolus, ea *usque ad tempus correctionis fuisse imposita.* Nam etsi illud vocabulum Græcum, ἐπικείμενα, alii per enallagen casus positum fuisse volunt ratione sensus, neglecta Grammaticorum & authorum Lege (cujusmodi exempla non inficior extare paucula apud probatos authores, sed in locis demum evidentibus, ad ornatum, euphoniámq;, citra jacturam sensus) alii pro authoritate genus illius dictionis commutant fœminino; aut casum quartum tertio: mihi tamen (quod citra cujusquam offensam, & bona omnium pace dictum) nulla ratione necessarium videri potest, ut figuratus loquendi modus loco proprii invehatur, mutatione ulla generis, aut casus, aut denique syntaxeως. Propria autem futura hæc constructio est; si hęc verba adaptans principio capitis legeris in hunc modum: *Igitur habebat prius illud fœdus justa instituta cultus, & mundanum sanctuarium, usq; ad tempus correctionis imposita,* priscæ Judæorum Ecclesiæ: Atque hoc modo locus est evidentissimus. Tempus autem correctionis appellatur illud, quo res eæ quibus non possunt cultores sanctificari secundùm conscientiam ipsorum, fuerunt abolitæ in plenitudine temporum, & melior spes introducta, ut antè dixit Apostolus cap. 7. versu 19. putà *quum advenit Christus, Pontifex futurorum bonorum,* &c. quæ sequentibus versibus enarrantur. Sed quare, dixerit quispiam, huc usque rejecta fuerunt hæc verba, quæ ad principium capitis dicuntur pertinere? cur non ibidem quasi perpetuo contextu posita? Respondemus, id optimo consilio fuisse factum: nempe ut hæc clausula & antecedentis sermonis finem constitueret, & principium sequentis. Nam paucula hęc verba (ut ita dicamus) summam narrationis sequentis de adventu, officio, beneficióque Christi complectuntur; qua in re posita est eorum veritas, quæ antè recensuit Apostolus.

Sequitur ergò deinceps alter locus; puta veritatis, quæ in Christo est, declaratio anagogica,& applicatio ad præcedentes typos.In hac autē anagoge ea perstringit Apostolus, quę singulis partibus typi antecedentis responderent.Antequàm verò singulas partes percurrat; personam Christi nominat, & adventum priorem ipsius: quam personam & adventum certo consilio opponit omnibus antegressi illius typi partibus;ut demonstret omnium universè & sigillatim umbrarum typorúmque veritatem in uno Christo exstare,& in eo solo ab Ecclesia percipi; ut qui Pontifex est vel summus sacerdos in æternum a Deo vocatus, & datus,ut suprà capite 5. fuit explicatum.De hoc igitur pontifice diverso ordine partes easdem perstringit Apostolus, quas ante meminerat. Nam cùm proximè a fine typorum desiverit; jam a fine incipit veritatis, quam in Christo obtinemus, quum eum nominat *pontificem eorum bonorum quæ futura erant*,quęque futura significabantur typis.Sic enim justam arbitramur interpretationem esse τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, quæ hoc in loco appellantur: atque hoc membrum illi opponendum,quod antè pronunciavit Apostolus dicens, nondum patefactam fuisse viam ad sacrarium,stante illo tempore, nimirum quo dona & sacrificia offerebantur.&c. Reliquas autem partes antecedentis typi, non dissimili ordine percurrit Apostolus,& paucis explicat.Nam primùm veritatem utriusque Tabernaculi declarat hac sua anagoge: deinde actionem operationemque ejus: postremò usum,quemadmodum in typo factum fuisse ostendimus. Prioris Tabernaculi veritas est corpus ipsum Christi mediatoris nostri:quod Apostolus his verbis innuit, *per majus & perfectius Tabernaculum,non manufactum,id est, non hujus structuræ.* Atque his quidem verbis non solum carnem Christi illud ipsum esse Tabernaculū docet,per quod nos tamquam sacerdotes in ipso, oportet ad Deum accedere; verumetiam conditionem ejus dignitatémque explicat, duobus modis:nempe forma essentiali & ortu vel causa efficiente ejus. Essentialis forma illius Tabernaculi, id est, carnis vel naturæ humanæ Christi,est ipse λόγος, cujus unione personali omnis plenitudo deitatis habitat in ipso corporaliter. Atque eo nomine proculdubio majus & perfectius est hoc Tabernaculum priore illo,quod Moses exstrui mandato Dei curavit. Ortus verò & causa efficiens ejus κατ' ἀφαίρεσιν, sive per Negativam,ut loquuntur,his verbis ostenditur; *Non manu factum*, ut illud fuerat olim,*id est,non hujus creationis vel structuræ*: pro eo quod est,non humana operatione aptatum λόγῳ; sed aptatum potiùs a Deo Patre (ut infra capite decimo ex Psalmis dicitur) per Spiritus sancti operationem, quam Lucæ 1.Angelus exposuit commodissimè. Nam quod ex his verbis Anabaptistæ & Schvvenckfeldiani sibi videntur confirmare,Domini Jesu Christi carnem non esse de substantia carnis nostræ, carnem de carne nostra,& os de nostris ossibus; id vel eo ipso revincitur,quòd Apostolus de causa efficiente atq; operante, vel potiùs de modo actionis & operationis loquitur,quàm de carnis illius substantia.Iniquum est autem argumentandi genus, quum mutatur ipsum prædicationis caput, & ab actione ad substantiam, aut ab agentis modo(ut ita loquamur) ad patientem transfertur oratio.Hîc verò non de substantia, sed de actione & operatione agi, quum inquit Apostolus, non esse hujus creationis illud Tabernaculum,demonstrat antecedens attributum, quando dixit idem esse ἀχειροποίητον, synecdochicè intelligens nec manu,nec arte, nec labore humano ullo, aut operatione

corpus

corpus fuisse aptatum & adunatum λόγῳ, ut tamquam Tabernaculum subsistens in λόγῳ, atque (ut Patres dixerunt) ἐνυπόστατον, Deo Patri acceptum esset. Alterum Tabernaculum sive posterius, de quo supra versu tertio & sequentibus, unica voce exprimitur, quum appellantur τὰ ἅγια, id est, Sacrarium, ut antè exposuimus: cujus Sacrarii vera interpretatio infra versu 24. commodissimè exponitur. His autem omnibus si materiam adjunxeris, quæ fuit opus ad legitimum illud ministerium intercessionis; tota illa pars prima justam interpretationem habitura est. Hanc verò Apostolus exprimit ἀντιθέτως, quum ait, *non per sanguinem hircorum & vitulorum*, qui imperabatur lege; *Sed per suum ipsius propriúmque sanguinem* ministerium illud sibi a Patre mandatum confecisse. His positis sequitur actio; quòd Christus (ut qui ipse personaliter habet Tabernaculum suum, id est, corpus non manu factum, quod priore illo Tabernaculo fuerat adumbratum) non habuerit necesse, ut sacerdotes illi, ingredi ampliùs in aliquod Tabernaculum, & quasi antecessum cœlestis Sacrarii; sed ingressus sit, tamquam Sacerdos summus, in verum illud Sacrarium, non sine sanguine, & quidem semel; quemadmodum semel quotannis solus Pontifex in secundum Tabernaculum ingrediebatur. Nam ut ille Pontifex, Christi; sanguis animalium, sanguinis illius; Tabernaculum illud Sacrarii cœlestis fuit umbraculum: sic annus vertens in hoc typo fuit umbraculum χρόνων αἰωνίων, ut in Scripturis appellantur. Quamobrem semel tantùm necesse fuit Christum in Tabernaculum illud introire. Restat usus sanctissimi illius ministerii & humano generi salutaris: nempe quòd Christus hoc suo ingressu paravit nobis redemtionem æternam; ut qui in sanctuarium illud verum semel sit ingressus, ad beneficium tantum in æternitatem comparandum. Hanc verò propositionem, de usu sanctissimi illius ministerii, quia partim Iudęi erant oppugnaturi argumento Legis, partímque alii rationibus carnis ludificaturi; propterea Apostolus per comparationem minoris cōfirmat hoc suum dictum, de æternitate redemtionis Christi, elegantissimo ἐπιχειρήματι, duobus versibus proximè sequentibus. Hujus ἐπιχειρήματος quidā prosyllogismus evidentię causa ponendus est ab analogia in huic modum: Quarum rerum institutio est ἀνάλογος, quamvis in diverso genere; earum vis & efficacitas pro ratione generis sui major aut minor dicenda est. Sanguinis taurorum, hircorúmque, cineris, & ceterarum expiationum legitimarum ritus est ἀνάλογος cum aspersione sanguinis Christi; Ergo pro ratione utriusque generis alia est hujus, quam illius efficientia. Ex hoc prosyllogismo conficitur argumentatio, quam his constituit Apostolus: Infinitè major est rei spiritualis & æternæ efficientia, quàm rei carnalis, quamvis cum altera habentis analogiam. Sanguis taurorum, hircorúmque, & cinis juvencæ, quibus inquinati ex Lege aspergebantur, sanctificavit ad carnis puritatem. Infinitè igitur major est efficacitas sanguinis Christi, ut versu 14. additis quibusdam argumentosis vocibus demonstratur. Hanc comparationem ita instituit Apostolus hypotheticè; ut antecedens hypotheseωs versu 13. consequens 14. concludatur. Antecedens verò eo liberiùs potuit Apostolus enunciare hypotheticωs, quòd rem sibi cum Hebræis esse animadverteret, apud quos hæc pars argumentationis in dubium minimè vocabatur: ut qui omnes Legem à Deo fuisse latam, ceremonias imperatas, usum sanctificatum, & efficacitatem divinitus additam crederent essέntque persuasissimi:

suasissimi: quemadmodum etiam hoc nostro tempore nemo, qui Deum Testamenti veteris authorem & Legis Mosaicæ latorem fuisse credit, temerè negaturus est, eos secundùm carnem sanctificatos fuisse legitimis illis observationibus, qui easdem usurpaverint mandati divini conscientia. Secundum carnem autem & ad puritatem illius, nempe legitimam, sanctificatos fuisse; optimè determinatur pro natura earum rerum, quarum sanguis aut cinis aspergebatur: quia alioqui secundum Spiritum certum est res carnales hujusmodi nihil præstare posse spiritualis fructus, ad puritatem animorum iis qui aspergebantur, conferendam; quemadmodum posteà ab eodem authore arguitur principio capitis decimo. Ex his autem conficitur consequens, vel alterum ἀποδόσεως membrum; multò magis sanguinem Christi purgare non carnem, sed conscientiam, duobus modis: tum quia in præsens, sive (ut loquuntur) ex facto, fideles abluit & purificat ab operibus mortuis, ut qui propitiatio est apud Patrem pro peccatis nostris: tum quia nos in futurum comparat ad sanctificationem Christianis hominibus dignam, ut serviamus Deo viventi, postquam mortuis operibus nostris renunciavimus. Quia verò potuissent nonnulli objicere materialem illum sanguinem Christi, qui profusus est in remissionem peccatorum, non minùs per se carnalem esse substantia sua, quàm sit animalium sanguis, quæ Lex imperaverat: propterea sanctissima quadam occupatione ostendit Apostolus maximum discrimen esse, inter hæc duo comparationis membra: quia sanguis Christi non eo simpliciter nos purgat & abluit a peccatis nostris, quia sanguis materialis est; sed quia sanguis Christi est, sermonis illius æterni, qui carnem sibi assumsit in unitatem personæ, ut ea ipsa caro filii Dei in ipso subsisteret: ac proinde vis æterna filii Dei in eo sanguine, cum eo, & per eum, servata utriusq; naturę proprietate, operatur ad purgationem & sanctificationem nostram: quemadmodum virtute illa divina totus ipse Christus, & per consequens sanguis ipsius, Deo acceptus est, & consummata nostra redemptio. Atque hoc illud est, quod sibi volunt hæc verba; Christum per Spiritum æternum, id est, Deitatem suam, secundũ quam Spiritus est coëssentialis & coæternus Patri & Spiritui sancto, seipsum obtulisse inculpatum Deo. Sic enim constat, non carnale, sed spirituale Christi sacrificium habendum esse; quamvis materia carnis & sanguinis, quam Christus propterea assumserat, ab eo sacrificio excludi piè nullo pacto possit. Nam quantulum est, obsecro, illud, quod de carne & sanguine Christi in ἱλαστικῷ hoc sacrificio pro nobis oblato prædicatur; si cum persona ipsa filii Dei comparetur, quæ assumsit carnem, & seipsam obtulit Deo ad remissionem peccatorum & reconciliationem nostram? Itaque in hanc sententiam argumentatur Apostolus: Spiritualis sacerdotis & sacrificii atque inculpati est quoque spiritualis efficientia. Ejusmodi est Christus, & sacrificium ipsius: Igitur & efficientia. Assumtionem confirmat his verbis: *Qui per Spiritum æternum*, id est, deitatem suam *seipsum*, id est, totam personam suam ex duabus naturis, una per se sufistente, altera ἐνυποστάτῳ constantem, divina & humana, offert; ejus sacrificium non carnale, sed spirituale dicendum est. Is autem est Dominus & servator noster, sacerdos & sacrificium nostrum. Stat igitur firma & indubitata illa quę antecessit argumentatio. Neque obstat, quòd Apostolus sanguinem Christi hoc loco appellavit. Nam primùm ita fieri oportuit, ut constaret membrorum, quorum instituta

est

eſt comparatio, inter ſe analogia; deinde etiam non ſimpliciter ſanguis, ſed ſanguis Chriſti appellatur, determinatione tam neceſſaria quàm quicquam eſſe poſſit: quia (ut ex Cyrillo antè dicebamus) non eò purgat quòd ſanguis eſt, ſed tantùm quòd ſanguis eſt Chriſti, qui ſeipſum tradidit pro nobis, & ſanguinem ſuum effudit, quem cum filiis Dei participaverat, ut nos virtutis & Spiritus illius æterni unione facta in ſe cum natura noſtra, conſortes efficeret redemtionis æternæ, quæ paulò antè nominata eſt.

15 Ac propterea Mediator eſt Teſtamenti novi, ut conſequuta morte ad redemtionem earum tranſgreſſionum, quæ ſub Teſtamento priore fuerant, ii qui vocati ſunt promiſſionem æternæ hereditatis acciperent.

16 Nam ubi Teſtamentum eſt, mortem intercedere neceſſe eſt Teſtatoris.

17 Teſtamentum enim ratum eſt Teſtatoribus mortuis: alioqui nondum valet quum Teſtator vivit.

18 Unde ne prius quidem illud abſque ſanguine fuit dedicatum:

Exod. 24.

7 Accipiens Moſes librum illum fœderis quum legiſſet audiente populo; & dixiſſent illi, quicquid edixerit Jehova faciemus & auſcultabimus:

8 Accipiens ſanguinem illum ſparſit ſuper populum;

Et dixit, Ecce ſanguinem illius Fœderis, quod pangit Jehova vobiſcum, ex omnibus verbis iſtis.

19 Poſtquàm enim univerſum mandatum ſecundum Legem a Moſe toti populo enunciatum fuit; accipiens ille ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina, & hyſſopo ſimul, & librum ipſum, & totum populum adſperſit.

20 Dicens: hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos perferri Deus:

21 Et Tabernaculum quoque, & omnia vaſa miniſterii ſanguine aſperſit conſimiliter.

22 Et omnia ferè ſanguine purificantur ſecundùm Legem, nec abſque ſanguinis effuſione fit remiſſio.

23 Igitur neceſſe fuit exemplaria quidem eorum quæ ſunt in cœlis, purificari hiſce rebus; ipſa verò cœleſtia, melioribus ſacrificiis quàm hæc ſint.

24 Non enim in manufactum ſacrarium ingreſſus eſt Chriſtus, quod ſit veri ſacrarii typus alter priori reſpondens; ſed in ipſum cœlum, ut nunc compareat in conſpectu Dei pro nobis:

25 Neque ut ſæpè offerat ſeipſum, quemadmodum Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno:

26 (Alioquin oportuiſſet eum ſæpè pati a condito mundo) nunc verò in conſummatione ſeculorum ab abolendum peccatum per oblationem ſui ipſius ſemel patefactus eſt.

27 Et prout ſtatutum eſt hominibus, ut ſemel moriantur; poſteà verò judicium:

28 Sic Chriſtus ſemel oblatus ad tollendum peccata multorum, ſecundò ſine peccato conſpicietur iis qui ipſum exſpectant ad ſalutem.

EX duobus proximis Capitibus antè didicimus, officium veri & perfecti sacerdotis nostri non in eo solùm versari, ut nos reconciliet Deo per sanguinem crucis; verumetiam ut sua morte sanciat in perpetuum Testamentum illud salutare, quo meliores promissiones nobis legatæ sunt: ac proinde respectu Dei Patris, Jesum Christum sacerdotem apud ipsum esse; respectu verò nostri, testatorem esse, a quo bona omnia sacerdotio ipsius parta ad nos perveniant; postquam Testamentum, quo ea omnia legantur nobis, morte sanxit sua. Quod beneficium Apostolus hoc Capite expositurus hactenus de sacerdotio dixit: nunc autem pro eo ordine quem in capite 8. sequutus est, transit ad conjunctum alterum illud beneficium; testamenti putà, quo nos locupletavit Christus, & a servitute peccati, morte, malísque omnibus vindicavit. Ac de Testamento quidē cum sacerdotali functione juncto, prout reipsa unū est, sed λόγῳ seu ratione differens, loquitur Apostolus ad versum usque vigesimum primum: posteà verò de utroq; simul, sacerdotio puta & Testamento, instituit declarationem, reliquo capite & sequentis parte. Quia verò in explicatione sacerdotalis administrationis & exsequutionis illius, sermo a typo cœpit, & terminatus est veritatis & complementi declaratione; nunc diverso ordine, ad commoditatem explicationis, a veritate salutaris illius Testamenti initium facit, eámque exponit tribus versibus: deinde verò ad confirmationem illius accommodat typum veritati, versu 18. & duobus sequentibus. Atque hanc rationem docendi commodam esse & convenientem piorum institutioni, omnes facilè animadversuri sunt, qui citra præjudicatum ad enarrationem hanc attenderint. Nam veritati sacerdotii quum Testamenti veritas adaptatur, juvatur omninò piorum intelligentia, tamquam unius argumenti aut certè continui declaratione; quemadmodum posteà ex diverso typis ad Testamentum Christi pertinentibus secundum Legem subnectit Apostolus ea proximè, quæ ad typos sacerdotii & Testamenti communiter pertinebant, versu 22. & sequentibus. Ad veritatem porrò & complementum illius Testamenti quod habemus in Christo, & ex quo heredes Regni cœlorum instituti sumus, asserendum, constitutio ejus, versu 25. proponitur; confirmatio, duobus sequentibus. In constitutione & exsequutione ejus proponenda, duo membra convenientissimè statuuntur: Prius est, de authore & effectore Testamenti illius; posterius de fine. Antequàm verò hęc membra explicet, optimè transitionē facit a Sacerdotio Christi ad Testamenti explicationem, dicens, *Propterea*, nimirum quòd Christus sanguinem suum effudit, & tamquam sacerdos noster per Spiritum æternum seipsum obtulit sacrificium inculpatum Deo: propterea, inquam, *Mediator est Testamenti novi*. hoc est, morte sua (tamquam Testator justus, in cujus manum omnia fuerāt data a Patre ipsius, & qui heres omnium fuerat constitutus, suprà 1. 2.) Testamentum suum stabilivit, quod Spiritu & verbo exaraverat; & adhuc in iis qui heredes futuri sunt illius vitæ, constabilit; prout eodem Spiritu æterno hoc novum esse Testamentum voluit, Deo & Patri acceptum, & in credentibus omnibus, tamquam heredibus vel legatariis, efficax. Hæc autem res non ita se habuerat in Testamento vetere; ideóque hoc Testamentum novum, discretionis causa, fuit appellatum. Finem verò hujus mediationis siue intervētus atque Testamenti demonstrat

Apostolus

Apoſtolus verbis ſequentibus, quum ait; *Vt ii qui vocati ſunt promiſſionem accipiant æternæ hereditatis*: id eſt, quamvis ſint annis minores, & quodammodo pupilli, nec adhuc capaces plenæ poſſeſſionis quam ipſis hereditariam aſſignavit Chriſtus Teſtamento ſuo; tamen promiſſionem illius obtineant, dum exſpectant perfectionem; cujus promiſſionis veritatem in Spiritu ex facto jámque habeant, & in eodem ſpiritu de perfectione futura obſignentur, prout ſignaculum eſt redemtionis noſtræ (ut Paulus loquitur Epheſ. 1.) & ſpei arrhabo. Sed quoniam hujus Teſtamenti veritas neque in ſeſe conſtare, neque in nobis exſiſtere, aut etiam adiri a nobis potuit, niſi præcedente morte illius Teſtatoris noſtri; qui ut ſacerdos ſacrificiúmque noſtrum, ſeipſum morti tradidit, & ut Teſtator Teſtamentum morte ratum eſſe voluit: propterea certo conſilio Apoſtolus opus illud ſalutare ſacerdotis noſtri, nempe quòd animam ſuam cruenta morte poſuit pro ovibus ſuis, conjungit cum hac enarratione Teſtamenti. Nam unicæ hujus mortis duplex fuit uſus: reſpectu quidem ſacerdotii, quòd per mortem agni illius immaculati, redemtionem & abſolutionem obtinemus ab iis omnibus prævaricationibus quibus priore illo Teſtamento nexi & obligati tenebamur; reſpectu verò Teſtamenti, quia non ſatis fuit nos abſolvi & liberari a tranſgreſſionibus & peccatis noſtris; niſi, prout heredes Teſtamento inſtituti ſumus a Chriſto ſervatore noſtro, ita morte ipſius Teſtamentum fuiſſet ratum. Hic verò obloquuntur multi, tum Judæi, tum etiam alii, qui ex Judæorum fæce imbiberunt imprudentes, communem illam Judæorum interpretationem vocis Hebrææ *Berith*: tamquam ſi Apoſtolus a conſilio Dei in Moſe, & ab etymo propriáque ſignificatione vocis diſceſſiſſet. Ex quo factum eſt, ut alii hanc interpretationem & argumentationem totam improbaverint; alii verò ſaltem eò devenerint, ut hoc documento confirmari ſatis putaverint, hanc Epiſtolam non eſſe germanam Pauli: ſed ab altero pio & docto homine, quicumque tandem fuerit, exaratam. Ut itaque eorum omnium judicia refellentes, veritatem interpretationis, argumentationis, reíque totius, & authoritatem hujus Epiſtolæ a ſermonibus illorum vindicemus; primùm de propria nominis illius Hebræi ſignificatione; deinde verò de hujus argumenti totius neceſſitate; poſtremò autem de authoritate Epiſtolæ, quatenus hoc argumento nonnulli eam labefactari putant, paucis dicturi ſumus. Nomen igitur Hebræum *Berith*, qui pro fœdere ſimpliciter accipi contendunt oportere, ii neque ſignificationem, neque uſum illius vocis videntur, ut par eſt, animadvertiſſe. Significationem etymo; uſum exemplis demonſtrabimus. Nomen *Berith*, ſi etymon ſpectes nihil aliud ſignificat, quàm declarationem ſive expoſitionem voluntatis, conſilii, aut promiſſionis, aut ſi quid eſt ejuſmodi; ſive ab uno proficiſcatur illa, ſive a pluribus, ſive unius ſponſione pura, ſive mutua inter diverſas partes reſponſione & reſtipulatione. Eſt autem vulgò fœdus, ejuſmodi declaratio ſive expoſitio voluntatis, conſilii, aut promiſſionis, quæ fit inter plures mutua ſponſione & ſtipulatione: ac proindè ſpecies tantùm eſt illius diſpoſitionis, quæ apud Hebræos denotatur *Berith* appellatione. Quis autem non videt iniquum eſſe, ſi nomen generis, quod patet latiùs, ad ſpeciem unam neceſſitate quadam reſtrinxeris, niſi adſit loco reipſa generis illius determinatio, & differentia illius ſpeciei quæ agitur συςατική, ſive (ut loquuntur) ſpecifica? Hic autem nihil ejuſmodi aut

ex

ex Testamento vetere, aut ex novo adferri potest, quò necessariò cogatur hæc determinatio: ac proinde jam id obtinemus, si etymon vocis spectes, non posse vel probabiliter reprehendi Apostolum hujus interpretationis nomine. De usu verò, quòd illi affirmant perpetuum usum & constantem esse illius nominis, pro federe inter partes inito & mutuam continente obligationem, quocumque modo constitutam; id verò adeò putidum est, ut vix egeat confutatione. Verumtamen afferemus quosdam locos Testamenti veteris; in quibus si illi probare poterunt, hoc nomen pro mutuo federe accipi oportere, fatebor ultrò me nihil videre in hoc argumento. Genes.6.19. *Stabilio fedus meum tecum*, inquit Deus, *te ingressurum in arcam*, &c. Hoc verò non fedus est, sed dispositio ultrò a Deo spondente constituta. Item Genes. 9.9. & sequentibus, Deus sponsionem suam & dispositionem de non tollendis ampliùs diluvio hominibus, & arcus cælestis testimonium, appellat fedus signúmque federis. Levitici 24.8. Deus panes propositionis & thus unoquoque die sabbathi coram se imponi jubet sacræ mensæ a filiis Israëlis federe perpetuo, id est, dispositione & institutione perpetua. Et Numer. 18.19. postquàm omnes oblationes rerum sanctarum Deus adjudicavit Aaroni & liberis ejus in statutum perpetuum, adjicit hoc esse fedus salis, id est, dispositionem perpetuam coram Jehova, &c. Similitérque Numer. 25.12. Deus sacerdotii Phinees pacem & Sacerdotium perpetuum adjudicat federe, id est, dispositione sua, quàm perinde voluit ratam & irrevocabilem conservare, quàm si federe inter partes inito contractus voluntarius fuisset constitutus. Neque verò aliter accipiendus est elegantissimus ille locus Jobi 31. ut vulgò redditur, *Fedus pepigi cum oculis meis*: cùm tamen Jobi verba & consequutio flagitet convenienter argumento, ut ita potiús reddatur locus: *Dispositionem statui vel constitui oculis meis*: & alia quàmplurima, quæ dispositionem citra fedus vel contractum ullum in Testamento vetere denotant. Itaque hoc quoque secundum obtinemus, usum Hebræi nominis id minimè omnium postulare, ut de federe vel contractu inter partes differentes inito & mutuam obligationem complectente necessariò interpretemur, ubicunque legitur. Quemadmodum ex contrario etiam Græcam illam διαθήκης vocem neque ex etymo, neque ex probatissimorum quorumque authorum usu umquam confirmaturi sunt pro Testamento semper & ubique accipi oportere. In hanc verò sententiam nomen quoque federis apud veteres Latinos fuisse usurpatum, & vocis etymon ostendit, & probati authores exemplis confirmaverunt. Fedus enim, si Varroni credimus ex Poëta Ennio, fidus olim dictum, levi commutatione vocalis unius in affinem alteram, ex eo dictum est, quòd datur fides. Datur autem non solùm in contractibus & pactionibus mutuis, verùm etiam in puris sponsionibus promissionibúsque; ut noverunt omnes. Usum verò istius nominis in hac significatione classicis authoribus non fuisse incognitum, antè in oratione quadam demonstravimus, ex duobus locis Virgilii, quorum unus Georg. 1. sic habet:

Continuò has leges æternáque federa certis
Imposuit natura locis, quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.

Alter verò 1. AEneidos elegantissimus, eodem modo de ventis,

Sed Pater omnipotens speluncis abdidit atris

Hoc

Hoc metuens, molémque & montes insuper altos
Imposuit: regémque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Cùm itaque neque ex proprietate vocis, neque exemplo & authoritate probati alicujus authoris, id de quo laborant confirmari possit; eam justam & necessariam esse semper & ubique nominis illius interpretationem: temerarium est factum, quum propter imperitiam aut malevolentiam crimen falsi huic authori nostro impingitur. Sed ut hoc meliùs constet, de secundo capite videamus. Diximus hujus argumenti totius necessitatem invictam esse. Pendet autem universa hæc argumentatio, ex justa nominis illius interpretatione: quod cùm per se generale sit, & pateat latissimè; non aliundè circumscribi potest, quàm ex typis rem ipsam adumbrantibus, & ex promissionibus, quæ eòdem pertinent in Testamento vetere. Circumscriptionem hujus nominis ex typis atque umbraculis Legis demonstrat paulò post versu 15. & sequentibus Apostolus: quum omnino statuit, Dei gratiam eo luculentiorem hominibus explicatam esse, quòd suis non fedus, sed Testamentum dederit; quia fedus conditiones mutuas fuisset habiturum, quas si altera pars non præstet, fedus est irritum: Testamentum verò, liberalitatis & gratiæ citra ullam conditionem instrumentum est: ex quo heredes vocantur & instituuntur, citra contemplationem ullius officii quod ab ipsis proficisci possit. Esse autem hoc testamentum, ac non (ut illi volunt) fedus, ostenditur ab adjunctis. Nam federis adjuncta propria non sunt sanguis, & mors illius qui fedus contrahit; (quid enim cum moriente, aut moribundo homine opus est federe?) sed hæc omnino adjuncta sunt Testamenti; quæ sequuntur quidem confectionem illius, validitatem verò effectionémque antecedunt necessariò, ut duobus sequentibus versibus demonstratur. Quod si quandò federibus pangendis contrahentes sanguinem adhibuerunt ad religiosum compromissorum obsignationem, id non ab una solùm parte, sed ab utraque fuisse præstitum noverunt omnes; neque ad mortem cujusquam statuendam præstando federi, sed potiùs in eum pronunciandam qui federis rupisset leges. Hic verò unius, non plurium; testantis, non contrahentis; mortem spondentis ad rei complementum, non minantis ratio habenda est: nam ita se habuit Christus Mediator Testamenti novi. Cùm itaque testamentorum (si rata futura sunt) proprium & necessarium sit adjunctum mors testatoris, atque hæc mors sanguinis effusione in Testamento vetere fuerit adumbrata; in novo consummata; omnino sequitur optimè hic Testamentum, non autem fedus appellari, eam dispositionem, cujus authoritas & exsequutio post mortem demùm authoris & testatoris rata futura est. Alterum verò circumscriptionis locum ex Dei promissionibus idem author nobis suppeditavit copiosè capite 8. quum locupletissimum illum Jeremiæ Prophetæ locum adduceret. Nam excutiatur totus ille Prophetæ locus, & omnes partes illius sermonis, quem Dei verbis Propheta habuit in eo capite, expendantur; ne apex quidem unus comperietur, ex quo stipulationem aut pactionem mutuam Dei cum populo, & populi vicissim cum eo, quisquam confirmare possit: sed puræ putæ sunt promissiones & beneficia a Deo promissa, legata, & addicta electis secundùm gratuitam ejus misericordiam. Quod genus promissionum, si cui placebit fœdus appellare, equidem non refragabor; si eo sensu ac-

cipiatur fedus quem ex Ennio, Varrone, & Virgilio antè ostendimus: Alioqui id(si propriè loquamur,& communem vocis interpretationem teneamus) non fedus, sed beneficium; non contractus, sed donum; & quidem Testamentarium donum, quum donatoris mors interveniat, dicendum est. Quòd si donum Testamentarium est, ut ex proprio adjuncto intelligitur; hoc ergò magis propriè Testamentum quàm fedus potest appellari; & revera hoc respectu appellari debet. Nam alioqui respectu antecedentis sponsionis stipulationisque in Testamento vetere, non negamus fedus commodè appellari potuisse actionem illam quæ narratur a Mose Exodi 19. Sed quum paulò pòst audita voce Dei pronunciantis Legem, & perceptis signis amplissimis, populus conscientia infirmitatis suæ affectus esset, & intercessorem suo nomine apud Deum desideravisset, Exodi 20. singulare profectò divinæ misericordiæ documentum ea in re exstitit, quòd Deus populum, quamvis certis conditionibus, ad Testamentum suum revocavit, & mortis futuræ signis consolatus est; tamquam veri hujus & novi Testamenti ac complementi prænunciis. Quas ob res, ut de authoritate hujus Epistolæ (quod postremo loco dicendum esse meminimus) nunc demum sententiam nostram adferamus; iniquè facere videntur ii, qui hoc velut ariete hanc Epistolam labefactari putant. Nam cùm verissima sit vocis illius Hebrææ quæ agitur interpretatio, sanctissimum argumentum, & summè necessaria quoque hæc argumentatio ex Mosis ipsius Prophetarúmque testimoniis, non videmus quid sit cur (quod vulgò dici solet) glandem quæramus invento pane; & argumento rei unius, non benè, aut certè non satis intellectæ, & hunc locum & totam simul Epistolam, ut ἀδόκιμον aut infirmæ authoritatis, adversarii possint traducere. Nam quod alii prætereà obtendunt, apparere ex hac consequutione non fuisse hanc Epistolam Hebraicè ad Hebræos; sed Græcè scriptam, id damus ultrò. Sed hoc dato, quid illi effecturi sunt? Concludunt (ut sibi quidem videntur) non fuisse Paulum ad Hæbræos scripturum Græcè; ac proinde non esse Pauli. Quid tum autem? etiamsi id quoque daremus,non esse Pauli; non tamen continuò sequeretur,ergò non esse Apostoli; aut ergò non esse a Dei spiritu: ergò non esse tanta, ac volumus authoritate. Sed tamen quia Pauli esse fœtum omnino judicamus, ut alibi antè ostendimus: unde probari illud possit, non fuisse Paulum nisi Hebraicè ad Hebræos perscripturum; equidem videre non possum. Nam & ex eo sequuntur incommoda, si demus Hebraicè scripturum esse: & si demus Græcè (ut ego quidem probo maximè) amplissima commoda consequuntur. Incommoda quæ ex eo ventura dicimus,si Paulus Hebraicè ad Hebræos scribere cogitavisset, duo adferemus; quæ mihi ad hoc argumentum fore videntur satis. Unum est, quòd neque potuisset Paulus ipse cum animo suo statuere per illud tempus, qua sibi dialecto literæ fuissent exarandæ quas ad Hebræos daret,neq; si qua dialecto scripsisset; Hebræi omnes fuissent intellecturi. Nam erat purus Hebræus sermo in scriptura quidem, sed non in usu populari: erant dialecti in populo, Chaldaica, Syra, Hierosolymitana, Samaritana, & aliæ: quæ etiam pro ratione locorum, quò Judæi erant dissiti, jam eo tempore mutationes & corruptiones plurimas induerant: quibus rebus jam tum effectum erat, ut nec lingua Hebræa a plurimis, nec dialectus hæc aut illa ab his aut illis intelligeretur. Quid ergò censores isti Hebraicè a Paulo scribi voluissent? qui si Hebraicè

scripsisset,

scripsisset, Hebræos scripto minimè docuisset, nisi doctos; si dialecto aliqua scripsisset, non docuisset nisi aliquos. Alterum incommodum est, quòd hac scriptionis forma suam gentem solùm docturus fuisset Paulus; & hoc argumentum ab ipso perscriptum, boni quidem (qui in gente Judæorum pauci erant) fuissent accepturi: sed impii (quorum numerus fuit maximus) eò audaciùs fuissent illusuri doctrinæ Pauli, eámque apud imperitos, & apud exteros malitiosè traducturi; nisi ea lingua scripsisset, quæ & populares suos docuisset, & fidem ipsius aliis probavisset, asseruissétque contra virulentas aliorum calumnias. Ex his incommodis omnes facilè judicare possunt, quæ commoda ex hoc scriptionis modo accesserint, ut secundo loco affirmabamus. Nam primùm hoc ipsius scriptum a Judæis omnibus, ubicumque locorum essent (erant autem in minore Asia maximè, ut ex principio prioris Epistolæ Petri & Apocalypseos confirmatur) tamquam popularem locorum, in quibus versabantur, linguam colentibus, potuit intelligi. Deindè verò ab aliis omnibus gentibus, quibus hoc quoque scripto per consequens Apostolus consultum voluit. Nam cur ad Romanos Græcè, nisi hac de causa, scripsisse dicendus est? Ergò & ad Hebræos Græcè, simili argumento. Nam etsi tum imperium penes Romanos erat, plerasque tamen orbis terrarum partes Græcorum sermo obtinebat. Sed ut hac quæstione omissa, ad institutum Apostoli revertamur, unde digressi sumus: dictum est; Jesum Christum Sacerdotem nostrum, eo ipso quòd mortem subiit pro peccatis nostris, mediatorem esse novi Testamenti, in quo promissionem habemus, heredésque instituimur hereditatis æternæ. Hoc dictum confirmat posteà author duobus modis; jure communi, versu 16. & 17. & jure legali typorum vel ceremoniarum, sequentibus. Jus commune duabus propositionibus concluditur, quas ad commodiorem ordinem transponemus in docendo, hoc modo; prior propositio ex versu decimo septimo per ἀνάλυσιν καὶ θέσιν hæc est: Non valet Testamentum, dum adhuc Testator vivit; sed tum demum valet, ratúmque & firmum est, quum ii mortui sunt qui fecerunt Testamentum. Christus autem Testamentum fecit, quod ratum suo tempore firmúmque esse voluit. Ergo (quæ secunda propositio est versu 16. comprehensa) mortem intercedere illius, velut testatoris nostri, oportuit; ut Testamentum ipsius ratum firmúmque in heredibus vocatis & institutis permaneret: Ac proindè mors Christi duplice respectu nobis est utilis: respectu quidem Sacerdotii, quòd expiavit peccata nostra in sanguine suo; Testamenti verò, quòd Testamentum suum stabilivit, ut hereditatem nobis Testamento legatam cerneremus, & mitteremur in possessionem illius. Sequitur singulare jus legalium typorum ceremoniarúmque, quas in Christo Jesu impleri oportuit. Hoc autem singulare jus tribus versibus expressum, fundamentum habere in communi jure confirmat Apostolus particula illa μετάβασις, *Unde*; tamquam si diceret: Quæ communis ratio in jure humano est (quandoquidem naturalis est juris, Testamentorum confectio atque authoritas) eamdem rationem a Deo in priore illo fœdere fuisse observatam; & mortem intervenisse, non testatoris quidem; sed signi alicujus, sanguinem & mortem illius figurantis. Hujus autem singularis juris propositio est, versu 18. Confirmatio, duobus sequentibus. Propositio hæc est: Prius Testamentum non fuit dedicatum, id est, sanctum, firmúmque a Deo declaratum absque sanguine;

putâ quin sanguis effunderetur & mors sequeretur διὰ τῆς αἱματεκχυσίας. Sic ergo posterius quoque Testamentum dedicari & consecrari oportuit. Antecedens confirmatur narratione historica; quæ apud Mosem exstat Exod.24.ut Parallelo diagrammate ostendimus.Id enim disertis verbis fuisse gestum eo in loco exponit Moses, quod 18. versu author pronunciavit. Verumtamen quia adjectiones & mutationes quædam præter Mosis testimonium hîc ab Apostolo videntur factæ, necesse est ut pauca de iis in hunc locum adferamus. Ac primum quidem illud est quod ait Apostolus, *totum mandatum a Mose secundùm Legem universo populo recitatum esse*; cùm tamen Moses librum illum fœderis sive Testamenti dicat fuisse lectum. Sed hæc omnino conveniunt. Non enim propriè dicit Apostolus omnia mandata secundùm Legem, id est,legalia populo recitata esse,per illud tempus; sed potiùs universum mandatum, putâ quod a Deo acceperat, de fœdere, Testamentóque,& conditionibus illius in populo enunciandis. Hoc autem quid aliud sibi vult, quàm quod dicit Moses, libellum fœderis sive Testamenti ab ipso fuisse lectum, id est, de scripto recitatum? Secundum est, quod ceremonias quasdam huc refert Apostolus, quarum eo in loco Moses neque disertè, neque tacitè, ut multi putant, videtur meminisse. *Nam hircorum, aquæ, lanæ coccineæ, hyssopi, & aspersi libri* cum populo, Moses non meminit: quæ omnia hîc, tamquam ex Mose, proponuntur. Atque hæc quidem a Mose disertis verbis expressa non esse agnoscimus: sed tamen rem ita habuisse duobus argumentis respondetur. Unum est; Hæc narrari ab authore nostro, ut alia multa in Scripturis narrantur, ex traditione; quæ tùm apud Hebræos ipsos pro certa exploratáque habebatur. Alterum est, hæc ipsa quamvis tacitè, a Mose declarari per analogiam earum ceremoniarum, quas Deus jam antè usurpari voluerat, & tum adhuc Mosi de integro, quum ei Testamentum in montem traderet; Lege confirmavit. Priorem responsionis modum probaturus essem, si alia non exstaret via tuendæ veritati & authoritati, quam sartam tectam huic Epistolæ oportet religiosè conservari. Sic enim Scriptura sacra nonnumquam adfert interpretationes,quæ in primis libris, unde historiæ sumtæ sunt, non comparent usquam. Quemadmodum de Josepho prædicabat David AEgyptios pedem illius afflixisse compede, eúmque ferrum subivisse: quod nusquam a Mose dictum est (si benè memini) disertis verbis. Similiter Jannem & Jambrem nominavit Paulus 2.Tim.3. & Judas Enochi Prophetiam, & si qua sunt ejusmodi. Sed alter responsionis modus arridet mihi vehementiùs: nempe quæ hoc loco exponit Apostolus, ea analogicè sive κατὰ συμπεκλόυθησιν includi narratione Mosis, quamvis expressa non exstent. Nam primùm quum Moses dicit versu 5.pueros Israëlitarum obtulisse holocausta,putâ pro peccato & ad expiationem pertinentia; ea certè, quum jam Moses Legem a Deo accepisset, non alia fuerunt quàm hircorum, quos pro peccato ad justum sacrificium offerri sibi Lege mandavit Deus; ut Levitici 4.& 9.& 16.& alibi passim: postea verò juvenci, in eodem versu, sacrificiis Eucharisticis deputantur. Tria quæ sequuntur aqua,lana coccina & hyssopus,eadem ex analogia intelligenda sunt. Nam illota sacrificia & ab illotis hominibus tum fuisse oblata in hac solenni fœderis & Testamenti divini obsignatione quis credat? cùm in rebus singularibus & minutissimis eadem observari Deus præceperit Lege; & non sit dubium quin Deus in hac publica

publica solennique communicatione cum populo suo, coram universo populo his ordinariis futuris ritibus præire exemplo suo voluerit. Nam aquam ad omnia fuisse imperatam fatentur omnes: lanam coccinam eodem fermè momento ad cultum suum adhiberi jussit, capite 25. hyssopum priùs egressuris ex Ægypto Israëlitis imperatam, ut commodum & odorum περιρραντήριον, & deinceps ad aspersiones indictum & consecratum instrumentum, alii confirmant Scripturæ loci Levitici 14. & Numerorum 19. ad quam ceremoniam velut ordinariam, respiciebat David, quum oraret Psalmo 51. Expiato me hyssopo, ut mundus sim, &c. Hæc igitur omnia, quæ Deus ordinaria in Lege esse voluit, jam antè Mosi proposuerat, & imperari jusserat. Quis ergò dubitet eadem in hoc publico & solenni actu fuisse observata? & per singularem Dei providentiam hoc velut principio sanctificata, coram omni populo, ad futurum tempus? Tertium quod item videtur adjici, est librum federis aspersum esse. Negant igitur multi hoc ex Mose constare posse. Atqui hanc rem sic accipiendam esse evincit ipse narrationis contextus, versu sexto & septimo. Nam librum quidem non dicit Moses διαρρήδην sanguine aspersum esse; sed quum pridie librum illum conscripsisset, posteróque die manè altare exstruxisset; librum habuit altari impositum: neque antè recepit ex altari Moses, quàm dimidio sanguine aspersisset altare illud cui liber erat impositus. Hac aspersione facta versu sexto librum recepisse dicitur, versu septimo, & audiente populo legisse eum, &c. quo facto populum demùm aspersit, reliqua sanguinis parte, in versu octavo. Restat postrema mutatio, quod inquit Apostolus: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos perferri Deus.* Sic enim explico verba illa Apostoli, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός, per Metalepsin Hebræis, & ex Hebræo sermone Græcis frequentissimam. Quam interpretationis viam flagitat constructio. Atqui hæc non adversantur Mosis sententiæ; sed eam potiùs explicant convenientissimè. Nam quod dixit Moses; Jehovam pangere fedus cum Israëlitis secundùm omnia verba illa, quæ ex libro Mosis de scripto legerat; id certè planè ἰσοδυναμεῖ his ipsis vocibus quas ponit Apostolus, hoc fedus ac potiùs testamentum esse, quod mandavit ad ipsos perferri Deus. Nam sive dicamus Jehovam pepigisse cum Israëlitis fedus per Mosem, secundùm omnia verba illius libri ubi Testamentum ejus conscriptum est; sive dicamus Jehovam mandavisse Mosi, ut hoc Testamentum in eo libro comprehensum ad Israëlitas perferret, nullum aliud discrimen est inter hæc duo prædicationis genera, quàm quòd priore loquendi modo Jehova dicitur agere per Mosem; posteriore Moses dicitur agere nomine Jehovæ & secundùm mandatum ejus. Quæ duo eodem planè sensu, prout se revera habent, oportet accipi. Id quidem est difficultatis reliquum, quòd Testamentum hic ab Apostolo nominatur loco Hebræi illius nominis, quod vulgò fedus exponitur, ut antè ostendimus: sed quia proximè cùm de justa nominis illius significatione, tum de hujus argumenti interpretatione, quod satis visum est, protulimus; nolumus molesti esse, & pium Lectorem repetitionibus minimè necessariis fatigare. Nam ex superioribus id omnino constat, sanguinem illum fusum non ad ipsum fedus; sed propriè & singulariter ad testamentum, quod Sacerdos noster expiatis peccatis nostris commisit nobis, pertinere. Atque hæc quidem de jure singulari typis & ceremoniis adumbrato ex præscripto Legis, novúmque illud

Testamentum Domini Jesu Christi Servatoris nostri confirmante. Deinceps verò, putà inde a versu vigesimo primo, regrediens Apostolus ad sermonem institutum versu undecimo & duodecimo, ubi cœperat anagogen vel accommodationem instituere veritatis cum Legis umbraculis, putà Sanctuario & ritibus illius; proponit eos ritus, qui communiter tum ad fedus illud Sacerdotio Christi obsignatum per sanguinem ejus, tum ad Testamentum Sacerdotio illius conjunctum spectant: ac propterea, quemadmodum de persona dixit, iisque rebus, quas Sanctuarium illud mundanum figurabat; ita nunc de ritibus, qui ex Lege in Tabernaculo illo mundano observabantur instituit dicere, & veritatem eorum ostendere ad finem usque capitis: postea verò confirmationem subjicit principio capitis decimi, ad finem usque Tractationis hujus, quem in versu decimo octavo decimi illius capitis esse, superioribus ostendimus. Hac igitur de causa, per Epanalepsim quamdam, ritus in Tabernaculo servatos describit, duobus versibus; anagogen verò, declarationémque veritatis illorum reliquo capite. Rituum duo ponuntur genera: unum ἁγιασμῦ, sive consecrationis, versu 21. alterum καθαρισμῦ, id est, purificationis in remissione peccatorum, versu vigesimo secundo. Consecratio simplex, earum rerum propria est, quas Deus dederat; ut rerum suarum promissionum, actionum, benedictionúmque essent umbracula. Nam in his propriè neque impuritatem, neque peccatum fuisse dicendum est: sed tantùm hæc propter Ecclesiam illam opus habuisse, ut consecratione Deus testatam faceret institutionem suam ad usum illorum in populo ipsius legitimum. Hujus generis sunt, Tabernaculum, & omnia vasa, id est, instrumenta ministerii: quæ sanguine aspersa fuisse testatur Moses Levitici 8. & 9. & 16. καθαρισμὸς verò sive purificatio & expiatio cum remissione peccatorum juncta, ad eas res propriè respicit, quæ ab homine adferuntur: ut qui a natura impurus est, & purificatione, peccatorúmque suorum remissione opus habet; quam nobis Christus effuso sanguine suo comparavit. Quapropter tum de rebus quas homines Deo exhibuerunt, tum de personis prædicatur illud: *omnia ferè secundùm Legem sanguine purificata esse*, eò quòd utrumque, res & personæ, impurum fuisset futurum, & ineptum indignúmque quod exhiberetur Domino, nisi puritatem sanguine Christi adeptum esset. De personis verò sive hominibus, qui ipsi rei sunt peccati, & res ceteras peccato suo impuraverunt, dicit Apostolus, *absque sanguinis effusione remissionem non esse factam.* Sic omnia quidem purificatione, ut apta essent; homines verò tum remissione peccatorum, ut non inepti essent; tum purificatione, ut apti essent, opus habuerunt. Hinc transiens ad anagogen rituum Apostolus, ad quam aditum sibi paravit hac summa rituum propositione; per antithesin exponit rituum illorum veritatem, reliquo capite. Hujus autem ἀντιθέσεως membra sunt quatuor. Nam primùm fit antithesis rerum sive oblationum, quæ ad purificationem purgationémque pertinuerunt, versu 23. Secundò sacrarii, quò res importatæ sunt ad purificationem spectantes, versu 24. Tertiò actionum, quæ ad perficiendam illam purificationem fuerunt opus, versu 25. & 26. Postremò usus ex illis ritibus consequentis & porrò consequuturi, duobus ultimis. Rerum antithesis evidentissimè ab authore nostro instituitur, quum figurativas (sic enim Scholarum more liceat ὑποδείγματα exponere) figuratis opponit duobus modis. Nam in utroque genere res aliæ sunt

purificantes,

purificantes,aliæ purificatæ. Sed figurativę in terris exsistentes exemplaria fuerunt a Deo instituta,eorum quæ sunt in cœlis. Figuratæ verò nominantur αὐτὰ τὰ ἐπουράνια,id est,res ipsæ cœlestes,vel potiùs quę supra cœlos sunt. Ex his cæ res quæ figurativæ sunt, ritibus illis typicis ac figurantibus purgatæ fuisse dicuntur; nempe ad carnis puritatem secundùm Legem, ut suprà versu 13. dictum est: Res verò cœlestes, melioribus vel potioribus victimis quàm illæ fuerint, nempe sanguine Christi (ut versu 14. loquutus est) qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, ut purgaret conscientias nostras. Quæ victima etsi unica est reipsa, respectu tamen applicationis & efficientiæ, non modò instar est illarum omnium, verumetiam modis omnibus exsuperat; cum illis res terrestres singulæ secundùm carnem, ad tempus,mutabilitérque purificarentur: hoc verò sanguine res cælestes, omnes & singulæ secundùm spiritum, in perpetuum, & immutabiliter purificatæ sint,atque consecratæ recipiendis Electis, & corpori Christi in domicilium illud æternum adoptando. Quamobrem etiam unicam illam oblationem Christi comparatè author plurali numero appellavit, respectu applicationis illius & efficientiæ ad multos pertingentis. Sic enim solitus est Deus in typis res plures, in sermone numerum pluralem ad rem unam designandam sumere,cujus applicatio effectióque ad plura objecta pertinet, pro ratione illarum: ut Dei providentiam, multis oculis Ezechiel; Christum,Lex typis innumeris;Christi gratiam, Zacharias duobus tubulis oleum effundentibus; Christi sapientiam,Apocalypsis septem oculis;virtutem,septem cornibus;Spiritum sanctum, septem spiritibus qui ante thronum Dei dicuntur esse, denotavit: putâ pro ratione visorum objectorúmve, ad quæ accommodatio sive applicatio,& efficientia ipsorum scribitur pervenisse. Secundum locum antitheseωs, de sacrario terreno ac cœlesti gravissimè pronunciat Apostolus,his verbis,*Non enim ingressus est Christus in sacrarium manufactum*, &c. Nam etsi plana est & perspicua illa antithesis sacrarii mundani sive terrestris, & illius cœlestis, in cujus spe vivimus: optimè tamen ad rei declarationem amplificationémque duobus argumentis hæc antithesis illustratur,nempe a natura utriusque sacrarii,& ab usu illius.Natura,quia illud sacrarium fuit manufactum;hoc autem minimè,in quod Christus Jesus Pontifex noster ingressus est: id enim cœlum est, ut interpretatur Apostolus. Usu verò, quia illud nihil aliud fuit, nisi typus veri illius sacrarii. Hoc verò sacrarium non est ἀντίτυπον, id est, æquè typicum veri sacrarii atque fuit illud, sed ipsum verum sacrarium est ἀληθινόν: prout a fine confirmatur his verbis, ut nunc compareat in conspectu Dei pro nobis, nempe in vero illo sacrario (ubi Deus est reipsa,ac non figurà; veritate,non typo scilicet)non autem veri typo,aut alterius typici antitypo.Sic enim tum in hoc loco,tum etiam alibi & ex vocis Etymologia, rei veritate, & Nazianzeni exemplo interpretamur vocem ἀντίτυπα. Tertia ἀντίθεσις in actione & administratione Pontificis nostri posita versu 25.& sequente, duo præcipuè membra complectitur; nempe actum ipsum, & actus ipsius operationem, sive energiam. In actus declaratione opponuntur ista: quòd olim Pontifex sæpè obtulit,nimirum quotannis; nunc verò in consummatione & plenitudine temporum semel offert Christus: deinde,quòd ille cum sanguine alieno,hic verò cum immolatione suiipsius patefactus est,& declaratus reipsa verus noster æternúsque Pontifex. Illius verò divini actus energia

& operatio similiter circumscribitur duobus modis: primùm, quòd est ad abolendum peccatum; putâ & sufficiens per se, & in omnibus quos ipsi dedit Pater efficientissima: tum etiam quòd est perpetua & in æternum permanens, quemadmodum ex facto & officio Christi argumentatur Apostolus hac interjecta in suum sermonem clausula, *alioquin oportuisset eum sæpè fuisse passum a conditu mundi*. Hæc enim est sententia Apostoli: Cujus efficientis causæ perpetuus est & immutabilis effectus, ejus actum repeti nihil necesse est. Est autem perpetuus & immutabilis effectus perpessionum Christi: Has igitur repeti, ut sacrificia illorum Pontificum qui fuerunt sub Lege, nihil necesse est: alioqui si perpetuus non fuisset effectus ejus, oportuisset illum sæpè inde a conditu mundi pati, & deinceps quoque perpessionibus iisdem infestari. Hoc autem neque factum est, neque porrò futurum est; quia quod semel præstitit, idipsum præstitit ἐφάπαξ; ut etiam ἐφάπαξ, id est, semel & in sempiternum permanent effectus perpessionum ejus. Restat ultima antithesis de usu ex legitimis illis ritibus consequuturo, & ex complemento perpessionum Christi. Qua in parte non opponitur singularis aliqua Pontificum Sacerdotúmve conditio, salutari illi conditioni quam habet Christus; sed communis omnium eventus a natura, cum usu & eventu gratiæ in Christo ad omnes pios perventuræ, comparatur elegantissimè. Etenim conditio naturalis omnium duabus rebus definitur, versu 27. mortis omnibus semel eventuræ hic, & judicii ex morte illic consequuturi. Huic verò miseræ conditioni omnium, si Deus ad nos, prout in nobis sumus, respiceret; ex adverso opponitur illa conditio Christi, quam per se in seipso habet, & quæ per ipsum in nobis futura est beneficio illius. Nam loco mortis illius naturalis nostræ nobis proponitur mors illa Christi; qui semel obtulit seipsum morte, ut mortificaret deleretque peccata multorum, nempe electorum, & quoscumque ipsi tradidit Pater ex beneplacito voluntatis suæ: judicio verò illi horrendo & refugiendo hominibus, si extra Christum essent, opponitur secundus adventus ipsius, quum sine peccato exsistens, vel (ut antè dixit Apostolus 7.26.) segregatus a peccatoribus, conspicietur fidelibus iis qui ipsum exspectant & gloriosum adventum ejus: sine peccato autem, non solùm in persona sua, quæ nescit peccatum, verumetiam in corpore suo & membris ipsius: quæ licet antè peccatum sciverint; tamen eo tempore liberata a servitute & labe peccati, justitia capitis sui circumvestientur; ut hanc remissionem peccatorum, justitiámq; æternam in capite suo adepti, salute æterna perfruantur.

CAPUT DECIMUM.

1 Lex enim umbram obtinens eorum bonorum quæ futura erant, ac non imaginem ipsam rerum, iisdem hostiis anniversariis, quas *Sacerdotes* offerunt, nunquam in perpetuum sanctificare accedentes potest;

2 (Alioqui nónne illæ offerri desivissent, propterea quòd cultores illi, postquàm semel purgati essent, nulla ampliùs conscientia peccatorum afficerentur?)

3 Sed in eis fuit quotannis peccatorum recordatio:

4 Non enim potest taurorum hircorúmque sanguis auferre peccata.

5 Quapropter

5 Quapropter ingrediens in mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.

Psal. 40.
7 *Sacrificio,inquis,& munere non es delectatus,aures perfodisti mihi.*
Holocaustum & oblationem pro peccato non postulavisti.
8 *Tum dixi: Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me:*
9 *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector.*

6 Holocautomata & hostias pro peccato non approbavisti.
7 Tunc dixi: Ecce adsum,in volumine libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

8 Quum superiùs dixit, sacrificium & oblationem, & holocautomata,& hostias pro peccato noluisti,neque approbavisti, quæ quidem offeruntur secundùm Legem;
9 Tunc dixit,Ecce venio,ut faciam,ô Deus,voluntatem tuam, tollit prius,ut statuat posterius:
10 Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.
11 Ac omnis quidem sacerdos adstat quotidie ministrans, easdem sæpius offerens hostias, quæ quidem numquam possunt auferre peccata.
12 Hic verò postquam unam pro peccatis hostiam obtulit,in perpetuum consedit ad dexteram Dei,
13 Id quod superest expectans, donec inimici ipsius disponantur in scabellum pedum ipsius.
14 Una enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.
15 Testificatur autem nobis ipse quoque Spiritus sanctus. Nam postquàm prius dixisset,

Jerem.31.
33 *Hoc illud est Testamentum, quod disponam domui Israëlis post dies illos,dictum Jehovæ, Indam legem meam cordi illorum,& animo illorum inscribam eam.*
34 *Me condonare iniquitatem ipsorum,& peccati ipsorum non esse recordaturum amplius.*

16 Hoc est Testamentum quod disponam eis post dies illos; dixit Dominus, Indens leges meas cordibus illorum,& mentibus illorum inscribam eas:
17 Et peccata illorum, atque iniquitates illorum non recordabor ampliùs.

18 Ubi verò est horum remissio, non ampliùs est oblatio pro peccato.

POstquàm summum illud mysterium redemtionis nostræ comparatæ sacerdotio Christi,& hereditatis æternæ legatæ testamento ejus, ut legales typi & ceremoniæ præfiguraverant, exposuit Apostolus proximè præcedente capite, & certis antitheseos membris singula beneficii illius membra commodè illustravit:nunc demum eorum omnium confirmationem subnectit his versibus,quos propterea visum est conjungere in superiore diagrammate. Cúmque illius antitheseos animadverteret membra quædam extra controversiam esse; ut sunt

 (verbi

(verbi gratia) secundum, de sacrario typico & vero, cujus probationem suprà 8.5. attulerat; itémque ultimum de usu illorum beneficiorum, quæ nobis a Christo parta sunt: propterea duo solùm reliqua antitheseos membra suscipit confirmanda; præsertim cum iis probatis atque confirmatis cetera ultrò & per se consequantur. Hoc igitur argumentum est, quod Apostolus probandum suscipit, & quidem (ut antè fecit) antithetως: Neque oblationes legales totúmque ministerium, neque Sacerdotē Lege institutum, ea prestare & perficere potuisse quæ ostendebantur; sed contrà in Christo nobis & perfectum sacrificium, & sacerdotem perfectum fuisse exhibitum, ad complementum eorum omnium, quę typis & ceremoniis legalibus fuerant præfigurata. Ac de oblationibus quidem, cōfirmationem affert Apostolus decem primis versibus: de Sacerdote verò & administratione ejus, versibus reliquis. Prius membrum, de oblationibus, eadem antithesi quæ antè posita est, confirmatur. Nam primùm legales illas oblationes non fuisse ejusmodi, ut illud quod ostendebant præstiterint, demonstratur versibus 4. deinde verò, oblationem Christi eam esse in qua Deus acquieverit, & per quam satisfactum sit judicio ac legi ipsius, versu quinto, & sequentibus. Prioris membri summam propositionem tertio antè versu fecerat author παρενθέτως, quum diceret: *Alioquin oportuisset Christum sæpè passum esse a conditu mundi*: sed quia institutam suam antithesin non planè absolverat; cujus tamen præstabat continuari interpretationem, & huc confirmationem rejici: jam rediens ad illum confirmationis locum, ostendit τὸ ἀδύνατον typorum & ceremoniarum Legis, argumentatione primùm, deinde authoritate Scripturæ. Argumentatio hæc est, ut nos ad commoditatem docendi per ὑστέρησιν contexemus, *Qua oblatione sacrificantes ita purgantur semel, ut nullorum peccatorum conscientia amplius teneri possint, ea non est repetenda*, versu secundo. *Lex autem oblationem suam singulis annis eamdem offerri jubet*: Ergo legalis illa oblatio accedentes & sacrificantes purgare & sanctificare in eum modum non potest, versu primo. Hoc verò dictum quod in assumtione est, ne quis contumeliosum in legem Dei esse putaverit, prudentissimè Spiritus sanctus προθεραπείαν quandam statim principio adhibet a natura Legis in his verbis: *Umbram obtinens eorum bonorum quæ futura erant, ac non imaginem ipsam rerum*: tamquam si diceret: Non est cur mirum cuiquam videatur, quòd Legis oblationibus ea quę ostendunt minimè perfici contendimus. Nam quod de parte dicimus, idem quoque de toto affirmamus: nempe ne Legem quidem id posse, quod de parte negamus ipsius. Quòd si non potest tota, multò minùs pars ejus hac potestate prædita futura est. Obscurum illud est, quòd Lex hoc loco dicitur *non habere imaginem rerum*, & ab interpretibus variè exponitur. Nam imaginem alii ex antithesi σκιᾶς, id est, umbræ, putant esse expressam quamdam ad vivum, (ut loquuntur) formam rei aut corporis alterius, cujus est imago; ut contrà nomine σκιᾶς intelligi volunt adumbratam formam; id est, crassam, rudem, & incompositam, quales sunt μονόγραμμοι ac vix satis dedolatæ statuæ, quæ potiùs umbra statuarum, quàm statuæ debeant appellari. Alii ex eadem antithesi umbram cum corpore ipsius comparantes, statuunt imaginem hoc loco ὑποστάσεως accipi oportere, pro ipsa veritate, corpore, essentiáque rerum quæ adumbrabantur Lege. Priorem interpretationem, sive ad Euangelium, sive ad aliud quidvis referas, probare non possum;

possim; præsertim cùm in sequente loco ex authoritate, omnibus his legalibus umbris, opponatur corpus, quod Christo aptavit Deus, & perfecta voluntas Dei in illo corpore. Posteriorem igitur accipio: sed hæc ut commodiùs intelligatur, primùm de voce imaginis; secundò de eo, quod hac imagine significatum voluit Apostolus, paucis dicturi sumus. Imaginem ergò, tamquam relativum nomen duobus modis accipi inter omnes constat. Nam quemadmodum relativa pleraque materiale suum (ut vocant) fundamentum putâ & terminum, communi appellatione donare solent; ita fit imagine. Terminus in hunc modum, & terminans, & terminatus appellatur; limes, limitans, & limitatus; numerus, numerans, & numeratus; forma, formans (quam essentialem vocant) & formata ad essentialis modum. Similiter imago dupliciter accipitur. Nam aut est id ad quod sive ad cujus exemplum aliud fit, vel est; aut est id quod fit, vel est ad aliud, sive ad exemplum & similitudinem illius. Ac posteriore quidem significatione in vulgo plurimùm accipitur: quemadmodum & formam vulgus potiùs pro specie externa & similitudine accipit, quàm pro essentiali parte rei, quæ pars constituat rem: sed ex contrario sapientes viri propriè loquentes, quum formam nominant, partem illam essentialem rei intelligunt, quam modò dicebamus. Sic etiam imaginem pii & prudentes, pro ratione locorum argumentorúmque, hoc aut illo modo solent accipere, propriè, aut populariter. Etsi nonnumquam usu venit, ut pro ratione rei quæ agitur, utrumque propriè enuncietur: ut si Patrem aliquem imaginem filiorum suorum appellaveris, & filios vicissim Patris. Hæc autem duo imaginum genera si quando inter se comparantur; imago essentialis habetur pro corpore substantiáque rei: altera verò quæ ad eam respicit, sive natura sive institutione, pro umbra corporis illius ducitur. Nunc videamus, quid sibi author imaginis voce hoc loco voluerit. Hanc ergò imaginem posteriore significatione accipi non posse, nimirum pro eo quod fuit factum, vel est, ad aliud, & ad exemplum similitudinémque illius, ipsa demonstrat antithesis umbræ, quæ hoc in loco usurpatur. Nam cum evincat antithesis imaginem comparatè hoc loco appellari; omnino hîc accipienda est pro ratione illius rei, cum qua comparatur, & ad quam respicit. Si enim cum corpore aut re comparatur, cujus referat similitudinem; est quædam velut umbra illius: sicut naturaliter umbra est, rudis imago corporis illius quod sua umbra sequitur. Sin autem respicit ad id quo corpus aut res ipsa adumbratur figuratúrque; hæc imago essentialis est. Hic autem respicit ad umbram suam, & comparatè hoc sensu dicitur; ut ipsa authoris clamat antithesis. Hæc ergò imago essentialis est. Nunc quænam sit hæc imago videamus. Circumscriptio hujus imaginis non aliunde quàm ex ipso Apostoli sermone petenda est; cùm imaginem vocat rerum: eásque res adhuc evidentiùs determinat oppositione alterius membri, dum has ipsas res in Testamento vetere dicit fuisse ea bona quæ erant futura, quum plenitudo temporum advenisset. Hæc igitur imago, ut determinationem sequamur Apostoli, nihil sibi vult aliud, quàm veritatem & substantiam ipsam rerum bonorúmque omnium, quæ olim futura præsignificabantur; nunc verò reipsa exhibentur in hac temporum plenitudine: quo respectu πράγματα, tamquam res ipsæ & actiones gestæ confectæque opponuntur futurorum bonorum appellationi. Ex hac determinatione, qui statuunt imaginem essentialem

essentialem istarum rerum Jesum Christum esse, aliquid adferunt: sed tamen non satis ad hujus argumenti intelligentiam. Nam est quidem Christus corpus & veritas ipsa, in quo omnia dona, administrationes, actiones, operationésque, & perpessiones ad redemturam nostram pertinentes, fundamentum & complementum habent: sed de his omnibus conjunctè hoc loco agitur; nempe tum de persona, tum de actionibus & bonis omnibus, adeóq; plenitudine illa, quam in Christo consequimur secundùm personam, officium, & beneficium illius: prout intelligi hoc membrum oportere demonstrat consilium Apostoli, ea antitheseωs membra, quæ in priore capite confirmatione opus habuerant, declarantis. Sed ut ad institutum sermonem revertamur, ex antecedente argumentatione nascitura erat objectio, Si legales hostiæ minimè sanctificant, Igitur esse inutiles: propterea artificiosè hanc objectionem occupat Apostolus in versu 3. & ostendit non valere eam consequutionem: nam tum demum validam fore, si illud vincatur omnes hostias sanctificationem conferre iis qui ipsas offerunt: sed hostiarum alias esse ἱλαστικὰς καὶ τελειωτικὰς sive καθαρτικὰς, id est, sanctificantes, consecrantes, vel purificantes; alias verò typicas καὶ μνημονικὰς, id est, figurativas & ad recordationem memoriámque pertinentes: Sacrificium Christi esse expiatorium (ut postea dicetur) legalia omnia ad recordationem mentionémque pertinere eorum quę adumbrata fuerunt ipsis: Atque hoc demonstrari duobus argumentis: primùm a repetitione ipsorum ex instituto Legis: Nam in istis coli mentionem peccatorum quotannis, versu 3. Deinde verò a natura ipsarum rerum quæ offerebantur: Non enim posse sanguinem taurorum & hircorum auferre peccata, versu 4. quemadmodum suprà versu 13. proximi capitis perspicuè ostenderat. Sequitur jam alter locus confirmationis ab authoritate: in quo primùm probat Apostolus id quod modò dictum est, legales oblationes non præstare sanctificationem: deinde ex contrario prę-stationem, & complementum illius in Christo nobis exhiberi: quem ad sermonem transit Apostolus posita rationali particula, *Quapropter*, ut ostenderet hac ipsa Legis infirmitate in nobis Christum adductum esse, ut veniret in mundum, séque Deo & Patri sisteret interventorem pro nobis: quemadmodum Apostolus his verbis ostendit, dicens, *Veniens Christus in hunc mundum dicit*, &c. Antequàm verò de hujus loci sententia dicimus; videndum est quàm verè hic tribuantur Christo ea, quę David de seipso videtur prædicare. Nam etsi hoc loco expressum non exstat Christi nomen: omnino tamen id sibi vult illa circumlocutio, *Veniens in mundum*, & Christum apertè denotat: quemadmodum etiam capite primo, eodem respectu Deus suum primogenitum in orbem terrarum dicitur introducere versu 6. Ac primùm quidem omnia hæc verba, quæ in hac causa hoc loco adducuntur, non obscurè ostendunt hæc ad Davidem minimè pertinere. Nam quòd sacrificia & cetera Deo probari negat, aut ab ipso peti, quòd se constitutum esse affirmat ad faciendum voluntatem Dei, quòd seipsum sistit ex decreto ad faciendum ea quæ vult & probat Deus, improbatis rejectísque sacrificiis: Hæc certè omnia David de seipso numquam prædicaverit; sed potiùs de eo homine in mundum venturo cujus tum diem vidit in Spiritu & gavisus est, ut Christus de Abrahamo loquitur. Necesse igitur est, ut ea verba apud Davidem, postulante argumento, & interpretante in hanc sententiam Apostolo, statuamus ad Christum respexisse.

Quomodo

Quomodo autem eo in Psalmo ad Christum accommodari oporteat, nondum propterea constat. Nam alii verba illa de Davide propriè acceperunt, tamquam si in hoc loco detorquerentur a consilio ipsius, aut certè Christo accommodarentur per minoris comparationem: Alii de Davide propriè, typicè verò de Christo interpretantur: alii contra typicè de Davide (ut qui typus fuit Christi in regnò Judæ) & de Christo propriè, servata relatione ad typum: alii denique de Christo purè simpliciterque, citra relationem aut cõtemplationem Davidis exponi volunt. Hęc singula expendamus paucis. Psalmum totum Davidis esse, & a Davide propriè fuisse de rebus ipsius prædicatum fatentur omnes: sed non sequitur, ex eo quòd totus Psalmus Davidis est, totum Psalmi (ut Scholasticorum modo loquamur) de Davide esse. Nam agens David de rebus suis, etiam argumenta foris non rarò interponit: in primis autem, quæ de gratia, de fœdere Dei, de officiis, beneficiis, & promissionibus Christi, in quibus David adquiescebat fide, prædicantur. Deinde non possunt ista propriè de Davide enunciari, quòd Deum sacrificio & munere delectari neget, quòd aurem sibi a Deo perfossam asserat, quòd seipsum sistat confidenter Domino, quòd ad se Legem respexisse tamquam ad finem suum glorietur, quòd se facturum spondeat voluntatem Dei, & perfecturum ea omnia quæ sacrificiis legalibus non poterant expleri propter infirmitatem ipsorum, & si quæ sunt ejusmodi. Postremò vel ex precedentis versus argumento evidentissimè constat, non posse hos versus de Davide, aut ullo fideli commodè intelligi. Nam eo in versu pii abrepti admiratione operum & consiliorum amplissimorum Dei erga ipsos, exclamaverunt infinitam esse cum providentiam, tum beneficentiam ipsius, quam nemo homo explanare possit; sed ille demum solus dicere possit, qui potest facere. Huic autem argumento planè adversarentur hi versus, si nunc demum aut pii omnes, aut ipse David, aut alius quisquam confirmaret gloriaretúrque se infinitæ illi administrationi Dei velle perfectè satisfacere, & posse, & reipsa prętiturum esse. Concludimus igitur hæc verba propriè de Davide accipi simplicitérque non posse. Quòd si propriè & simpliciter ad eum minimè pertinent, cõficitur multò minùs ita propriè ad Davidem pertinuisse, ut Christo typicè accommodentur; cùm in Davide typus magis dicendus sit & veritas in Christo, quàm ex contrario typus in Christo, & in illo veritas statuenda. Sin autem alii (quorum tertia sententia est) propterea hæc a Davide typicè de se ipso, & secundum veritatem de Christo putent prædicari: ne hoc quidem commodè obtineri potest, tum propter eas res quas ante diximus, tùm etiam propterea quòd non suo solùm ipsius nomine, sed piorum omnium canticum illud novum (ut appellatur in versu 4.) fuit decantatum: quemadmodum confirmant illa verba versu 6. *Tu multa præstas, Jehova Deus mi, mirabilia tua & cogitationes tuas erga nos*, &c. Restat igitur his omnibus expensis, ut concludamus hæc verba propriè simplicitérque de persona Christi, sive illius verbis a Davide conscripta esse. Quod ut omnes videant; necesse est paucis & statum Psalmi, & partes illius, & hujus maximè partis ordinem ostendamus. Psalmus est εὐκτικὸς vel petitorius salutis: quam ad petitionem muniendam Psaltes primùm argumenta fidei adducit, quibus ad Deum orandum confirmetur ad versum usque duodecimum, deinde exponit petitionem suam ad finem usque illius. Argumenta fidei pios in oratione confirmantia exponuntur

tur tria: primum est, a beneficiis acceptis: secundùm, a causa & fundamento beneficiorum, putâ a fœdere Dei in Christo Mediatore nostro: tertium, a fructibus inde consequentibus & testatam facientibus æternam illam Dei gratiam in Christo. Horum argumentorum exposito primo a sua ipsius experientia, David ostendit illud oportunissimum esse piis argumentum, ut canant Canticum novum, versu quarto, cujus cantici forma sequentibus exponitur. Illius autem Cantici summa propositio continetur versu quinto: Deinde verò ἐργασία illius subjicitur secundùm eumdem argumentorum ordinem, quem antè ostendimus. Primùm enim generatim omnia Dei beneficia accepta & oblata proponuntur in versu 6. his verbis: *Tu plurima sive amplissima, præstas, ô Jehova Deus mi, mirabilia tua & cogitationes tuas erga nos; quibus recensendis nemo par est tibi; si indicabo & eloquar*, id est, eloqui instituero, *numerosiora sunt quàm ut a nobis enarrari possint*, tamquã si dicerent pii; Tanta est amplitudo & innumerabilitas tuorũ erga nos beneficiorum, ô Deus, & gratiæ illius quam in Christo explicatam nobis voluisti, ut prædicari a nobis non possit, ut par est; sed ab eo uno, quem tu Prophetam nobis (ut qui sermo tuus æternus est) tradidisti, & quem propterea enarrantem audiri a nobis necesse est. Quemadmodum etiam Psalmo 2. dicit, *Narrabo ad decretum Jehovæ*, id est, Prophetæ partes in Ecclesia exsequar. Hoc igitur posito, pii fundamentum & causam beneficiorum Dei non instituunt enunciare ipsi: nam hoc a se fieri non posse modò confessi sunt; sed Christum ipsum, in quo omnes promissiones & benedictiones Dei sunt etiam & Amen, attentè audiunt narrantem ea quæ in hunc locum Apostolus commodissiè importavit, ut complementum rerum legalium, & veram loci illius interpretationem aperiret. Sunt igitur revera illa verba Christi, tamquam ingredientis mundum, ut hîc ab authore nominatur: Quibus verbis ille instituit narrare mysterium illud omnibus seculis absconditum, quod oculus hominis non viderat, auris non audiverat, nec cuiquam in mentem venerat, nisi ille ipse narravisset, cujus persona a Davide loquens in eo Psalmo introducitur. Hujus autem enarrationis mirabilium operum consiliorùmque Dei, quam Christus hoc loco instituit, & pii prædicant verbis illius, partes eædem constituendæ sunt, quas antè diximus in principium hujus capitis: Nam primùm τὸ ἀδύνατον legis, deinde verò Christi χάρισμα vel Dei Patris in Christo exponitur; idque duobus gradibus antithetis: Nam res rebus, & actiones actionibus opponuntur. Rerum inter se oppositio hæc est: sacrificium & oblationem Deum noluisse, sed tantùm voluisse & acceptum habuisse servum suum, cui aptavit corpus, ut convenientes actiones voluntati Dei in eo perficeret. Actionum oppositio fit cõsimiliter, quum holocausta quidem & hostias pro peccato fuisse oblatas ostendit Christus; sed inani & irrito effectu: ac propterea Christum videntem ut legis impotentia nihil potest in carne, seipsum in suo illo corpore, quod per Spiritum ipsi aptavit Pater, simile carni peccati, stitisse coram Deo & Patre, ut (quod Lege fuerat prædictum & significatum) in eodem suo corpore faceret voluntatem Dei, id est; suum illud corpus vel carnem exhiberet, in qua condemnaretur peccatum nostrum, & nos in perpetuum sanctificaremur unica oblatione illius. Ac horum quidem omnium sententia, si in hunc modum acceperis, aperta futura est: nec dubito quin eò David respexerit, quum Ecclesiam introduceret

introduceret profitentem quantopere impar esset prædicandis Dei beneficiis: & Christum, tamquam venientem in mundum & defungentem Prophetæ partibus, exhiberet. Quædam tamen hîc a verbis Prophetæ diversa sunt; ex quorum comparatione imperitiores facilè laberentur, & impii ludificarentur authoritatem scripturæ, nisi perspicua fieret Prophetæ simul & Apostoli consensio in hoc argumento, quamvis differentibus verbis. Prima mutatio est hæc; quòd pro illis Prophetæ verbis, *Aures perfodisti mihi*, substituit Apostolus; *Corpus aptasti mihi*. In hac verò mutatione, si quis ad rem penitiùs animum adverterit, comperiet hoc loco minimè ea tolli quæ a Davide iis verbis expressa sunt; sed potiùs ea solùm de sententia verborum illorum decerpta esse, quæ ad illustrandum hoc argumentum maximè visa sunt pertinere. Triplex igitur est conciliationis modus. Primus & quidem vulgò receptus, est hanc interpretationem a Septuaginta illis profectam esse, quorum verba Apostolus hoc loco expresserit, ac non laboraverit de sententia Hebræarum vocum accuratiùs declaranda. Sed hanc defensionis viam ego quidem non possum insistere; illud pro certo habens, si omnino aliena esset interpretatio, non fuisse hunc authorem nostrum eam in argumento tam gravi sequuturum; & multò minùs propterea sequuturum, quòd non cum Græcis aut aliis exteris, sed cum Hebræis instituisset agere; apud quos inanis fuisset futura Græcæ illius interpretationis a Septuaginta prolatio. Secundus conciliationis modus est, duo quidem membra in eo Psalmo a Davide prædicari: Nam & subjectum de quo agitur ab eo exponi, & prædicatum sive attributum illius, iisdem verbis: subjectū esse personam Christi, qui (ut λόγος vel sermo æternus Patris) corpus vel carnem sibi assumserit in unitatem personæ, ut in ea impleret Legem, & nos a maledictione illius redimeret: Prædicatum esse, quòd illa persona ex natura divina & humana constans, vocationem a Deo habuerit, séque in ea vocatione Deo & Patri ultrò stiterit, ad perficiendum in æternum voluntatem ipsius: ac proptereà tum Pater probaverit acceptúmque habuerit officium ministeriúmque ipsius; ut olim servorum constantium ultrò in ministerio suo, auris pertundebatur fibula subuláve, ad obsignationem constantis illius & voluntarii obsequii in perpetuum: Sed ex his duobus membris hunc authorem nostrum prius tantùm hoc loco adhibere, id est, agere de constitutione subjecti solùm, omissa altera parte, quæ apud Davidem de ipso prædicatur, duabus de causis: tùm quia membrum illud prius ad hunc locum & argumentum propriè pertinet, alterum non item: quandoquidem hic præcipuè agitur antithesis rerum quæ offerebantur in lege; & sacrificii quod Christus obtulit in hac temporum plenitudine: tum quia posterius membrum jam antè fuit expositum & comprehensum partim in descriptione personæ illius cap. 2. partímque in Prophetici muneris, quod obivit Christus, declaratione, cap. 3. & 4. Non igitur Apostolum injuriam facere Davidis verbis qui authoritatem illius adducat; sed potiùs evidentiæ hoc modo consulere citra illius injuriam; quum ea assumit quæ ad præsentem quæstionem pertinebant; cetera verò non negat aut tollit ex facto, sed suo loco relinquit integra. Et profectò certum est, si quis ex uno authore scriptóve aliquo, subjecti probationem sumserit sine prædicato, aut contrà; aut etiam ex alterutro partem adhibuerit, ad consilii sui demonstrationem ex veritate faciendam; non propterea authorem quemquam

quam mutilari cum injuria, sed eò lectorem juvari potiùs, quando ea dissimulantur reticenturque sapienter, quæ ad institutum sermonem non planè faciunt, quæque adjecta non præberent lucem, sed ei potiùs officerent, cum maximo legentium vel audientium damno. Atque hæc quidem interpretatio mihi satisfacit, bonisque omnibus & minimè φιλονείκοις facilè (spero) satisfactura est. Nam quum Christus diceret; *aures perfodisti mihi*, hæc singula (ut ita dicamus) supponebat: primùm aures sibi esse, ac proinde corpus humanum, synecdochicè: secundò, se in eo corpore factum ex muliere, factum esse sub Lege, & servum esse Dei Patris: tertiò, se verum esse illum & germanum servum, qui ministerium suum ultrò utilitérque Deo & Patri offerre posset: postremò autem ex his suppositis concludit se, hominem servúmque Dei, & quidem voluntariè sese perpetuo ministerio illius addicentem, a Deo probatum & acceptum esse, ut æterno ministerio suo apud ipsum perfungeretur ad salutem nostram. Verumtamen si cui hæc interpretatio nondum satis videtur esse: veniamus ad tertium conciliationis modum, qui haud scio an etiam nonnullis de LXX. illorum sententia secundo illi anteponi possit: docti & pii videtint. Tertius igitur modus est, priscam illam LXX. interpretationem optimè & planè Hebræis verbis respondere. Nam Hebræorum verborum justum hoc interpretamentum esse, *aures paravisti sive aptavisti mihi*: Quæ verba prisci illi Interpretes adeò propriè interpretati sunt, ut tantùm mutata synecdoche pro aurium nomine nomen corporis substituerint, sensu evidentissimo: sed aures a Propheta potiùs quàm corpus totum fuisse dictas, quia voluit Spiritus sanctus eadem opera, ab instrumento auditus ad docilitatem & obsequium servile ac ministratorium necessarii, officium Christi quod apud Deum & Patrem indesinenter præstat, conjungere. Quòd si quis illius verbi, quod perfodere vel perforare exponitur vulgò, hanc neget esse significationem, aptare, comparare, & similia; is se imperitum Hebrææ linguæ demonstraturus est. Atque hic quidem est triplex conciliationis modus; quorum primus mihi probari non potest, ut dixi; duo verò per me in medio relinquuntur; secundum certè judico simplicissimum, & cum Prophetæ verbis tùm authoris hujus consilio convenientissimum. Alteram mutationem inesse his verbis nonnulli putant: ἐν κεφαλίδι βιβλίου, &c. eò quòd κεφαλίδα judicent in significatione primitivi nominis κεφαλὴ retinendum esse; ac proinde non satis commodè Hebrææ vocis notationi respondere: sed mihi non aliter exponenda videtur κεφαλὶς, atque illa ipsa Hebræa vox apud Davidem usurpatur. Est enim κεφαλὶς volumen dictum Metaphoricè, a specie, eò quòd convolutum & complicatum libri corpus (ut libri quidem fuerunt veteres) quasi opus capitatum est. Restat igitur mutatio tertia, nempe quòd Apostolus intactum relinquit illud verbum in fine positum diagrammatis nostri; *delector*. Sed cùm hoc sine ulla injuria aut deminutione sensus factum sit ab Apostolo; non video quid causæ sit, cur id ab ullo homine urgeatur; Quandoquidem in producendis alienis testimoniis id semper cuivis licuerit testimonia aut integra, aut dimidiata, aut alio quocumque modo, vel indicata solùm adducere; præsertim cùm res aut commodè intelligitur sine plurium verborum adjectione, ut hoc loco; aut etiam adjecta verba tenebras magis obfusura essent, quàm lucem allatura. His positis, venit Apostolus ad authoritatis illius, quam adduxit, expositionem

tribus

tribus versibus: cujus expositionis partes duæ sunt; una substantiam (ut ita dicamus) argumenti; altera, effectum ex eo consequentem explicans. Substantiam totius argumenti, repetitione antitheseως, & summa conclusione illius, Apostolus complectitur, versu 8. & 9. Repetitionem antitheseως hæc verba continent: *Cùm superius dixisset* Christus, *sacrificium & oblationem, item holocausta & hostias pro peccato noluisti, neq; approbasti*; hoc est (ut idem interpretatus est) non acquievisti omnibus iis rebus quæ secundùm Legem offeruntur (atque hactenus prius antitheseως membrum de legalibus observationibus in Testamento vetere imperatis) *tunc*, id est, ubi planè testatum fecit Deus se rebus illis minimè delectari: ac proinde non posse cuiquam homini propter istam remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, justitiámque, & vitam æternam obtingere: *tunc* ergò *dixit* Christus, quasi interventorem & fidejussorem se sistens pro nobis; *Ecce venio, ut faciam, ô Deus voluntatem tuam.* Ex quibus verbis optimè concluditur corollarium illud; *Tollit prius, ut statuat posterius*: tamquam si diceret; Posteriora derogant prioribus: Deus Pater posteriora voluit, probavit, iisque delectatus est in Christo, quæ hac plenitudine temporum per ipsum consummata sunt, secundũ Davidis ipsius, priscæque Ecclesiæ testimonium. Rectè igitur priora illa Deus Pater, & Christus ipse, adeóque David per Spiritum sanctum sustulerunt (ut in Psalmo illo ostenditur) quo posteriora statuerent, quandoquidem in his acquiescit voluntas Domini. Atq; hinc optimè consequitur effectus ille, quem author exponit versu 10. Nos illa voluntate Dei, quam Christus facturus venit, sanctificatos esse per oblationem semel factam corporis illius; quod corpus non fuerat manufactum Tabernaculum, aut hujus creationis; sed a Deo ipso & Patre aptatum ipsi, Spiritus sancti operatione, ut esset agnus immaculatus inde a primo conceptus momento, & sanctificandis nobis idoneus. Atque hęc quidem de antithesi oblationum, quam inde a principio capitis author persequutus est: sequitur jam alterum membrum antitheseως, quod restare diximus explicandum; nempe de sacerdote nostro, ministerióque ejus, versu. 11. & sequentibus. Hujus membri tractatio, similiter ac præcedens, instituitur propositione 4. versibus, & confirmatione illius, 4. alteris. Propositionis partes, secundum naturam ἀντιθέσεως, habentur duæ. Nam priore priscorum sacerdotum ratio, in versu 11. posteriore, summi sacerdotis Pontificisque nostri exponitur vers. 12. & sequente. Priscorum sacerdotum totiúsque ministerii illorum conditio circumscribitur his modis: primùm numero personarum, functionum, & oblationum; quòd plurimi, *Singulis diebus, multis oblationibus, & persæpè* iisdem quasi fatigarent Deum: secundò administratione, quòd *starent ministrantes*, id est, tamquam famuli accincti ad capessenda jussa Domini sui comparérent in conspectu illius: tertiò ab effectu, quòd numquam illæ ipsorum administrationes, oblationésque *auferre cujusquam peccata possent*. Nostri verò Pontificis ratio longè præstantissima contrariis planè modis ostenditur. Nam primùm ille ipse unus priscis omnibus opponitur, versu 12. deindè illa unica ipsius administratio, & oblatio unica pro peccatis, quam fecit in carne sua, opponitur quotidianæ illi stationi, ministerióque, & frequentatæ oblationi veteris Testamenti: postremò autem pro eo quòd illæ oblationes dicuntur numquam potuisse peccata auferre, hæc oblatio dicitur *in perpetuum oblata esse*, id est, eam vim facultatémque obtinere, ut nulla ampliùs repetitione

repetitione sit opus; quemadmodum suprà idem author argumentabatur secundo versu. Quapropter etiam quartum adhibet amplificationis locum, ad dignitatem illius oblationis, quam Christus semel exhibuit, asserendam: nempe quòd tantum abest, ut ampliùs stare ministrans, & hostiam eamdem offerens coram Deo & Patre teneatur, ut jam gloriosissimè per voluntatem Dei Patris sedeat ad dexteram ipsius, id est, non ampliùs ita necesse habeat laborare in opere redemtionis nostræ; sed potiùs tum ipse testimonium habeat fructúmque amplissimum a Deo Patre, illius voluntarii obsequii & oblationis suæ, tum verò eumdem fructum gloriosissimè cum suis communicet, perficiens in dies potentia regni sui quicquid opus est ad perficiendam in nobis voluntatem Dei. Quapropter hoc illius opus duobus modis definitur, versu 13. primùm quòd *exspectare* Christus ad dextram Dei dicitur *id quod superest*, id est, reliqua membra quæ ipsi dedit Pater, & ipse quoque illa unica oblatione sua a tyrannide Sathanæ vindicavit: deinde verò quòd inimicos suos & regno ipsius adversantes pedibus suis subjicit, & in æternum subjecturus est, tamquam Rex potentissimus in suos beneficus; & adversarios magnificentissimè debellaturus atque domiturus. Atque hæc quidem duo consectaria sacerdotii, effectáque regni potentis Christi momento uno, si videretur, & hoc ipso tempore consummaturus esset; sed quia sic visum est Deo œconomiam salutis nostræ in Christo disponere, ut res per gradus provehantur ad illustrationem gloriæ ipsius; quam rem impii ludificari solent, tamquam si tardaret Deus, aut promissa præstare non posset: propterea Apostolus his omibus cavillationibus impiorum, infirmorúmque dubitationibus occurrit prudentissimè unico hoc verbo, quum Christum ait exspectare: tamquam si diceret, idem in aliis præstare posse, quod in seipso assequutus est: sed ita se habere providentiam & dispensationem ipsius, ut exspectare tempus justum malit quàm antevertere: ac proinde iniquè eos facere, qui aut exspectare non possunt cum patientia eum qui exspectat ipsos, aut ludificari non dubitant eum qui patientia & exspectatione tolerante sua invitat ipsos ad resipiscentiam; non autem materiam sibi illudendi præbet. Atque ex hoc postremò dicto de sessione Christi ad dexteram Dei optimè concludit Apostolus versu 14. ex consequente antecedentia, quum ait: *Christum unica oblatione consecravisse eos in perpetuum qui sanctificantur.* Sic enim se habet argumentatio: Qui sua oblatione non sanctificaverit in perpetuum eos quos sanctificari opus est, is repetere oblationem tenetur; ac non considere potest ad dexteram Dei; Non alius autem quàm Christus una oblatione perfecit illud: Non alius igitur quàm idem Christus ad dexteram Dei sedere potest; Sedet autem: Perfecit igitur, & contrà; Perfecit autem; jure igitur sedet ad dexteram Dei Patris. Sequitur jam confirmatio ab authoritate, quam gravissimè adducit Apostolus his verbis: *Testificatur verò nobis & ipse Spiritus sanctus*, &c. Hic autem locus authoritatis, qui ex Testamento vetere petitur, is ipse locus est quem suprà cap. 8. adduxit Apostolus ex Jeremiæ 31. Quamobrem non sumus longiores futuri ad explicationem illius: si hoc tantùm observaverimus, eamdem planè temporum & beneficiorum institui antithesin, quam paulo antè ostendimus. Nam prius membrum antitheseωs, de vetere Ecclesia testamentóque his verbis indicatur. *Posteaquam enim dixisset prius, Hoc est Testamentum quod disponam eis post dies*

illet illos, nempe dies veteris Testamenti exactos, quum illa plenitudo temporum Patribus promissa advenerit: deinde vero sequitur posterius, de nova Ecclesia Testamentoque Christi; *dicit Dominus*, &c. Quo ex fœdere promittuntur duo beneficia Christi; unum, *cognitionis*, quam ex Prophetia illius percipimus, versu 13. alterum, *remissionis peccatorum* & gratiæ æternæ ex sacerdotio ejus. Etsi autem hæc quomodo conveniant cum antecedente dicto, prima specie non satis animadvertitur; non dubium est tamen, quin hac Prophetia proximum illud axioma confirmetur ab authore positum; nempe unica oblatione Christi eos qui sanctificantur, in perpetuum consecratos esse: verumtamen ut meliùs cohærentia hujus authoritatis, cum illo dicto constet; vim totius authoritatis hujus ostendit Apostolus, versu 18. dicens: *Ubi verò est horum remissio, non est ampliùs oblatio pro peccato*; tamquam si diceret: ubi remissio peccatorum est, nullus ampliùs relinquitur locus oblationi pro peccato. In Christo autem, unica oblatione illius, remissio peccatorum est in Ecclesia; quemadmodum se peccatorum atq; iniquitatum recordaturum non esse promiserat: Nullus igitur est ampliùs novæ oblationi locus, quandoquidem suos unica oblatione corporis sui semel facta consecravit. Atque hoc elegantissimo dicto, luculentissimáque authoritate, totus de Sacerdotio Christi locus concluditur.

19 Cùm igitur fratres, habeamus libertatem adeundi ingressum Sanctuarii per sanguinem Jesu;
20 Viam, quam dedicavit nobis, recentem & vivam, per velum, hoc est, carnem suam;
21 Et Sacerdotem magnum, præfectum domui Dei:
22 Accedamus cum vero corde, persuasione certa fidei purgati cordibus à conscientia mala:
23 Et corpore abluti aqua pura, teneamus confessionem spei non vacillantem (fidelis enim est qui promisit)
24 Et observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera;
25 Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicut mos est quibusdam; sed adhortantes alii alios; idque eò magis quo *magis* diem illum appropinquare cernitis.
26 Nam si ultrò nos peccaverimus, postquàm accepimus cognitionem veritatis; non ampliùs pro peccatis reliqua est hostia;
27 Sed formidabilis quædam expectatio judicii, & ignis fervor devoraturi adversarios.

Num. 15.

30 *Anima quæ commiserit peccatum elata manu, sive ex indigenis, sive ex peregrinis, Jehovam afficit probro: omnino exscinditor anima illa è medio populi sui.*

Deut. 19.

15 *Ex sermone duorum testium, aut ex sermone trium testium stata res esto*, &c.

28 Si quis contemserit Legem Mosis, absque misericordia duobus aut tribus testibus contestantibus moritur.
29 Quanto (putatis) acerbiore supplicio dignus futurus est, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti prophanum duxerit in quo sanctificatus fuerat, & Spiritum Gratiæ contumelia affecerit?

Deut. 32.	
35 *Meum est ulcisci & rependere.*	30 Novimus enim eum qui dixit;
36 *Iudicaturus est Jehova populum suum.*	Mea est ultio, ego rependam, dicit Dominus. Et iterum, Dominus judicaturus est populum suum.

31 Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

ABsoluta prima parte hujus Epistolæ, quæ tota est διδασκαλικὴ de persona officióque Christi, & gratia ac veritate quæ nobis in ipso obtigit: sequitur jam secunda pars, quæ ex documentis διδασκαλίας præcedentis assurgit necessariò: nimirum pars προτρεπτικὴ ad usum legitimum justúmque earum rerum quæ antè fuerant exposita. Hujus autem προτρέψεως sive hortationis (quæ ad versum usque 20. capitis ultimi protenditur) primùm quidem summa prolepsis inducitur, & comprehensio traditur rerum ad hortationem hanc pertinentium, ad versum usque 32. nempe in illa superiore versuum syzygia, quos propterea diagrammate uno conjunximus: deinde verò expositio hujus prolepseως commodè subjicitur ad eum usque versum cap. 13. quem antè diximus. Ad prolepsin autem hanc duo distinctè ab authore adhibentur: Nam primùm substantia (ut ita dicamus) materiáque omnium hortationum sequentium, ad versum usque 26. deinde verò necessitas prolepseως hujus ostenditur, 6. reliquis versibus. Ad substantiam prolepseως hujus hortatoriæ duo capita pertinent: unum, ut causæ fundamentáque hujus hortationis teneantur: alterum, ut materia & argumentum illius. Causæ, tribus versibus; materia quatuor exponitur. Causæ autem ex antecedentibus documentis omnes petitæ sunt, & quamdam veluti conclusionem totius antegressi sermonis complectuntur; nempe quòd nos, qui fratres in Christo effecti sumus per sanguinem Jesu Christi Servatoris nostri in communione ipsius, tria habemus singularia beneficia; quæ ut nos de vita æterna confirmant, sic etiam hic in omni veritate ad sanctificationem & omne pium officium semper provocatura sunt; ut quamvis absentes simus a Domino, & in peregrinatione versemur; tamen cum omni fiducia in officium nostrum incumbamus & ad veram Patriam nostram contendamus. Primum caput est, domum nostram apertam esse, & jus nobis traditum in eam ingrediendi, versu 19 secundum, viam, quæ fert eò, constitutam & sacratam esse per carnem Christi, quæ olim priore Tabernaculi parte ac velo repræsentabatur; eámque viam esse ejusmodi ut nunquam vetustescat, nunquam intermoriatur, denique nunquam eos sinat in mortem abripi qui ipsam institerint, versu 20. Postremum caput est, nobis esse Sacerdotem magnum, qui & nos in via curet, & domum ipsam Dei, quò venturi sumus, regat disponátque ad gloriam Dei Patris & salutem nostram. Quas ad res regno Christi ducimur, Prophetia docemur, & sacerdotio consecramur (ut ex superioribus cognovimus) in ipso denique perfectionem & complementum obtinemus, versu 21. Ex his igitur capitibus sequitur substantia hortationum omnium consequentium, per prolepsim accuratissimam, quatuor versibus. Ac summa quidem hortationis est, ut accedamus domum illam Dei: quæ sancta hortatio ex illis rebus, quas modò diximus, optimè consequitur. Nam quibus aperta domus est, jus ingrediendi datum, via comparata, dux & consummator itineris & quietis præsens, eos non accedere debere quis dicat? Sed quia ad dignissimum hunc sanctissimúmque

tissimúmque accessum non aliter vocamur, nisi ut eadem opera nos ipsos singuli comparemus, prout dignum est hac cælesti vocatione nostra, hujus hortationis quatuor adhibentur partes, quibus piorum ad Deum contendentium animus, ad officium justámque constitutionem & sua vocatione dignum provocatur. Prima pars hortationis est, ad fidem & bonam conscientiam, versu 22. secunda, ad spem firmam & confessionem ipsius, versu 23. tertia, ad charitatem & bona opera versu 24. quarta, ad omnia pietatis exercitia, quibus fides, spes & charitas Christianorum omnium ali in Ecclesia solet atque augescere, versu 25. Ad fidem, cujus adjunctum proprium est πληροφορία, id est, certa persuasio eorum quæ prehendit fides, adjunguntur duo: cor verum, id est, de veritate & in veritate a Deo informatum; & conscientia bona: quam tum demum adipiscuntur pii, quum corda sua per fidem purificata esse aspersione sanguinis Christi sentiunt, & in eodem Christo, vero seu verace corde acquiescunt. Ad spem, cujus adjunctum necessarium est & proprium, stabilitas, non in nobis nixa, sed in illo fideli & verace, qui spem nostram de promissionibus suis in nobis excitavit, adhibentur duo; unum, ut quemadmodum olim accessuri Deum lavabant sua corpora aqua pura; sic nos in sanctificationem nostram incumbamus. Alterum, ut eam spem animo præceptam confiteamur liberè, neque nos propter rem ullam pudeat confessionis Christi. Ad charitatem & bona opera similiter requiruntur duo: tum ut alii alios ad hęc officia acuamus; tum ut ea de causa alii alios observemus, & in administrationem fratrum nostrorum sic fraterno animo attendamus, ut omni pietate, prudentia, veritate, & sanctimonia alii alios ad charitatem bonáque opera accendamus. Ad exercitia denique consimiliter capita adhibentur duo: unum, ut sanctos cœtus colamus, sancto animo, ac non ab illis nos profanè abduci patiamur, neque ipsi deseramus ultrò: alterum, ut opportunè, importunè, in Ecclesia, domi, denique omni tempore & loco sacris adhortationibus alii alios adjuvemus. Atque hæ quidem sunt hortationis partes; quarum ordinem accuratissimum hic paucis propositum, deinceps servaturus est Apostolus; Fidem, capite 11. Spem, 12. charitatem, & exercitia his rebus convenientia cap. 13. suis distinctis hortationibus & argumentis exponendo. Id verò non est prætermittendum, quòd duobus argumentis postremum exhortationis locum Propheta exaggerat; unum, ab exemplo est: alterum, ab eventu. Nam quum Apostolus his verbis utitur, *sicuti mos est quibusdam*, exemplum est ἀντιθετικὸν, ad deterrendum pios; ne fortè quod in aliis damnum, id ipsi patiantur sibi accidere. Fit enim plurimùm, ut qui in Ecclesia sunt & cœtus frequentant illius, improbent eorum factum qui aut per se ipsi, aut per judicium Ecclesiæ fiunt ἀποσυναγωγοὶ: cùm tamen non pauci qui in Ecclesia sunt, licétiosiùs e cœtibus Ecclesiæ emanando, seipsos reddant ἀποσυναγώγους. Alterum argumentum ab eventu, continetur his verbis; *idque eo magis quo magis diem illum appropinquare cernitis*, nimirum diem quo futurum est, ut qui sacra hęc & salutaria exercitia monitáq; neglexerint ultrò, accipiunt judicium suum. Sic transit Apostolus ad ostendendam necessitatem harum hortationum; vel potiùs sex versibus sequentibus exponit quid sibi hoc argumento voluerit, ut piorum animos magis ad hæc officia accenderet. Hanc igitur necessitatem ab eventu luctuosissimo, qui certò in die illo consequuturus est, demonstrat Apostolus versu 26. & 27. confirmat verò, quatuor

sequentibus. Propositio est plana, conveniens cum iis quæ suprà in caput *6.* exposuimus : verumtamen quia omnia hæc fermè ex Lege desumta sunt, noluimus committere quin locos Parallelos ex Testamento vetere cum his conjungeremus. Nam huic propositioni omnino convenit cum verbis Mosis Numerorum 15. Hæc igitur Propositio est quidem hypothetica, ut res odiosas modestiæ causa sic enunciari, & ad vitandam graviorem offensam, necesse est : Alioqui categoricè sic potest enunciari : Quisquis ultrò sive elata manu, ut loquitur Moses, post acceptam cognitionem veritatis peccat, id est, a veritate justitiáque sibi exposita discedit; hujus pro peccatis non adhuc reliqua est hostia secundùm Legem : hoc est, non est huic remissio peccatorum aut reconciliatio attributa. Hactenus ἀναίρεσις, sive negativa, ut vocant ; jam sequitur thesis, sive affirmativa ex contrario, ad rei amplificationem pertinens, versu 27. *Sed huic reliqua est* : vel nihil ampliùs restat quàm *formidabilis* & horrenda quædam *exspectatio judicii in die illo*, quem modò dicebam, superventuri; & ex judicio *ignis æterni fervor, qui adversarios* deserentes aggregationes Domini & illudentes ipsi ac Ecclesiæ ejus, *devoraturus* & consumturus est; quamvis hic judicium humanum, quod Moses Lege imperaverat, effugerint. Huic propositioni attexitur sua confirmatio; primùm quidem ex comparatione Minoris, versu 28. & sequente : deinde ex authoritate, versu 30. Comparatio minoris eodem penè modo instituitur, quem supra in principium secundi capitis audivimus. Nam ut illic eorum scelus atque impietas supplicium justum subitura dicitur, qui vocem Christi respuerint; ab exemplo eorum qui Angelorum vocem neglexissent : similiter hoc loco futurum iis dicitur, qui vocem Christi in Ecclesia neglexerint, ab exemplo eorum qui Legem Mosis contemnebant. Ac de exemplo quidem nemo dubitaturus est, qui aut illud caput Numer. 15. aut alterum illud Deuter. 18. perlegerit, ubi hæc fermè instituitur comparatio, Mosis putà & Prophetæ illius quem Deus e medio fratrum suorum erat excitaturus. Ratio autem judicii illius observabatur ex duorum aut trium testimonio, secundùm eam Legem quæ exstat Deuter 19 & quam libro secundo Parallelorum in Epistolam secundam ad Corinthios Parallelo 50. libri 2. exposuimus. Cui rationi duo accedunt singulis fermè vocibus ab authore explicata; Causa nimirum, & modus judicii: Causa, quòd Mosis Legem protervè contemsisset : modus verò, quòd absque misericordia judicium subiturus esset, ut lignatoris illius exemplo Num. 15. confirmatur. Atque hæc duo, in altero comparationis membro, similiter maxima cum Emphasi demonstrantur ; Modus quidem, erotematica comparatione; *Quanto putatis acerbiore supplicio*, &c. Causa verò, tribus maleficiorum gradibus, quæ in hoc uno peccato dicuntur concurrere, si quis ultrò post acceptam cognitionem veritatis peccaverit, & de gratia illa antè accepta seipsum dejecerit, decideritque, ut idem supra capite *6.* loquutus est. Primus gradus est, quòd quisquis ejusmodi est *Filium Dei* & Servatorem nostrum Jesum Christum, eumdémque Regem nostrum adsidentem dexteræ Dei Patris omnipotentis, *conculcat* teritque pedibus; putâ quantum in se est : id est, perindè facit hac impietate sua, atque si omnipotentem illum Regem de solio cœlesti deturbaret, in terram affligeret pedibúsque tereret : quod crimen impiæ perduellionis est infinito supplicio dignissimum. Secundus gradus est, quòd *sanguinem Testamenti, in quo fuerat sanctificatus*,

ſanctificatus, profanum ducit, & tamquam profanum habet, quantum in ipſo eſt: id eſt, cum oblata exhibitáque ſibi beneficia Chriſti in ſanguine ipſius, putà ſanctificationem, juſtitiámque ſacerdotio, & hereditatem vitæ æternæ Teſtamento in Euangelio traditam ſenſiſſet guſtaviſſétque ad ſalutem ſuam, protervè tamen conſpurcat ſanguinem illum; & ſacerdotem, ſacerdotium, oblationémque ejus tamquam illotis manibus inquinans, corrumpit Teſtamentum illud ſalutare ſibi futurum in ſanguine Chriſti, & ſanctitatem ſibi in Eccleſia collatam quodammodo evomit atque repudiat. Nam quòd homines iſti in ſanguine Chriſti ſanctificari dicuntur, id partim de ſufficientia (ut ita dicamus) Chriſti oportet accipi; partim de vocatione externa, partimque de aliquo guſtu perfunctorio atque tranſeunte, quem illi percipiunt in Eccleſia, ut quando ſanctificationis externæ in ea facti ſunt participes, etiam internæ conſortes ſe eſſe fingant, & apud alios habeantur; quamvis revera neque membra ſint Eccleſiæ Dei, neque membra Chriſti, cùm non vivant de Spiritu Chriſti. Tertius gradus eſt, quòd contumelia afficiunt Spiritum gratiæ, ſive (ut Chriſtus loquutus eſt) peccant in Spiritum ſanctum, eúmque exacerbant, quantum in ipſis eſt: id eſt, quemadmodum regno Chriſti, proculcantes ipſum, & ſacerdotio, inquinantes ſanguinem ipſius, renunciant; ita etiam protervè dant operam, ut Prophetiam ipſius oppugnantes Spiritum exſtinguant, & non modò omnem gratiam vel donum gratiæ antè acceptum depellant a ſe, verumetiam omnem lucem gratiæ ſibi oblatam omnibus viribus exſtinguant deleántque, & lumina ſua occludant ultrò, ne lucis ullius ſpiritualis ſenſu afficiantur umquam; denique illum ipſum Spiritum a Deo Patre & Filio procedentem (qui propterea a Patre & Filio miſſus eſt, ut dona Dei per ipſum in nobis proximè terminum ſuum obtineant, deducamúrque in omni veritate) oppugnant malitioſè, ne quam vel minimam communionem in illo cum Chriſto habere poſſint. Summa igitur eſt, tantum eſſe hoc maleficium, ut uno eodémque peccato, perſonæ, officiis, beneficiiſque Chriſti, & mediis omnibus ad ea omnia percipienda fruendáque neceſſariis, omnino renunciantes, ipſi ſibi omnem præcludant viam remiſſionis peccatorum & reconciliationis obtinendæ: neque fieri poſſe, ut Deus juſtus judex, velut ſibi ipſe renuncians, homines iſtiuſmodi renovet ad reſipiſcentiam, ut capite 6. copioſiùs fuit expoſitum. Alter confirmationis locus eſt ab authoritate; quò tranſit Apoſtolus argumento ſumto a natura Dei, propoſitáque ejus conditione; prout nos omnes & natura & verbo in conſcientia noſtra inſtituti ſumus de veritate conſtantiáq; dictorum ejus. Nam inquit: *Novimus eum qui dixit*, &c. In hanc ſententiam conſcii ſumus cum animis noſtris veritatis & conſtantiæ Dei in præſtandis promiſſionibus & minis quas denunciaverit. Hæc autem pronunciavit Deus & interminatus eſt, cùm ſpeciatim Deuter. 18. ut antè diximus, tum verò generatim, Deut. 32. duabus illis ſententiis, quas in Parallelo diagrammate poſuimus. Atque hinc tamquam Epiphonemate graviſſimè concludit Apoſtolus verſu 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis:* Iſti autem revera incident, & gravitatem ultionum ejus ac judiciorum experturi ſunt, quia dixit. Quàm igitur horrendam conditionem, acerbúmq; ſupplicium illorum putamus fore, qui Deum ita provocaverint, & ſancta reſipiſcentia non fugerint ab ira ventura, & manibus ſeveris illius?

32 Recordamini verò præcedentes dies, quibus postquàm illustrati fuistis, multum certamen afflictionum sustinuistis:

33 Partim quidem, quando cum probris & oppressionibus velut in Theatro fuistis expositi, partim verò, dum socii facti estis eorum qui similiter in *probris oppressionibúsque* versati sunt.

34 Etenim de vinculis meis mecum doluistis, & direptionem facultatum vestrarum cum gaudio accepistis; ut qui apud vos essetis conscii vos habere in cœlis meliorem substantiam atque permanentem.

35 Ne igitur abjiciatis fiduciam illam vestram, quę magnam habet retributionem præmii.

36 Nam opus habetis patientia, ut ubi voluntatem Dei effeceritis, promissionem illam reportetis.

37 Adhuc enim pauculum, pauxillum; & qui venturus est veniet, neque tardabit.

Abac.2.	
4 *Ecce ebullat in quo non est rectus animus ipsius: justus autem ex fide sua vivet.*	38 Justus autem ex fide vivet: quòd si subduxerit se quisquam, non probat eum animus meus.

39 Nos verò non sumus, qui nos subducamus ad exitium; sed qui fide utamur ad conservationem animæ.

HActenus prolepsis, vel summa hortamentorum propositio, quæ postmodùm reliqua fermè Epistola tractare instituit author. Deinceps verò sequitur expositio illius prolepseos; primùm quidem generalis, reliquo hoc capite; deinde verò particularis, per singulas illas hortationis partes quæ in prolepsi fuerunt positæ. Expositionis generalis membra in hoc capite ponuntur duo; eáque ad singulas hortationis illius partes omnino pertinentia; suntque tamquam media, quibus ad eas partes singulas hortationis accendamur, confirmemúrque. Prius membrum est, recordatio cùm nostræ ipsorum experientiæ; tum alieni exempli tribus vers. Posterius est confirmatio in ea fiducia Christiana, quam ex superioribus documentis hac epistola propositis percipimus; prout ostendit Apostolus suprà versu 19. Qui locus versibus quinque ultimis hujus capitis perstringitur. *Recordatio rerum antecedentium* generatim versu 32. imperatur, circumscribitúrque duabus notis singularibus; una facti, quòd *afflictiones sustinuisse* dicuntur, & quidem *multas* & *certatim* fidem ipsorum & gratiam Dei in ipsis oppugnantes; prout Satanas peccatum, caro, & mundus, sanctam piorum constitutionem singulis fermè momentis labefactare conantur afflictionibus. Altera nota est temporis, quo hæc dicuntur sustinuisse *diebus antecedentibus, ex quo fuerunt illustrati* illustratione Euangelii Gloriæ Christi, ut vocat Apostolus 2.Corinth. 3. Hæc verò recordatio præteritarum rerum generatim hoc modo posita, illustratur præstantissima rerum illarum distributione, versu 33. & sequente confirmatur. Res enim anteactas distinguit Apostolus tùm in eas quas Hebræi ipsi perpessi sunt; tùm in eas quibus cum fratribus perpetientibus communicaverunt: id est, ut antè diximus, in experientiam ipsorum, & alienum exemplum. Experientiam rursum vult piis esse confirmationi, a materia

&

& forma perpeſſionum quas fuerint experti: Materia; quia probris honorem ſuum, & per conſequens Dei gloriam, vitam *afflictionibus* tenſerunt appeti, & ſuſtinuerunt: Forma verò, quia *tamquam in theatrum producti fuerunt*, qui ſpectaculo eſſent mundo, & Angelis & hominibus (ut verbis utamur Pauli) quum probris illis & afflictionibus eſſent onuſtiſſimi. Exemplum verò alienum duobus modis adducitur: primùm, quia cognoverunt, teſtéſque effecti ſunt alienarum calamitatum, & fratrum exemplis inſtituti: ſecundò, *quia cum illis fratrum ſuorum difficultatibus*, qui tamquam in theatro, cum mole probrorum afflictionúmque pugnabant & conflictabantur, Chriſtiana pietate & charitate *communicaverunt*. Utriuſque rei demonſtratio hiſtorica, & confirmatio habetur verſu 34. ubi primum eædem partes κατ' ὕστερον confirmantur hiſtoriis quibuſdam ſingularibus, deinde cauſa iſtarum rerum exponitur. Alieni exempli & communicationis hæc probatio ſingularis eſt. *Etenim de vinculis meis mecum doluiſtis* ex animo, & vos dolere ex facto oſtendiſtis: propriæ experientiæ illud eſt, quòd dicit, *direptionem facultatum veſtrarum cum gaudio accepiſtis*. Cauſam verò iſtarum rerum demonſtrant ſequentia, nempe quòd apud ſe *ſciverint*, id eſt, teſtificatione Dei conſcii fuerint cum animis ſuis *ſe habere meliorem ſubſtantiam*, &c. id eſt, quod jam animo & fide perceperint ea quæ promiſſionibus Dei teſtata ſunt, & gratia beneficióque Chriſti omnibus piis & συμπάσχουσιν αὐτῷ comparata. Hujus verò ſubſtantiæ quam prehendit fides, conditio attributis certis amplificatur; primùm quidem in genere; quia melior hæc ſubſtantia dicitur quàm illa fuerit, cujus direptionem perpeſſi ſunt: deinde verò ſpeciatim, quia duobus modis omnino melior eſt quàm ſint præſentia, tum eò quòd in cœlis nobis reſervatur virtute Dei, ubi tineæ non rodunt nec fures fodiunt diripiúntque; tum eò quòd ſubſtantia eſt permanens in ſe, & in nobis ad perpetuitatem glorioſa. Alterum membrum, quod confirmationem eſſe diximus in Chriſtiana fiducia noſtra, proponitur verſ. 35. deinde verò inſtrumenta, & quaſi ſtatumina duo illius fiduciæ, ordine proponuntur, patientia, & fides, binis verſibus. Quia verò proclive eſt, ut illis tentationibus, quarum mentio jam modò facta eſt, homines a ſua illa fiducia decidant; aut ipſi tamquam infirmitati ſuæ conſulturi, carnali prudentia quadam abjiciant eam; loco hortationis inſtitutæ dehortationem rei contrariæ proponit Apoſtolus, dicendo: *Ne igitur abjiciatis fiduciam illam veſtram*, putâ quam velut fundamentum hortationum poſuerat, ſuprà verſu 19. deinde ex proximè præcedente membro adjicit commodiſſimum hortationis ad fiduciam illam argumentum, à conſequentibus; nempe quòd illa fiducia *magnam habet retributionem præmii*, ut ipſi ſecum ſunt conſcii, & ex verbo Dei indubitato cõfirmati. Hujus autem fiduciæ, qua freti & de æterno domicilio cœleſti noſtro viáque illius ac duce confirmati, ad Deum accedimus, conſtabiliendæ in nobis (ne fortè contra officium deſeramus eam) inſtrumenta duo ſunt, patientia, & fides: patientia; qua res adverſas toleramus, dum in hac exſpectatione ſumus: Fides, qua ad perfectionem rerum ſperatarum & animæ ſalutem contendimus. Patientiam alendæ huic fiduciæ neceſſariam eſſe oſtendit author, his verbis, *Nam vobis opus eſt patientia*: tamquam ſi diceret: Fiduciæ conſtantis magna eſt retributio: conſtans eſt autem fiducia per patientiam, quæ nos cohibet ne fracti afflictionibus & probris abjiciamus eam: Ergò ſi retributionem illam adepturi eſtis, opus

1.Cor.4.9.

opus est vobis patientia: Ac propterea idipsum repetens Apostolus verbis diversis, finem proximum illius patientiæ ostendit esse, ut præstantes voluntatem Dei, id est, in hac fiducia acquiescentes & obsequentes illi reportemus eam promissionem, qua Deus consitentibus in ipso spopondit magnam retributionem à se futuram esse. Neque solùm ex hoc fine proximo ducit Apostolus argumentationis locum: verum etiam stimulat ampliùs à brevitate illius spatii, quod nos in patientia oportet consumere, quum inquit: *Nam adhuc paululum pauxillum* (sic enim Græcas voces ex usu veterum exponimus) *& is qui venturus est*, nempe ad retributionem vestram & promissionum complementum, certò *venturus est minimèque tardaturus* adventum suum. Atque hæc quidem amplissima est consolatio, & patientiæ colendæ argumentum, in qua animas nostras possideamus. Sed quia fides statumen est hujus patientiæ, qua ad eum, qui venturus est respicimus exserto capite, & in ejus communione vivimus (Nam ad locum fidei hæc verba sunt μεταβατικά) exemplo Prophetæ Habacuc unde hæc verba desumta sunt; transit Apostolus ad locum de fide, ostendens fidem cum patientia his calamitosis temporibus maximè justo necessariam esse, qui justitiam Dei prehenderit, & se in colenda justitia occupare voluerit: Nam fidem hominis justi esse quasi σύγκραμα, cujus temperamento vitam in se obtinet, quemadmodum etiam in caput primum Epistolę ad Romanos Parallelo 1. libri 2. ostendimus: Hanc autem propositionem de necessitate fidei, ex contrario illustrat Apostolus, dicens; *Quod si quis se subduxerit*, nimirum δι' ἀπιστίας, *non probat eum animus meus*, quasi dicat, absit a me coram Domino, ut ei homini indulgeam vel minima significatione; eò potiùs ego ex animo ab ejusmodi infidelitate & impatientia, qua homines isti seipsos subducunt, abhorream. Ceterùm nō est dissimulandum illud, hęc verba pleraque in hoc & pręcedente versu ex secundo capite Abacuc depromta esse; & proinde etiam bonam partem in Parallelo diagrammate comparavimus: sed tamen si quis rem accuratè consideret; id judicio me animadversurus est, Apostolum hic verba Prophetæ non adducere ex professo; sed tantùm ex analogia illius Prophetię instituere hoc loco & accōmodare suis temporibus propositionem eamdem, quam prisco illi seculo Abacuc pronunciaverat. Quod genus accommodationis nos certè non allusionem verborum appellamus; sed accommodationem exemplorum ætiologicam: cujus causa a servis Dei hominibúsque θεοπνεύστοις plerumquę etiam adhibetur eorumdem verborum accommodatio. Quod dico ejusmodi est: alia est Prophetæ eo in loco hypothesis: alia hic Apostoli: sed hypotheseως illius antegressæ exemplum cum hac hypothesi comparatur, non ut conficiatur contingens aliquod documentum ex hac comparatione, sed potiùs necessarium. Quomodò autem? quia non habetur ratio propriè singularis illius facti, causę, vel hypotheseως; sed habetur ratio illius juris quo Deus in illa causa sic egit, & quia natura est constantissimus, in qualibet simili causa non secus acturus est: quia ætiologię ratio (ut sępè in Matthęum diximus) est constantissima. Frustra itaque laborant, judicio meo, qui de singulis horum versuum partibus accommodandis sunt soliciti; cùm id unum voluerit Apostolus; perstringere exemplum illud solummodò, & voces huic argumento convenientes excerpere; non autem de singulari partium singularum accommodatione laborare, aut labore in hoc genere accommodationis

dationis defatigare quemquam. Quia verò hic postremus sermo gravior esse,& malè (ut ita dicamus) ominari quodammodo Hebræis videbatur; statim lenissima quadam ἐπιθεραπείᾳ Hebræorum animos delenit Apostolus; eadémq; opera transitum sibi parat ad sequentem locum de fide, quum dicit antithetws, primùm quidem correctionis modo: *At nos non sumus ii qui nos subducamus*, putà ab illa fiducia, patientia, & fide in quam vocati sumus, *ad perditionem*, id est, ut ultrò ruamus ipsi in mortem & condemnationem æternam; Posteà verò confirmationis, quum ait, *sed fidei sumus*, id est, eorum de numero sumus, qui fide justitiam Dei amplectimur, atque in ea vivimus; cujus officii finis proximus est *animarum nostrarum salus* in futuro seculo; & in præsente, conservatio ab omnibus illis malis atque periculis; ut iis exsuperatis salutem illam æternam assequamur.

CAPUT UNDECIMUM.

1 Est autem fides, substantia eorum quæ sperantur, argumentum rerum quæ non cernuntur.

2 Hac enim majores instructi fuerunt testimoniis.

3 Fide intelligimus secula fuisse confecta verbo Dei, ut ea quæ videntur *intelligamus* non esse facta ex rebus apparentibus.

ANtecedentem prolepsin vel propositionem generalem sequitur jam sua ἔκθεσις sive expositio, suo & distincto ordine. Primùm itaque de fide agitur, in hoc capite; posteà verò in reliqua Epistola de operibus fidei quæ antè diximus. Fidem autem describit Apostolus a duabus proprietatibus, versu 1. deinde confirmat descriptionē institutam, sequentibus; una proprietas est fidei, quum *eorum quæ sperantur substantia* appellatur; altera, quum *argumentum* dicitur *earum rerum quæ non videntur*. Etsi autē hęc duo attributa fidei, propria sunt illius in hoc argumento; quia hîc agitur de iis rebus quę rationem & naturę lucem omnino transcendunt: tamen utcumque prædicationes hæ accipiantur, necesse est figuratas dici; quia de fide instrumentaliter, non autem propriè & essentialiter (ut ita loquamur) intelligendæ sunt. Ut autē rem exponamus plenius; antequam de illis attributis dicimus, de objectis ad quæ fides secundùm has prædicationes respicit, priore loco dicendum est; tùm faciliùs demonstrabimus prædicationis modum. Objectorum igitur ad quę fides respicit, duo pronuntur genera; ea quę sperantur, & ea quæ non videntur. Quæ duo, etsi in speciem eōdem pertinere imperitiores facilè credent; tamen sapientissimè ab Apostolo distinguuntur, quia eorum quę dicuntur alia sunt, & non sunt alia. Quęcunq; non sunt, ea nec videntur: sed quęcunque non videntur, ea si quis nō esse dixerit eò quòd non vidētur, is ad agnatos & gentiles relegandus esse videbitur. Eorum autem quę sunt, alia videntur, & alia minimè. Ad ea quę videntur fides minimè respicit, sed sensus: ad ea quæ non videntur, si naturalia sunt, respicit naturalis ratio; si supernaturalia, fides. Hæc igitur objecta duo fidei commodissimè distinguuntur; quòd una in spe sunt, quamvis non sint in re; altera verò in re sunt, quamvis in sensum non cadunt. Cujus distinctiones (ne longius abeamus) ex ipsis fundamentis hujus exhortationis exempla sumenda sunt. Tria sunt autem quæ in fundamentis Apostolus numeravit, suprà 10. 19. & sequentibus;

1 obtn fidei

sequentibus; sacrarium, & jus ingressus; tum via quæ fert ad sacrarium; ac postremò sacerdos: è quibus alia sperantur quæ nondum sunt, ut ingressus noster in sacrarium; alia sunt quę non videntur, ut jus ipsum ingrediendi, & si qua sunt ejusmodi. Nam etiam hoc nomine a Petro his verbis commendatur piorum fides; *Cùm non videritis Christum, diligitis; cùmque nunc non cernatis eum, tamen credentes ei exsultatis gaudio ineffabili & glorioso, reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum.* Nunc ad prædicationes veniamus. Eæ, ut antè perstrinximus, si instrumentaliter accipiantur, sive (ut Grammaticorum more loquamur) metonymicè; videtur locus commodè explicari posse. Nam qua ratione Euangelium est potentia Dei ad saluté omni credenti, eadem ratione fides substantia est eorũ quę sperantur, & indicium earũ rerum quæ non videntur. Est autem illud potentia Dei instrumentaliter; tamquam si dixeris instrumentum potentię Dei, quo videlicet potentia Dei utitur ad salutem credentium. Non secus hoc loco fides substantia est eorum quæ sperantur, instrumentaliter; sive instrumentum capiens & continens substantiam eorum quæ sperantur, & ea percipiens in Domino: similitérque argumentum est rerum quæ non videntur, hoc est, certissimum instrumentum, quo arguere possumus ea ipsa, quę in sensum cadere nõ possunt, non eo minùs esse; licet oculis nostris minimè videantur. Denique (ut metonymiam hanc quàm evidentissimè possumus simili exponamus) fides est tamquam manus, aut tamquam loculus, prehendẽs thesaurũ gratię quem Deus nobis exhibet in Christo Jesu. Quę autem sperantur, etsi re nondum sunt, in se aut in nobis; tamẽ in Deo sunt, cui omnia sunt præsentissima; & horum substantiam fides prehendit in Deo, quum apprehendit Deum. Quæ verò non videntur, & tamen tum reipsa sunt, tum reipsa a credentibus prehenduntur; eorum indicandorum cognoscendorúmque instrumentum est optimum & sanctificatum à Deo, fides. Sic omnes thesauros gratiæ, quamvis perfectissimos, hoc instrumento & ratione hac percipimus. Ceterùm non est illud dissimulandum, esse qui existiment distinctionem aliter collocandam esse, nimirum hoc modo: ἔστι δὲ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων; nempe ut nomen rerum ad utrumque membrum accommodetur evidentiùs. Sed mihi non videtur necesse, ut ea de causa a recepta & communi lectione discedamus; tum quia etiam citra translationem commatis, hæc verba in eam sententiam accipi possunt; tum verò quia haud scio an certo consilio Spiritus sanctus nomen πράγματος ad posterius solummodò membrum voluerit pertinere. Cùm enim πρᾶγμα rem significet, & propriè rem factam & quę jam est in opere, ut ita loquamur; probabilius est hoc nomen ad ea referri non oportere quæ sunt ἐλπιζόμενα, id est, quę sperantur; sed ad ea propriè quæ ita sunt in natura rerum, sive (ut loquuntur) in esse, ut tamen non videatur ipsorum esse. Sequitur confirmatio duplex: una, ab exemplis; altera verò, a creatione & administratione Dei. Ab Exemplis, locus est secundo versu. *Hac enim* ait Apostolus, *majores instructi fuerunt testimoniis:* Quæ propositio deinceps reliquo capite inductione quadam, vel exemplorum accumulatione demonstratur. A creatione locus est in versu 3, quum inquit: *Fide intelligimus secula fuisse confecta,* &c. Hujus autem loci quia multiplex adducitur interpretatio; omissis prejudiciis omnib. eam simpliciter adferemus, quæ cùm simplicitatę verborum & argumento videtur convenire. Duplex igitur pro-

sitio

positio est in hoc versu, rerum ad fidem nostram ex argumentis naturalibus pertinentium. Prior est, de creatione; posterior, de gubernatione rerum quas creavit Deus: quę duo commodissima sunt juvandæ stabiliendęque fidei nostrę argumenta. Creationis materia his verbis significatur, *Secula confecta esse verbo Dei*: id est, Deum ad confectionem seculorum nullam machinam, nullam materiam, formã, aut si quid est aliud, adhibuisse aliunde, ut ea conficeret; sed unico suo verbo atque decreto effecisse, ut ea quæ non erant, momento ad nutum ipsius exsisterent. Verumtamen quia seculorum meminit Apostolus, hæc autem vox variè accipitur; nobis videtur propriam & simplicem vocis illius significationem servari hoc loco oportere. Nam videtur certo consilio Apostolus non hujus mundi, sed potiùs seculorum in Epistola hac meminisse; quia semper instituit comparationem hujus & futuri seculi: ac propterea suprà 1. 2. dicebat Deum per filium suum secula fecisse. Hæc autem secula, ubi seculi præsentis & futuri tempus complectuntur, appellantur secula seculorum; ut suprà primo, octavo, & infrà decimotertio capite. Ubi autem inter se distinguuntur, hoc quidem præsens seculum appellatur, ut Galat. primo, versu quarto: illud verò, cujus heredes futuri sumus, appellatur futurum seculum, ut suprà secundo, versu 5. & sexto, versu 5. & alibi. Hac igitur significatione dicit Apostolus: *Verbo Dei fuisse confecta secula*, tum hoc, quod cœli & astrorũ conversatio pro numero temporis disterminat, tùm illud quod sine termino futurum est, quia infinitum & omnem quantitatem superans. Hoc autem utrumque seculum quod fecit Deus; unum commune rerum creatarum omnium; alterum, beatorum singulare & electorum ejus, per fidem intelligimus: neque solùm intelligimus esse; sed etiam ortum ipsius a Deo esse sola fide cognoscimus, quæ ex auditu verbi Dei in nobis generata est. Ex hoc priore membro alterum conficitur, de Providentia Dei & gubernatione seculorum, quæ ab ipso fuerunt condita: quam partem, judicio meo, Apostolus proposuit his verbis; *Ut intelligamus ea quæ videntur, non esse facta ex rebus apparentibus*: id est, ut quemadmodum creationem soli verbo Dei acceptam ferimus, Deóque soli gloriam creationis totam atque in totum tribuimus; sic etiam fide cognoscamus eodem planè modo se habere gubernationem Providentiæ ejus in iis omnibus, quæ aut esse fierique videmus, aut fuisse intelligimus: nempe eas res non ex rebus, id est, causis, materiis, formis, instrumentis, aut mediis apparentibus fuisse in rerum natura, aut fuisse factas; sed soli providentiæ Dei verbóque potenti ejus ea omnia, certa fide & persuasione tribuamus. Non sum nescius alias interpretationes ad hunc locum fuisse allatas; & quidem a viris, quorum pietas & eruditio maxima, pro ea religione ac debeo, a me colitur, officiosissimè: Sed quia hæc nostra interpretatio (nisi me animus fallit) cum proprietate verborum, puritate sententiæ, & veritate argumenti maximè convenit; non dubito, quin etiam boni omnes qui aliud sentiunt, aut etiam forte sensuri sunt, in bonam partem accipiant, (si prout me obstringit pietas & veritas) ea sine offensa dico, quæ ad veritatem facere judico. Tantùm unum est, quod præter sermonem Apostoli huic membro adjicio ad evidentiorem interpretationem illius, nempe quòd ἀπὸ κοινοῦ repeto verbum intelligendi in hoc posteriore membro, quo in priore author utebatur, dicens: *Fide intelligimus*, &c. Sed hoc supplementum

Ellipseus

Ellipseos nemo qui Grammaticam a limine salutavit, improbaturus est. Omnino interpretationem hanc, ellipsi posita, confido luculentiorem esse.

4 Fide amplius sacrificium Abel obtulit Deo quàm Cain: per quam testimonium obtinuit quòd justus esset, testificante Deo de donis ipsius; & per eam adhuc, quamvis mortuus, loquitur.

5 Fide Enoch fuit translatus, ne videret mortem; nec fuit inventus, quia transtulerat ipsum Deus: prius enim quàm transferretur, testimonium obtinuit quòd placuisset Deo.

6 Sine fide autem ut quis placeat *ei*, fieri non potest: nam qui accedit ad Deum, hunc oportet credere Deum esse, & præmia rependere iis qui requirunt ipsum.

7 Fide, quum Noë divinitus fuisset admonitus de iis quæ nondum videbantur, veritus comparavit arcam ad servandum domum suam: per quam *arcam* condemnavit mundum, & heres factus est justitiæ illius quæ est ex fide.

8 Fide, quum Abraham vocatus esset, obedivit, ut abiret in eum locum quem erat accepturus hereditatis nomine; & abiit nesciens quò esset venturus.

9 Fide commoraturus venit in terram promissam, velut alienam; habitans in tabernaculis cum Isaaco & Jacobo coheredibus ejusdem promissionis:

10 Exspectabat enim urbem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor *est* Deus.

11 Fide, ipsa quoque Sara accepit vim ad ejiciendum semen, & præter ætatis rationem peperit; quandoquidem fidelem duxerat eum qui id promiserat:

12 Quapropter etiam ex uno, eóque emortuo, geniti sunt *posteri* multitudine sicut astra cœli & sicut arena quæ *est* ad litus maris, innumera.

13 Hi omnes secundùm fidem mortui sunt, quum non accepissent promissa; sed eminùs ea vidissent credidissentque, & salutavissent, ac professi fuissent se hospites & advenas esse in hac terra:

14 Nam qui res dicunt hujusmodi, palàm ostendunt se patriam quærere.

15 Quòd si illius recordati essent ex qua exiverant, habituri fuissent tempus ad revertendum:

16 Nunc verò meliorem expetunt, hoc est, supercœlestem: quapropter Deum non pudet illorum, quin vocetur Deus ipsorum: urbem enim paraverat ipsis.

17 Fide Abraham, quum tentaretur, obtulit Isaacum, & unigenitum illum obtulit, is qui promissiones exceperat,

18 Cui dictum fuerat, In Isaaco vocabitur tibi semen:

19 Reputans Deum potentem esse, qui ex mortuis excitaret ipsum; unde etiam illum recepit quadam similitudine.

20 Fide Isaac de rebus futuris benedixit *filiis* Jacob & Esau.

21 Fide Jacob moriens benedixit cuique filiorum Josephi, & adoravit summo baculo suo nixus.

22 Fide Joseph moriens meminit de egressione filiorum Israëlis, & de ossibus suis mandata dedit.

23 Fide, quum natus esset Moses, tres menses occultatus est a parentibus

rentibus suis, eò quod viderent scitum esse puerulum; ac non timuerunt illud edictum Regis.

24 Fide Moses, quum increvisset, renuit dici filius filiæ Pharaonis:

25 Potiùs eligens malis affici unà cum populo Dei, quàm temporarium habere fructum peccati:

26 Arbitratus majores divitias esse probrum Christi, quàm eos thesauros qui in AEgypto erant: Intuebatur enim in illam retributionem præmii.

27 Fide reliquit AEgyptum, quum non timuisset iram Regis: constanter enim tolerabat, ut qui videret eum qui est invisibilis.

28 Fide perfecit Pascha, & effusionem sanguinis illius; ne is qui perimebat primogenita, ipsos attingeret.

29 Fide transiverunt mare rubrum, quasi per siccum abivissent: cujus periculo facto, AEgyptii absorpti sunt.

30 Fide muri Jericho ceciderunt, quum circumdati fuissent ad dies septem.

31 Fide Rahab meretrix non periit unà cum immorigeris, quum pacificè exploratores excepisset.

EXposito loco de fide, a creatione providentiáque Dei; sequitur alter locus ab exemplis illius: quem Apostolus summatim perstrinxerat 2. versu, quum majores per fidem testimoniis instructos fuisse diceret. Hanc enim propositionem confirmaturus sive demonstraturus Apostolus primùm insignia aliquot exempla percurrit, ad versum usque 31. deinde verò conclusionis loco summatim accumulat quę ad idem argumentum visa sunt petinere, inde ad finem usque capitis. Exemplorum autem singulorum, quæ huc adducuntur, finis est; ut ostendatur sanctos illos Patres secundùm eam fidem, cujus proprietates principio fuerant expositæ, testimonium a Deo obtinuisse earum rerum ad quas respexit ipsorum fides, & nobis quoque testimonio esse. Quamobrem etiam in singulis exemplis duæ illæ partes plurimùm perstringuntur; putà de substantia eorum quæ sperantur, & de eorum quæ non videntur, argumento. In his autem exemplis adferendis, servatus ordo est temporum: quem ordinem Deus in rebus gerendis servavit, Ecclesiaque promovenda: & Moses consimiliter in iis narrandis. Sed quia exempla hæc ferè sic adducuntur, ut summam capitum magis contineant, quàm ut ad unum aliquem versum referri possint; propterea noluimus Parallelos locos apponere, ne sine usu aut necessitate plus tereremus chartæ & temporis, quàm adjumenti lecturis præberemus. Primum exemplum est Abelis: in quo narrantur duo ad fidei commendationem, putà factum ipsius, & testimonium. Factum, quòd *per fidem amplius sacrificium obtulit Deo quàm* frater ipsius *Cain*. Testimonium verò triplex: primùm quòd per fidem eam qua Deo sacrificium obtulit, *testimonium* intus *habuit* per Spiritum Dei, *quòd justus esset*, eadem fide in eum qui justificat impium: secundum, quòd foris testimonium a Deo habuit quum *testaretur de donis ipsius* ea sibi accepta esse, sive immisso igne cælitus, sive alio testificationis modo. Atquè hæc duo testimonia a Mose perscribuntur Genes. 4. quum ait *Jebovam respexisse ad Abelem & ad munus ejus*. Tertium testimonium est, *quod per eandem fidem adhuc loquitur, quamvis sit mortuus*, id est, ex Dei ipsius testimonio adhuc loqui dicitur post mortem suam, vers. 10. ejusdem capitis. Loquitur

autem

autem Abel duobus modis; uno figuratè, quem Moses ibidem explicat; quia sanguis ipsius a fratre fusus & in terra exstans, κατ' ἀνθρωποπάθειαν clamare dicitur, hoc est, perinde fecisse atque si clamavisset ad Dominum, & visum esse quodammodo fidem illius implorare, quum terra humaniter ipsum exciperet, quam inhumanè frater cruentaverat. Deinde verò propriè, loquutus est Abel; quum tamquam primitiæ quædam Ecclesiæ Dei, persequutionem a fratre secundùm carnem perpessus, Dei fidem justitiámque imploravit, ut pii omnes persequutionibus infestati dicuntur implorare coram majestate Dei, Apoc. 6. 10. & alibi. Quò etiam respicit Apostolus infrà 12. 24. Secundum exemplum est Enochi, cujus habetur historia Genes. 5. 22. & sequentibus. In hoc autem exemplo, diverso ordine proponitur primùm beneficium Dei in ipsum, secundò testimonium quod antecessit illi beneficio. Beneficium Dei est, quòd *translatus fuit*, putà ex hoc seculo in alterum, *ne videret mortem*; quæ in hoc seculo ab hominibus singulis videnda est, supra 9. 27. Quam translationem illius confirmat author ex Mosis ipsius verbis, quum ait; Non extitisse ampliùs; vel *non fuisse inventum* inter homines, eò quòd assumsisset eum & *transtulisset Deus*. Hujus verò beneficii antecedens testimonium, quod in conscientia ipsius perhibuit Deus per gratiam justificantem suam in Christo Jesu, exponitur verbis sequentibus; quòd *priusquàm transferretur, testimonium obtinuerit se placere Deo*: Quam rem etsi Moses iisdem verbis non videtur exprimere, tamen re ipsa per æquivalens (ut loquuntur) exprimit, quum illum narrat indesinenter ambulavisse cum Deo, hoc est, non solum ipsum Deo adhæsisse, verumetiam Deum adstitisse ipsi, eúmque quasi duxisse manu, eò quòd placeret ipsi. Quia verò satis obscurè historia hæc ad fidem accommodari videbatur, propterea interseruit Apostolus probationem dicti sui, quòd hæc omnia Enoch fide assequutus esset, versu. 6. *Fieri non potest*, inquit, *ut sine fide*, id est, *nisi per fidem, quisquam placeat Deo*. Enoch autem placuit Deo. Ergo fide placuit. Cùm enim Apostolus hac particula utitur, *sine fide*, non est hæc particula proinde accipienda, ut vulgò in Logicis solet; sed ampliùs intelligendum est, nempe sine fide neminem placere Deo; quia hæc fides, de qua hoc loco agitur, est eorum substantia quæ sperantur instrumentaliter. Nemo autem Deo placere potest, quin hoc instrumento animum instructum habeat, eóque res speratas prehendat, ut pium & fidelem decet. Deinde vero, ut os impietati & adversariis doctrinæ de fide ampliùs præcluderet; adhibet alterum ἐπιχείρημα ex Mose sumtum, in hunc modum: Nemo Deum potest accedere & indesinenter cum ipso ambulare, quin credat & Deum esse Deum suum, & præmia rependere iis qui requirunt ipsum, hoc est, fide invocantibus & implorantibus misericordiam ejus. Enoch autem accessit ad Deum, & indesinenter cum eo ambulavit, ut Moses loquitur Genes. 5. 22. & 24. Credidit igitur, & Deum sibi Deum esse, & remuneratorem fore sibi invocanti ipsum in perditissimis illis temporibus, quibuscum religiosè confligtari ipsum oportuit: quemadmodum illa tempora fuisse corruptissima Moses sub finem capitis 4. & principium 6. declaravit. Tertium exemplum est Nohæ; in quo & factum ipsius, & testimonium breviter perstringitur, ut narrat Moses Genes. 6. & sequentibus. Factum, quòd *divinitùs admonitus de iis quæ nondum videbantur, & cum reverentia metuit a verbo Domini, & arcam sibi imperatam fecit ad servandam domum suam, & per eamdem*

dem arcam condemnavit reliquum mundum, qui ad sermones judiciáque Dei tamdiu pronunciata respicere noluerat. Testimonium verò, quòd heres factus est justitiæ illius quæ est ex fide: quemadmodum ex narratione Mosis capite 8. & 9. & ex proximè præcedente argumentatione in historia Enochi posita, necessariò conficitur. Quartum exemplum est Abrahami: in cujus narratione (ut qui pater credentium prærogativa singulari dictus est) amplior est commoratio a versu 8. ad 19. usque. Hujus autem comparationis capita sunt quinque ad exempla fidei, de qua hoc loco agitur, pertinentia. Primùm enim narratur fidele obsequium Abrahami ex vocatione; qui fretus promissionibus hereditatis a Deo obtinendæ, migravit e natali solo, nescius planè illius sedis, quam deinceps habiturus esset. Quod quidem insigne fuit & laudatissimum fidei in promissiones divinas testimonium, & ad revincendam hominum infidelitatem, cum Deo veluti nundinantium, sanè commodissimum: prout narratur Genes. 11. & principio 12. ei dixisse Dominum; *Abi in eam terram quam monstraturus sum tibi*, tamquam si dixisset Dominus: Non est cur solicitè inquiras; sed tantùm acquiescito. Secundò narratur fides de hereditate promissa, & incolatus illius per fidem: itémque Isaaci & Jacobi posterorum ejus brevitatis causa conjungitur. Quo in argumento fides eorum duobus nominibus præcipuè commendatur, nempe a modo incolatus illius; & a causa, propter quam eo modo inquilini esse non dubitaverunt in ea regione, cujus hereditatem ex promisso suam esse minimè dubitabant. Modus est duplex; unus, quòd regionem, quam ex promissione Dei suam esse noverant, perinde incoluerunt, ut advenæ & peregrini alienam, séque peregrinos in ea esse professi sunt, ut Abraham loquitur Gen. 23. 4. & sic de ceteris. Alter, quòd in tabernaculis habitaverunt: quod signum fuit hominum pedem in regione illa minimè defigentium: ut qui non tantùm se exteros esse profiterentur, quando se cum indigenis comparabant; verum etiam, ubivis terrarum essent, peregrinari se agnoscerent, testatúmque facerent ultro se a Domino & patria sua justa absentes esse. Atque hic secundus est locus nimirum causa incolatus hujusmodi, quæ versu 10. exprimitur. Nam, inquit Apostolus, non hærebat tabernaculis quæ sine fundamento sunt, & ad tenues paxillos fixos refixósq; alligantur, ponuntur, deponuntúrque pro voluntate migrantium; neque hærebat terræ illi promissæ sacramentaliter possidendæ, qua æquè indigenæ atque ipsi advenæ communiter fruebantur, si a sacramentali usu & ratione discesseris: sed exspectabat civitatem illam, quę habet fundamenta, id est, fundatissimam ac proinde ἀσάλευτον, sive inconcussam, ut appellatur infrà 12. 28. melioremque patriam, hoc est, cœlestem, ut versu 16. proximè exponitur. Hujus verò civitatis, ad quam Patrum respexit fides, dignitas non solùm a fundamentis immotis illius, ut aliquot locis prædicavit Psaltes; Psal. 87.
verumetiam a curatoris & conditoris præstantia summoperè est commendabilis. Quam præstantiam author his verbis denotavit; *Cujus civitatis artifex & conditor est Deus*: quia eodem artificio curat civitatem hanc quo ipsam condidit, id est, infinita providentia sua & admirabili. Tertiò narratur Abrahami & Saræ fides de promissis heredibus, ad quos hereditas erat perventura. Sic enim accipio loquutionem illam, πίστει καὶ αὐτὴ Σάῤῥα: tamquam si dixisset Apostolus; Fide Abraham, & ipsa quoque Sara cum illo, &c. De hac autem fide promissionem

nem heredum ſpectante, ſimiliter exponuntur duo; factum & eventus. Facti duæ ſtatuuntur partes, veritatem promiſſionum Dei,& magnitudinem illorum fidei oſtendentes; una, quòd Sara quoque,ut Abraham ex promiſſione vim accepit divinitus, qua ipſa quoque ſemen excrearet, & ex coagmentato utriuſque ſemine fœtum conciperet. Sic enim propriè accipio, & ſine figura ulla, hanc loquutionem qua author utitur, εἰς καταβολὴν σπέρματος :quemadmodum etiam Auguſtinus lib. 16. de civitate Dei, cap.18. & alii interpretati ſunt. Neque me deterret ab hac interpretatione aut Ariſtotelis, quamvis acutiſſimi Philoſophi, aut aliorum ὁμοψήφων authoritas, ne illud ſentiam. Nam rationes quas adducit, mihi quidem eæ non videntur eſſe, quas certis rationibus alii nequeant refellere; & verò medici plerique jam olim refellerunt: & illa ipſa definitio ſeminis, qua author ille utitur, dogma ipſius fermè labefactat, quum σπέρμα definit eſſe τὸ ἐξ ἀμφοτέρων τὰς ἀρχὰς ἔχον τῶν συνδυασθέντων. Altera pars facti eſt,quòd præter conditionem ætatis peperit mulier nonagenaria, ut Deus promiſerat,& promittendi Abraham arriſiſſe legitur Geneſ. 17. 17. cujus facti quaſi inſtrumentum fuiſſe fidem,ampliùs confirmaturus author,has voces adjicit exegeticas; eò fuiſſe factum, quòd eum qui promiſerat fidelem judicaverit. Hæc autem verba ad Abrahamum quidem referri poſſent, ſi quis diſertum ex Moſe teſtimonium hujus rei poſtularet: ſed quia hoc verſu potiſſimùm de Sara agitur, etſi in poſtremo illo congreſſu Domini, antequàm Sara conciperet, tantum abfuit ut ſimplice fide primò amplexa ſit promiſſiones illius, ut contrà in reprehenſionem a Deo incurrerer, Geneſ. 18. 13. tamen mihi non eſt dubium, quin poſteà melius & divina illa reprehenſione & privato ſermone a viro inſtituta cùm de præſentia Jehovæ ſermonibúſque illius, & judicio confirmata poſtridiè conſequuto, Geneſ. 19. & ſua pietate & aliis fortè modis adducta in hanc fidem acquieverit promiſſioni, & eum qui promiſerat, ut hoc loco dicitur, fidelem judicaverit. Ac propterea Iſaac non ſolùm Abrahamo; ſed Saræ quoque datus eſt, promiſſionis filius, quum ipſam viſitavit Deus, quemadmodum priùs futurum dixerat. Eventus autem, quem hæc fides conſequuta eſt, exponitur verſu 12. nempè quòd propter eamdem fidem, quæ de Sara modò prædicata eſt ab uno patre multarum gentium Abrahamo, eóque emortuo, ſi naturæ conditionem ordinariam ſpectes, nempe centenario, geniti ſunt heredes innumeri: prout in ſingulis fermè ſuis promiſſionibus Deus fore pronunciaverat, ſimilibúſque duobus oſtenderat; ſtellarum in cœlo & arenæ in litore, Geneſ. 13. & 15. & ſequentibus. Quartò, poſt documenta fidei, a vocatione prima & promiſſionibus hereditatis heredúmque perceptis propoſita, ſubjicitur generalis quædam propoſitio de Abrahami aliorúmque ſanctorum Patriarcharum fide, quam toto vitæ ſuæ curriculo coluerint, & profeſſi fuerint, verſu decimotertio, & profeſſionis hujus declaratio ſubditur tribus ſequentibus, ne poſteà ſæpiùs inculcari eamdem oporteat. Conſtantis illius fidei & per totam ipſorum vitam ad extremum uſque Spiritum in ſanctis illis Patribus permanentis propoſitio eſt, his verbis: *Secundùm fidem hi omnes mortui ſunt*, pro eo quod eſt, in hac ſancta veraque fide ad mortem uſque ſibi conſtiterunt. Deinde verò conſtantia hæc amplificatur aliquot argumentis; quæ nemo mediocriter verſatus in hoc argumento poteſt ignorare, ſi modò veſtigia Apoſtoli eodem ordine

verborum sequi voluerit. Nam primùm fidei robur eo ostenditur, quòd *promissa nondum acceperant*, sive temporalia promissæ terræ, sive spiritualia promissi & exhibendi Christi; sed ea solum e longinquo & in futurum conspicabantur fide: Secundò, quòd persuasi erant, & in sua hac fide virtute Dei confirmati: Tertiò, quòd *salutaverant*, id est, quasi in transcursu tantùm licuerat ipsis degustare amplissimas illas promissiones, quas prehendebant fide; prout sub finem hujus capitis ampliùs exponitur: Postremò quòd *profitebantur se hospites & advenas esse in terra*, etiam coram gentibus alienis a fide; quia ipsos non pudebat Euangelicarum promissionum Dei, quin testarentur palàm se ali amplissimarum promissionum illarum exspectatione, pro certo habentes nunquam futurum esse ut spes ipsorum in Deo locata confundatur. Hujus autem professionis testimonia apud Mosem exstant de Abrahamo, Genes. 23.4. ut antè diximus: de Isaaco, Genes. 26. de Jacobo, 47.9. & alibi. Hanc verò professionem peregrinitatis ad fidem ipsorum respexisse exponit Apostolus 3. versibus proximè sequentibus. Primùm enim sic argumentatur 14. versu: Qui se hospites & advenas esse in terra profitentur, *palàm ostendunt se patriam quærere.* Hi autem constanter illud professi sunt, ut modò ostendimus ex Mosis testimonio; Patriam igitur non obscurè suam quæsiverunt. Hunc autem prosyllogismum sequitur alter dilemmaticus. Nam potuissent alii objicere, Certè quidem quæsiverunt illi patriam suam, sed eam videlicet ex qua exiverant. Itaque respondet author, Aut suam illam quæsiverunt ex qua exierant, aut alteram meliorem: Suam autem illam ex qua exiverant, minimè quæsiverunt: Nam *si meminissent illius ex qua exierant*, & ad eam respexissent quum se peregrinos & advenas profiterentur, *habuissent tempus ad revertendum*, & commodè, ut qui diu vixerunt, per tempus reverti eò potuissent. Non sunt autem reversi: Illius ergo non meminerunt, quum ista profiterentur, versu 15. Conficitur ergo eos meliorem patriam expetivisse, quàm ea sit unde exiverunt, versu 16. id est, non terrestrem aliquam, ut quæ erat in Babylonia; sed cœlestem illam, cujus artifex & conditor est Deus, ut antè dictum est. Atque hic quidem fidei locus ex correlativo (ut vocant) ampliùs confirmatur verbis sequentibus, quum Spiritus sanctus dicit, *Quapropter Deum non pudet illorum, quin vocetur Deus ipsorum*; tamquam si diceret; Commune officium est, ut tum qui cives sunt civitatis Dei profiteantur civitatem suam, tum Deus profiteatur cives ad civitatem suam pertinentes. Hos autem Deus professus est; nec horum puduit ipsum, quin Deus ipsorum vocaretur. Optimo igitur jure patriam illam suam & civitatem quæsiverunt; cujus se cives esse, & fide sua sentiebant, & professione Dei in dies confirmabantur, qui reipsa urbem illis receptúmque paraverat ex hac peregrinatione. Quintò his omnibus fidei, qua Abraham fuit præditus, documentis luculentissimum adhibetur testimonium, ac velut signaculum, versu 17. & sequentibus, quum sanctissimum illud Abrahami narratur obsequium, de quo Gen. 22. legitur. Hoc autem opus fuisse fidei ostendit Apostolus, illius facti cum fide, quam ad factum hoc erat opus adesse validissimam, comparatione. Factum narratur his verbis; *Fide Abraham, quum tentaretur, obtulit Isaacum*: amplificatúrque sequentibus, a persona primùm quidem oblati, *unigenitum, inquam, illum obtulit*: deinde a persona offerentis, *is qui promissiones acceperat.* Postremò a circumscriptione promissionum istarum, nempe quòd non quasvis

promissiones aut generales accepisset; sed singulares, definitas, & ad Isaacum particulariter respicientes, versu 18. *cui dictum fuerat*, ait Apostolus, *In Isaac vocabitur tibi semen*. Hujus ergo facti amplitudine, fidei quoque veritas & amplitudo ostenditur 19. versu, partim ab efficacia fidei; partimque ab eventu, quo tam insignem fidem muneratus est Dominus. Efficacitatem hæc verba ostendunt, quibus Abraham secum *reputasse* dicitur, *Deum vel ex mortuis excitare posse* illud promissionis semen; ac proinde veritatem suarum promissionum quocunque modo effecturum. Eventu autem, quòd secundùm quamdam similitudinem Filium suum oblatum Domino, & morti traditum, ex mortuis quodammodo recepit per benedictionem Dei. Quintum exemplum est Isaaci; qui non solùm eadem fide qua Abraham, promissiones conspicatus, séque hospitem & advenam in terra professus est; sed etiam (quod ampliùs est) earumdem promissionum fiducia & per singularem testificationem Spiritus benedixit filiis suis de rebus futuris, Gen. 27. & res olim eventuras non secus pronunciavit, quàm si in rem præsentem eos deduxisset; nimirum substantiam habens eorum quæ sperantur, & rerum quæ non videntur argumentum. Sextum exemplum eodem modo se habet: quum *Jacob moriens* dicitur *per fidem singulis filiis Josephi benedixisse*, quando rem narravit longo post intervallo factam, & per sortes hereditatem distributam ita assignavit liberis, ac si coràm in consilio Josue Seniorúmq; per quos terra divisa est, omnia dispescuisset. Unum verò singulare fidei documentum est, quòd Jacob decrepitus senex, quum filiis ejus enunciaret Dei verbis ea quæ certa fide a Deo didicerat; non destitit omni conatu & nisu corporis, quamvis infirmissimi, ostendere quanta fide & religione illas promissiones Dei cùm ipse acciperet, tum posteris suis accipiendas & fruendas traderet: cujus rei signum illud fuit, quòd bonus senex jam clinicus factus & laboribus ac ætate fractus, e lecto utcumque poterat exsurgeret, adhibitóque scipione corpus suum, quàm maxima commoditate poterat, brachio sustentaret, ad studium suum in Deo adorando & colendo testificandum liberis. Quam rem qui non animadverterunt, ii immeritò Septuaginta Interpretes hujus loci nomine, & hunc authorem ipsum ausi sunt flagellare. Nam utrumque verum est, si ad rem ipsam attendamus; tum pium hunc senem adoravisse incumbentem quodammodo cervicali lecti sui, ut quasi ex dimidio staret: tum etiam inter adorandum scipionem manu tenuisse, ut commodiùs, quum opus esset, infirmum corpus suum surrigeret, aut flecteret arbitratu suo. Id quidem negare nolim, hæc verba ab illis Septuaginta sub finem capitis 47. Genes. fuisse posita pro illis quæ Moses dixerat, *adoravisse Israëlem ad cervical lecti sui*; & facilem fuisse lapsum (si lapsus dicendus est) in Hebræa lingua, ut pro cubili baculus aut virga substitueretur. Sed mihi tamen non videtur probabile, aut ita hallucinatos esse LXX. illos omnes, ut eum locum tam oscitanter, & sine judicio ita mutaverint, aut imprudentem illorum mutationem Apostolus ad Hebræos scribens, temerè sequutus sit: Quin potiùs cùm illos hujus mutationis authores judicio certo sic interpretatos arbitror, tùm eadē mutatione usum esse cum judicio hunc authorem nostrum, vel potiùs interpretationis modo, quemadmodum suprà ostendimus. Duæ quæstiones incidunt: prior, unde igitur habeatur illud, quòd Jacob baculo nixus fuerit; posterior, quo modo hoc de Jacobo moriente dicatur, cùm ille locus Gen. 47. pertineat ad tempus aliquod

aliquod antecedens mortem illius. De priore ita respondemus; Constare ex analogia eorum quæ de Jacobo præterea narrantur sub finem Geneseos, seni fuisse baculum aut fulcrum commoditatis causa adhibitum. Nam primùm eò pertinent illa verba ver. 29. ejusdem capitis, *quum propè essent dies Israëlis ut moreretur*: item Gen. 48. 2. illa, *Confirmavit se Israël, ut sederet super lectum suum*: itémque Geneseos 49. 33. *Recepit pedes suos ad lectum*, &c. Ex quorum comparatione facilè colligimus, Jacobum ex infirmitate maxima corporis laborantem omnibus commodis instrumentis fuisse usum, ut partes veri Patrisfamiliâs & pii maximè in causa Religionis, coram filiis suis exhiberet: Ac propterea confirmavisse suum illud infirmum & exsangue corpus etiam baculo adhibito, quandocunque aut Dei verbis filios compellaturus, aut Deum pro se filiisque suis invocaturus esset; Denique si non ut voluit, saltem ut potuit, se comparavisse. Hanc autem analogiam, & analogicum interpretationis modum, alibi quoque in Scripturis frequentari, suprà in caput 10. ostendimus. Ad posteriorem verò quæstionem hæc responsio est, præsens participium, *moriens* hoc loco habere paulo pòst futuri significationem, ut apud Hebræos est frequentissimum: Illa autem omnia, quæ tribus capitibus inde a fine capitis 47. Geneseos exponuntur; eo tempore fuisse gesta quo Jacob appropinquare ad mortem videbatur (ut ibidem διαιρέδην narrat Moses) quamvis singula suo intervallo gesta sint; cúmque in singulis narrationibus illis, res divinas vel divinitus sibi inspiratas Jacob pronunciaverit, non dubium esse quin stans pro modulo suo partes Prophetæ in familia sua obierit: quemadmodum stantes olim constat incubuisse rebus religiosis, ut multis Scripturæ sacræ exemplis in eos ipsos locos, & alibi quoque ostendimus. Hoc autem fecit Jacob non semel, sed sæpius; nempe quoties his religiosis actibus operam dedit; etiam in illo extremo actu, quum benedictione in omnes filios pronunciata pedes suos in lectum recepisse dicitur Genes. 49. 38. Quapropter etiam commodè hæc adoratio postremo narrationis loco de Jacobo posita est, quia hic postremus actus vitæ, quum Jacob exspiraturus esset, exstiterit. Septimum exemplum est Josephi: cujus fides duobus documentis ostenditur, prædictione gratiosæ liberationis, quam Israëlitæ erant a Deo adepturi, & mandato testamentario de ossibus ipsius ex AEgypto in terram promissam exportandis; quę duo indubitata fuerunt argumenta illius fidei, qua Joseph promissiones Dei amplexus est; & quidem eò maximè, quòd æquè hic, ut Pater ipsius, moriens habuit sermones ejusmodi: quandoquidem ultimæ voluntates apud liberos religiosè, apud omnes verò in summa authoritate sunt. Octavum exemplum est de parentibus Mosis versu 23. quorum fides duobus testimoniis hoc loco evidenter ostenditur: uno, quòd illorum opera Moses, quum natus esset, occultatus est tres menses, eò quòd viderent scitum esse puerulum, ut narratur Exodi 2. altero, quòd non metuerunt sibi ab edicto Regis, quominùs puerulum in speciem expositum curarent observari, tamquam posteà recepturi & ampliùs educaturi, prout majore ipsorum commodo post illud factum divinitus obtigit, ut ibidem exposuit Moses. Hîc verò objectio una adferri potest: nempe non videri hoc per fidem a parentibus Mosis fuisse factum, cùm disertè Mosis illic, & hîc Apostolus testentur eam rem a parentibus fuisse factam, quòd *viderent scitum esse puerulum*, aut certè quòd videret Mater. Sic enim argumentari possunt, qui

hunc locum de fide conantur evertere. Si propter speciem infantis occultaverunt ipsum, non propter fidem: Propter speciem autem, fecisse Scriptura dicit: Non igitur propter fidem. Responsio est, veram fore argumentationem, si disjunctiva illa esset ἄμεσος, aut illa membra ἀσύστατα, ut justa ratio disjunctionum postulat. Non esse autem ἄμεσον vel ex eo ipso ostendimus, quòd utrumque, fides inquam, & species, ab Apostolo conjungitur. Nam alioqui si quis causam rogaverit, cur parentes puerulum occultaverint; nemo negaturus est, quin plus una causa fuerit, & plures simul concurrerint. Primùm enim, naturalem parentum in liberos στοργὴν fuisse in illis omnes confessuri sunt: secundò etiam ex eadem στοργῇ id consequutum esse, ut bellus & scitus puer parentibus suis videretur; ut etiam de ea re sunt in ore vulgi proverbia. Tertiò fidem quoque his naturalibus causis accessisse, qua in studio illo suo ampliùs confirmarentur. Sed quum mater dicitur a Mose, aut parentes ab Apostolo, vidisse scitum esse puerulum, ut etiam Actorum 7. narravit Stephanus; hic demum quarta indicatur causa, cur parentes ampliùs de occultando puerulo fuerint soliciti: nempe quòd ex ipsa specie divinitùs huic puero indita, testimonium divinum perceperunt, non humana quadam stultitia aut indulgentia, sed divina inspiratione, puerum illum ad bonum aliquod & grande opus ipsis a Deo fuisse datum. Per fidem igitur occultaverunt, vel eo nomine, quòd per fidem animadverterunt scitum esse puerulum; & divina quædam signa tamquam emicantia in vultu ipsius observarunt. Fortasse etiam dubitationem illud injicere posset imperitioribus, quòd dicit Apostolus parentes *non timuisse edictum Regis*, quum tamen non nisi ex timore expositus ab illis fuisse videatur. Responsio est, utrumque verum esse. Nam quòd hoc loco non timuisse dicuntur, id secundùm quid, ut loquuntur, vel comparatè dicitur; nempe quòd ita non timuerint, ut metu edicti illius a fide in Deum, officióq; fidei in puerulum discesserint. Timuerunt ergo ex infirmitate; non timuerunt ex fide; quæ ejecit timorem, fecitque ut parentes in fide confirmati hoc officium puero exhiberent; non projiciendi in rivum ut Pharao imperaverat Exod. 1. sed simulandi; cum tamen puerum in capsa optimè oblita rivo imposuissent, puellámque e longinquo custodem adhibuissent ad cognoscendum quid fieret eo; id est, observandum quid aut Deus per alios facturus esset, ut fecit, quam occasionem pueri clàm recipiendi oblaturus, aut quid ipsis imperaturus faciendum. Nonum exemplum est Mosis, versu 24. & sequentibus. Quo in exemplo tria sunt ad confirmationem fidei pertinentia capita: primum, de cruce voluntaria; secundum, de necessaria cruce, atque imposita alieno facto; tertium, de liberatione per beneficium Dei. Crucis voluntariæ per fidem susceptæ a Mose, narratio est tribus in versibus; continens factum, & causam illius. Factum versu 24. his verbis proponitur: *Fide Moses jam grandis factus renuit filius vocari filiæ Pharaonis.* Quorum verborum sententia ita est evidens, ut nostra interpretatione non egeat. Nam hæc planè cum ea narratione conveniunt, quæ habetur Exod. 2. 10. & sequentibus. Causa verò illius facti sequentibus versibus exponitur: Primùm quidem ἀπὸ τῆς προαιρέσεως, id est, consilio & electione certa: Secundò a judicio certo, quod illam προαίρεσιν moderatum est: Tertiò, a fide in Deum, quæ sola est indubitata regula & minimè fallax consiliorum judiciorúmque omnium, quibus pios uti necesse est. Electionem his verbis designat Apostolus versu 25.

quòd

quòd *potiùs elegit Moses malis affici unà cum populo Dei*; & participare temporarias afflictiones illius cum pietate & justitia, *quàm frui commodis* illis temporariis *peccati*, quibus abundabat quum filii loco esset filiæ Pharaonis. Hujus autem electionis consiliiq; fundamentum est verum illud judicium quod narratur posteà versu 26. nempe quòd Moses *duxit probrum Christi*, id est, Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, & in qua jam tum perpetiebatur Christus, *majores divitias esse, quàm omnes eos thesauros qui in Aegypto essent*: Quia verò in rebus humanis nihil est tam paradoxum, quam hoc ipsum iudicium, quod Moses fecisse dicitur; nempe ejusmodi probrum Christi majores divitias esse quàm thesauros mundi: propterea ostendit Apostolus, quomodo majores hæ divitiæ sint illis quas tanti mundus æstimare solet, dicens: *Intuebatur enim in illam retributionem præmii*, cujus facta est mentio suprà vers. 6. tamquam si diceret: Quibus certa est amplissimi præmii retributio, quòd nulla ratione, nullaque temporis injuria interverti potest, eorum felicius est probrum & beatior occupatio, quamvis laboriosissima; quam vana & incerta, adeóque certò ruitura ad præsens tempus tranquillitas. Ita est autem eorum conditio qui fide ambulant, & in retributionem illam præmii quod solus Deus præstare potest, intuentur. Horum ergo probrum felicius. Hoc autem fecit Moses constantissima fide, judicio firmo, & electione sive προαιρέσει sanctissima: Beatum igitur illum, qui tam certo consilio, judicio, & fide voluntariam crucem subiverit. Jam de adventitia & aliundè imposita cruce videamus. *Per fidem*, inquit author, *reliquit Aegyptum, quum non timuisset iram Regis*. Hujus versus variat interpretatio. Etenim plerique in eam sententiam acceperunt, tamquam si his verbis ageretur de exitu ex Aegypto, quum duce Mose populus manu Dei liberaretur a servitute Aegyptia. Sed hæc interpretatio mihi placere non potest: primùm, quia hac ratione ab ordine temporis, quem religiosè hactenus servavit author, & deinceps retinet, discedítur: Deinde verò, quia idem exitus populi ex Aegypto, altero pòst versu seorsim narratur in argumentis fidei. Quæ cùm ita sint, omnino in eam sententiam venio, hic notari priorem illam migrationem & discessum Mosis, quum ex Aegypto fugiens sese in agrum Madianitarũ contulit. Nam etsi Moses timuisse dicitur, & Pharao audito facto illius quæsivisse ad interficiendum ipsum, & Moses ipse a conspectu illius profugisse, Exodi 2.14. 15. non dubium est tamen, quin etiam fide instructus (ut suis quoque discipulis præcepit Christus Matth. 10.) fugerit, & se aliò receperit Deo duce, quum præstandæ vocationis suæ in Aegypto per illud tempus non videret locum, ut ex narratione Stephani Actor. 7. satis intelligitur. Nec obstat, quòd hoc loco inquit Apostolus ipsum *nihil timuisse iram Regis*, contra quàm Exodi 2. fugisse Moses a conspectu Pharaonis dicitur. Nam utrumque verum est, quia diverso respectu dicuntur ista; Hic, quòd Moses nihil timuerit, illic, quòd fugerit a conspectu Regis. Cùm hic nihil timuisse dicitur, alterum est fidei, qua Moses instructus erat, argumentum, tamquam si diceret Apostolus: Duobus modis fidem suam Moses testatam fecit, primùm rebus in Aegypto gestis, deinde migratione ex Aegypto. Rebus gestis: quia videns Hebræum ex fratribus suis iniquè oppressum, non ita sibi metuit ab ira Regis, quin divinæ vocationis conscius apud se fratrem injustè oppressum ulcisceretur, existimans fratres suos intelligere (ut ait Stephanus) Deum per manum ipsius jam dare salutem eis. Migratione; quia qua fide cœperat

rat aggredi Ministerium suum, eadem fide ab illo destitit, & se contulit aliò jubente Domino ad tempus, donec ad eamdem vocationem cœptam mandato Dei revocaretur. Causa verò hujus facti, inquit Apostolus, non alia quàm fides adferri potest. Nam quòd reliquit AEgyptum, quòd illud exsulium constante animo toleravit, exspectavitque mandati à Deo redintegrationem; id fide perfecit, ut eorum quæ non videntur argumento; quandoquidem videbat eum qui est invisibilis, id est, Deum authorem & vocationis ipsius, & fugæ. Unum obstare videtur huic interpretationi: nempe quòd Græcum illud participium, φοβηθεὶς, tempore plusquàm perfecto reddimus, quod fortasse novum aut inauditum nonnullis esse videatur. Sed si veritatem historiæ cum usu Græcorum recepto comparaverint, non mirabûtur hæc ita a nobis accipi. Sic enim historia postulat, & fert communis usus ratióque illius temporis, cujus exemplum (ne longiùs abeamus) eodem planè modo positi participii habetur infrà versu 31. quum Rahab dicitur non periisse cum immorigeris, δεξαμένη, id est, postquàm exploratores recepisset. Tertium fidei, qua Moses fuit præditus, argumentum est versu 28. quòd ipse post gravissimas Regis Aegyptii interminationes, omnibusque furentibus, cùm suam ipsius fidem *Paschatis observatione & sanguinis profusione* testatam fecit: tum universum populum, quamvis plus satis contumacem, ex Dei mandato adduxit ad eamdem observationem, ut Exodi 12. legimus. Qua in re non solùm fidei obsequium, quòd imperanti Deo paruerint, est commendabile; verumetiam finis obsequii, quem sequentibus verbis perstringit Apostolus: putà *postes sanguine aspersos esse* in domibus Israëlitarum, *ne is qui per voluntatem Dei peremturus erat* omnia Aegyptiorum *primogenita, ipsos attingeret*: Quà ex fide id consequutum est, ut Israëlitæ omnes incolumes ex Aegypto proficiscerentur. Atque hoc decimum est fidei exemplum versu 29. Mosis & Israëlitarum commune: qua fide eodem momento duo consequuta sunt; miraculosa populi Dei salus, transeuntis rubrum mare veluti per siccum; & hostium ejus, quum ad tantum miraculum non resipiscerent, exitium lamentabile. Undecimum fidei documentum est similiter in populo toto editum, quòd *quum mœnia Jericho dies septem circuivissent per fidem*, id est, instructi fide qua Deo imperanti obsequebātur & amplectebantur promissiones ejus mandato cōjunctas, ea repentè corruerunt: quod beneficium numquam Dominus in popolum suum fuisset collaturus, nisi promissiones ipsius per sacerdotes populo significatas fide amplexi essent. Restat duodecimum de Rahab, cujus historia habetur Josuæ 2. éstque per se evidentissima. Una hîc tamen quæstio moveri potest, nimirum de eo nomine πόρνης, id est, meretricis, quod Rahabæ tribuitur. Existimant enim plerique injuriam Rahabæ in novo Testamento fieri, tum hîc, tum Jacobi 2.25. quòd meretrix appelletur, cùm Hebræum nomen (ut testis est Chaldæus Paraphrastes & Hebræi interpretes non pauci) mulierem cauponam, ac non meretricem significet. Verum falluntur ii, qui propter Chaldæi illius aut Judæorum interpretationem non dubitant hos locos eludere. Nam est quidem Hebræum nomen, ut illi volunt, non incommodè traductum ad mulieris cauponæ significationem; ex eo quòd obsonia parat viatoribus & hospitibus, quæ obsonia affini quadam radice apud Hebræos denotantur: Neq; dubium est quin hac interpretatione sua Chaldæus, & alii putaverint se honestati populi Judæorum & Rahabæ existimationi atque honori consulere,
dum

dum odiosam illam significationem fugerunt. Sed cùm propria radix nihil aliud propriè significet quàm scortari, & nomen Hebræum ex illa affini radice nusquam hac forma exstet, ubi vel probabiliter in eo significato accipi possit; equidem non video, cur magis sit necesse propriam radicis significationem & communem nominis Hebræi usum eúmque perpetuum in hoc argumento abjicere; quàm de Rahaba confiteri quod propria vocis notatio postulat, peccatricem fuisse, & scortationi dedisse operam. Quam ad rem certè non incommoda est earum functio quæ hospites exteros accipiunt, & quæ quæstum faciunt cauponaria; unde etiam Græcis πανδοκεῖς & πανδοκεύτριαι appellantur, ut Chaldæus vertit Græca appellatione. Nam ex Hebræo verbo quod propriè est scortari, propriè appellantur scorta *Zonoth*: ex eo autem, quòd plerumque cauponæ ex frequente viatorum congressu insolentes factæ efficiuntur meretrices, & non solùm communi tecto, verumetiam lecto accipiunt eos, fit ut cauponæ καταχρηστικῶς meretricum nomine designentur. Neutrum verò Jerichunte probrosum fuit. Quòd si honori fœminæ hujus consultum voluerunt; attamen potior est veritatis ratio: cùm neque Christum generis hujus puduerit, Matth. 1. neque sit obscurum ubi peccatum abundat, ibi superabundare gratiam, & illustriorem Dei misericordiam elucere.

32 Et quid prætereà dicam? Nam deficiet me tempus, si narrem de Gedeone, & Baraco, & Samsone, & Jephthe, Davidéque, & Samuele, ac Prophetis:

33 Qui per fidem debellarunt regna, exercuerunt justitiam, consequuti sunt promissa, obstruxerunt ora Leonum;

34 Extinxerunt vim ignis, effugerunt acies gladii, confirmati sunt ab infirmitate, facti sunt validi in bello, exercitus exterorum fuderunt:

35 *Per quos* mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos; alii verò tormentis enecti sunt, non accipientes liberationem hanc, ut meliorem illam resurrectionem consequerentur:

36 Et alii ludibria flagelláque experti sunt, etiámque vincula & carcerem:

37 Lapidati sunt, serra dissecti sunt, cremati sunt, gladio cæsi occubuerunt, oberraverunt induti ovillis, induti caprinis pellibus, destituti, oppressi, malè habiti:

38 Quibus non erat dignus mundus, in desertis errantes, & montibus ac speluncis, cavernísque terræ.

39 Atque hi omnes testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promissum illud:

40 Nempe quòd Deus de nobis melius quiddam providisset, ne absque nobis consummarentur.

SIngularem documentorum ab exemplis fidei Narrationem, sua sequitur conclusio διὰ παραλείψεως, quum Apostolus inquit, *Et quid prætereà dicturus sum?* deinde causam illius præteritionis exponens, quòd *tempus ipsum esset defecturum*, si narrationem accuratam de singulis vellet instituere; Ac cumulatione utitur, primùm quidem personarum, versu 32. tum etiam rerum gestarum, 6. versibus sequentibus; Postremò autem eventorum; qua ratione transitus comparatur ad sequentis capitis argumentum, duobus versibus ultimis. In persona-

rum accumulatione plana sunt omnia. Etsi,ut in transcursu dicam,non possum satis mirari eorum hominum audaciam,quamvis pietatem colentium, qui perinde Baraci,Samsonis, & Jephthæ historias accipiunt, ac si omnia quæ gesserunt, carnali potiùs studio & secundùm hominem, quàm fide & pietatis conscientia secundùm Deum gesserint: cùm Apostolum hoc in loco videamus optimum certissimúmque vindicé & assertorem esse fidei illorum a judiciis ejusmodi. Rerum gestárum accumulatio duas habet partes:quarũ una mirificas actiones continet,quibus fidem illorum Deus contestatus est : altera perpessiones gravissimas, quibus illi coram Deo, Angelis,hominibúsque intrepidè contestati sunt fidem suam,& in ea constanter perseveraverunt. Actionum duo sunt genera; unum quòd res omnes adversas, ut fortes milites Christi,etiámque *regna debellaverunt*: Hoc enim synecdochicè accipio dictum: Alterum,quòd, *justitiam exercentes* in rebus bonis, sanctis,& justis se occupaverunt; hoc est,& res malas pietati & justitiæ adversantes oppugnaverunt,& propugnaverũt bonas. Ex eo studio eventus sequitur,quòd *assequuti sunt promissa Dei*, quę ad illud officiũ suum ex voluntate Dei & vocatione consummandum aut communibus legis promissionibus, aut singularibus Spiritus Dei revelationibus acceperant. Hujus dicti confirmatio deinde sequitur,in reliquis accumulationis istius membris : tamquam si roganti alicui,quomodo promissa assequuti sint? responderet Apostolus,se non hic agere de amplissimis illis promissis ad exhibitionem Christi in hac temporum plenitudine pertinentibus; sed de singularibus illis promissis, quę fuerunt illius temporis,prout res postulabant: cujusmodi ea sunt, quæ sequuntur posteà ordine : nempe quòd *ora leonum obstruxerunt*, ut de Samsone, Judicum 14.Davide,1.Sam.17.de potentioribus ejus comitibus; 2.Sam.23. & de Daniele,capite 6.legimus. Item quòd exstinxerunt vim ignis,ut Dan.3. exemplum exstat luculentissimum : tùm quòd *aciem fugerunt gladii, in rebus infirmissimis* divinitus *fuerunt confirmati, validi in bello facti,& copias exterorum fugaverunt*; quarum rerum exemplis pleni sunt Mosis,Josuę, Judicum,Samuelis,Regum, & Macchabæorum libri: Postremò quòd per illos vel fide illorum *mulieres mortuos suos acceperunt resurrectione*,ut Elias fecisse legitur 1.Reg.17.& Elisæus 2.Reg.4. Sequuntur perpessiones,invictæ piorum fidei & constantis indices; quarum tria sunt genera: primum est,tentationum mortem antecedentium,& pios ad defectionem sollicitantium: Secundum,mortis ipsius omne genus acerbissimæ: Tertium,fugæ miserrimæ. Tentationum mortem antecedentium tres modi hoc loco exponuntur; primus,tormentorum; secundus,illusionum dedecore quodam secundùm carnem conjunctarum; Tertius, vinculorum atq; custodiæ.De primo solummodò, quid sibi velit,ambigitur.Nos in hanc sententiam accipimus. Nomẽ Grecum τύμπανον dictum παρὰ τὸ τύπτειν,quòd est verberare,modò instrumentũ significat illud quod pulsatur,vel in quod pulsatur: modò instrumentum pulsans, id est,fustem ad pulsationem, cujuscúnque ea sit generis, accommodum. Instrumentum quod pulsatur, duobus modis accipitur. Nam aut lusionis est,cujus artifices tympanistæ vel tympanotribæ appellantur: aut tormenti est,quo utebantur carnifices.Erat autem hoc tormentum ejusmodi,ut reorum corpora distenderentur gravissimè,machina tractoria(quam Greci etiam γεράνιον appellaverunt) adeò ut miseri nullam corporis sui partem vel latum unguem movere possent; sed fusti-

gantium

gantium & pulsantium plagis in omnes partes essent expositi: quapropter etiam illud instrumentum a Græcis τύμπανον fuit nominatum. Eo autem tormenti genere veteres utebantur, sive ad quæstionem, ut docent Jureconsulti; sive ad necem, ut exemplum est 2.Maccab.6. sive ad extorquendam παλινῳδίαν & abnegationem fidei; ut testis est historia Ecclesiastica, Christianos olim ad fidem abnegandam, libellos cõscribendos, thus idolis adolendum, sacrificia facienda, legitima & ritus sacros contaminandos, & alia id genus, coactos esse: ex quo in Ecclesia vetere libellatici, sacrificati, thurificati, & si qua similia sunt nomina, dicebantur. De his verò sanctis hominibus, quos gravissima hæc tentatio exercuit, sanctissimè prędicantur verba sequentia, quòd *non acceperunt liberationem*, id est, non attenderunt ad cõditionem illam sibi promissam, fore ut dimitterentur & libertatem suam reciperent, si quidem vellent cedere tormentorum violentiæ: idque eo consilio fecisse, *ut resurrectionem meliorem assequerentur*, id est, eò quòd mallent sententia Dei in futuro judicio resurgere ex mortuis ad vitam æternam, quàm sententia hominũ carnificum in judicio isto perituro resurgere a præsentissima morte, cum veritatis divinæ & salutis æternæ ipsorum dispendio. Secundum genus, mors acerbissima his verbis describitur: *Lapidati sunt*, nempe tamquam anathemata, *serra dissecti sunt*; ut de Esaia ex Judæorum consensu scribit Hieronymus: *cremati sunt*; & igni traditi; *gladio occisi sunt*. Quorum suppliciorum innumera fuerunt exempla, & plenæ habentur historiæ. Id tantùm Lectorem moniturus sum, cùm verbum tentandi huic loco non satis commodè videatur convenire, multis nominibus; maximè cum utrumque circumstent verba certum aliquod genus mortis significantia; mihi omnium probari maximè, non ut expungatur, sed potiùs ut levissima mutatione pro ἐπειράσθησαν, quod est, tentati sunt, legamus ἐπυράσθησαν, quod est, cremati sunt, vel igni traditi, παρὰ τὸ πυράζεσθαι: quod verbum ne ipse quidem Homerus ignoravit. Tertius perpessionum modus est, fuga a persequutione legitima: de qua Tertullianus, Cyprianus, & alii scripserunt quam plurima. Ejus duo sunt genera: Nam aut de civitate in civitatem & de domo in domum fugiunt, quum fratrum est commoditas ad quos se recipiant, aut petunt solitudines, ubi nullus apud homines tutus comparet locus. Prius genus reliquo vers.37. Posterius sequente proponitur. Priori autem sua adhibentur incommoda, præter fugam; tùm in ratione vestitus, sive dissimulationis animo fiat, sive inopia & necessitate, quum *ovillis & caprinis pellibus* induti ambulant; tùm verò in ratione victus commodorúmque omnium ad vitam pertinentiũ, quia omnibus modis *destituti* dicuntur esse commodis, & malis *oppressi*; denique in genere ex omni parte malè habiti. Posterioris generis gravitas per se nota est satis, quum *in desertis, in montibus* horridis, *in speluncis & cavis foraminibúsque terræ*, id est, apud feras potiùs receptum habent, quàm apud homines: quorum impietas optimè exaggeratur his verbis; *Iis indignum fuisse mundum*, ac proinde sanctos illos homines ultrò à consuetudine illorum abstinuisse; cum neminem esse dignum pace ministerioque ipsorum deprehenderent: prout etiam discipulis mandavit Christus Matth.10. Nunc ad eventum illius fidei, qui ad caput sequens est μεταβατικὸς, veniamus. Eventũ igitur hunc illis obtigisse dicit Apostolus, quòd *testimonium quidem adepti sunt per fidem* eorum quę sperantur & quæ non videntur; sed tamen *promissionem* illud quod prehenderunt

fide

fide reipsa *non obtinuerunt*; ut qui Christum venturum & exhibendum crederent, ac non viderent (ut nos) exhibitum. Hoc autem sequente versu commodè exprimitur; quum hujus rei causam Apostolus ostendit esse consilium & providentiam Dei qui hæc nostra tempora ita dispescuit ab illis, ut prioribus illis etsi idem bonum fructu & substantia, ratione tamen & modo non tantum bonum contulerit. Id enim significatur illis verbis; *quòd Deus de nobis melius quiddã providisset*, nempe ratione & modo, *ne absque nobis consummarentur illi*, id est, consummatam sanctificationem gloriámque in Christo capite nostro adipiscerentur ante nos, ad quos pervenit temporum plenitudo. Etenim omnes quidem in se consummati fuerunt virtute Christi, etiam ante adventum ipsius fructúmque salutis in cœlis adepti sunt; sed longè præstantius illud est quod nunc assequimur, quum eamdem consummationem promissorum in nobis obtinemus, non solùm virtute Christi, & quidem (ut illi) exhibendi; sed communione & veritate exhibiti. Quo respectu illi quidem consummantur nobiscum; sed ante adventum Christi absque nobis non fuerunt consummati, cùm neque exhibitum reipsa in carne Christum, neque tantum communionis modum hîc, aut in cœlis tenere possent; sed in tantum mysterium, ut beati quoque Angeli, cuperent introspicere: 1. Petri 1.

Caput Duodecimum.

1 Proinde nos quoque, cùm tantam habeamus nubem testium circumstantem nos; posito omni pondere & peccato ad nos circumdandos proclivi, decurramus per patientiam propositum nobis stadium:

2 Aspicientes in ducem fidei & consummatorem Jesum, qui pro gaudio sibi proposito pertulit crucem, contemta ignominia, seditq; ad dexteram throni ipsius Dei.

3 Nam reputate animo eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum se contradictionem; ut ne fatiscatis remissi animis vestris.

4 Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum decertando:

Proverb. 3.

11 *Fili mi, ne spernas eruditionem Jehovæ: neque tædeat te correctionis ejus.*

12 *Nam quem diligit Jehova, corrigit; & quidem ut Pater filium, cui bene vult.*

5 Et obliti estis adhortationis quæ vobis tamquam filiis loquitur; Fili mi, ne parui facias castigationem Domini, neque remissus sis, quum ab eo argueris:

6 Quem enim diligit Dominus, eum castigat; & flagellat filium quemcumque accipit.

7 Si castigationem sustinetis, Deus tamquam filiis sese vobis offert: quis enim filius est quem non castiget pater?

8 Sin autem estis sine castigatione, cujus participes sunt omnes; ergo nothi estis, non autem filii.

9 Deinde castigatores habuimus eos qui patres sunt carnis nostræ, & reveriti sumus; an non multo magis subjiciemur Patri spirituum, & vivemus?

10 Etenim

10 Etenim illi ad paucos dies prout ipsis videbatur castigabant: hic verò ad utilitatem, ut participes simus sanctimoniæ ipsius.

11 Omnis autem castigatio, in præsens quidem gaudii non videtur esse, sed tristitiæ; posteà verò fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui fuerunt exercitati ea.

12 Quapropter remissas manus, solutáque genua surrigite:

13 Et rectas orbitas facite pedibus vestris, ne quod claudum est luxetur *ampliùs*; sed ut sanetur potiùs.

EXposita prima hortationis parte ad fidem & bonam conscientiam pertinente; nunc demum author venit ad secundam, quæ est de spe Christiana & confessione illius stabili retinenda, cùm nostri ipsorum sanctificatione, tùm omni officio ad sanctificationem nostram pertinente: qui secundus est locus prolepticæ illius hortationis, quam suprà 10.19.& sequentibus ostendimus. Hujus autem hortationis ad spem & stabilem confessionem ipsius, duæ sunt in universum partes: prior est, ut nos ipsi constanter in stadio illo & curriculo nostro spe certa ita nos geramus, ut fortes milites & athletæ pugilésque Christi: altera, ut ad idem officium alios & adjuvemus opere, & exemplo magis magisque provocemus. Quorum documentorum prius ad versum usque 13. posterius ad 24. usque exponitur: Postremò autem justus istarum rerum assequendarum ac præstandarum modus ostenditur, reliquo capite; Ac primùm quidem, locus ille primus, quo nos Apostolus ad veram confessionem spei nostræ hortatur studio operibusque sanctificationis nostræ, proponitur versu 1.& 2. deinde verò confirmatur versibus novem; & tandem concluditur duodecimo & 13. versu. Propositio hortationis est, ut cōstanter & per patientiam, qua animas nostras possidemus, in medio hoc certamine & agone Christiano, decurramus stadium nobis propositum: propositum autem, & providentia consilióq; singulari Dei, & vocatione nostra. Huic propositioni adjunguntur duo documenta: quorum unum est de modo & ratione hujus decursus nostri: alterum de argumentis illius. Modus est duplex: unus, ut nobis ipsis & iis omnibus rebus quæ a nobis sunt renunciemus, quod innuitur his verbis; *Abjecto omni pondere & peccato ad nos circumcingendos proclivi.* Nam quid aliud sumus, aut caro nostra, quàm pondus inutile? & quid aliud a nobis proficiscitur, aut nobis adhæret quàm peccatum? intus vivens, foris agens, & omnia, quamvis sanctissima, impuritate sua contaminans? Alter modus est, ut intueamur in Jesum, id est, oculos mentis nostræ certa spe in eum defigamus; ac non ad aliud quicquam in nobis aut extra nos respiciamus in salutis causa & sanctificationis ad salutem. Argumenta hujus hortationis sunt duo: unum, ab exemplis antecedentibus sanctorum hominum, qui in fide quamvis non obtinerent promissa plenè, tamen in hoc curriculo spem suam testati sunt constantissimè: quod argumentum his verbis innuitur, *Proinde nos quoque cùm tantam habeamus nubem testium circumdantem nos*, elegante metaphora innumeram piorum multitudinem cum nube comparantibus. Alterum argumentum est a persona Christi, propter exemplum, officium, & energiam operationémque ipsius. Exemplum: quòd ignominia, quam pro nobis & propter peccata nostra subiit, contemta ultrò pertulit mortem crucis, & nunc superata morte considet ad dexteram throni ipsius divini, tamquam spe sua non

frustratus

frustratus qua crucem & ignominiam in forma servi contemsit. Quod exemplum eo ampliùs Christianos debet afficere, quòd finem habet suavissimum, quia hæc omnia consummavit Christus pro gaudio sibi proposito, id est, ad gloriam illam cœlestem cum Ecclesia, tamquam cum suo corpore, cujus servator est, communicandam, & perficiendam in singulis membris illius. Officium: quia Christus dux est fidei nostræ, nempe, verbo prælucens nobis, opere præiens, & communione in nobis provehens salutarem ductum, quo ad metam decursus nostri contendimus. Energiam denique: quia est τελειωτὴς id est, consummator, sive perfector fidei nostræ, qui solus virtute sua præstat omnia quorum testimonium per fidem adepti sumus, & nos consummat in sese: ut sit Ecclesia complementum ipsius qui omnia implet in omnibus. Hujus hortationis confirmatio vel particularis applicatio proximè sequitur in versu 3. & sequentibus exponitur. Respexit enim Apostolus ad tacitam quamdam occupationem, qua poterant Hebræi sese excusare: quòd nempe tantopere mundus huic studio contradiceret, & cursui obsisteret. Propterea αἰτιολογικῶς in hunc sermonem ingreditur dicens; *Nam reputate animo*, &c. In hanc sententiam, Non frustra Jesum vobis proponens intuendum & res gestas ipsius, ducem & consummatorem fidei appellavi: *Nam reputate* cum animis vestris, *quisnam ille sit qui talem sustinuit contradictionem a peccatoribus adversum se.* Hic dux fidei, hic consummator est, hic in gaudio illo sibi proposito vivit, & nos ductu ac consummatione operis sui itidem collocaturus est. Quibus autem dux & consummator ille est, ii nullo jure possunt animos abjicere atque fatiscere. Hunc igitur reputate, ne fatiscatis. Exornatur hæc confirmatio, primùm a rebus anteactis, versu 4. Secundò autem ab authoritate Scripturæ & afflictionum usu ex Scripturæ documentis, versibus sequentibus. Prior locus a rebus antecedentibus, id tantum sibi vult: nondum Hebræos omni officio perfunctos esse, cùm tamen omnes teneantur abiicere omne pondus & peccatum quo implicati sunt. Posterior locus ab authoritate Scripturæ, iisdem fermè vocibus continetur, Proverbiorum 3. ut in parallelo diagrammate posuimus: si hoc exceperis, quòd verbum *tædet* a Sapiente positum hîc altero verbo ad evidentiam redditur, sine ulla deminutione sensus. Mihi autem videtur (etsi nulla veterum librorum authoritate id confirmari potest) versus 5, cum interrogatione legendus esse, ut oratio sit παθητικωτέρα, in hanc sententiam: Et propterea quòd aliquid sustinuistis, ut suprà capite 10. dictum est, nunc tamquam bellè perfuncti officio vestro, destituri essetis a cursu & certamine Christiano, & illam insignem adhortationem oblivioni tradituri? sive (ut Pauli utamur verbis) *Adeone amentes estis, cùm spiritu inceperitis, ut nunc carne perficiamini? tam multa passi estis frustra?* Adhortationis verò, quæ ex Solomone sumta est, partes duæ sunt; hortatio versu 5. & causa, 6: Hortationis membra duo sunt, unum ut castigatio Domini æquo animo accipiatur, non autem protervè contemnatur: alterum, ut in justo usu occupetur, non autem fatiscamus & animis abjectis nos sinamus frangi afflictionibus. Causæ similiter adferuntur duæ, cur Deus castiget: una ut castigatio sit amoris ipsius erga nos documentum: altera, ut sit documentum salutis, ad quam gratuito ipsius amore per castigationes deducimur. Has duas causas ordine exponit author, & Hebræis applicat: Priorem, versu 7. & 8. posteriorem, tribus sequentibus. Amoris documentum

per

per hypotheticam antithesin explicat Apostolus, cujus antitheseωs membra singulis versibus continentur. Usus verò castigationum duobus modis ostenditur; primùm a simili, secundò ab eventu vel fine castigationum. Simile est vers. 9. *Habuimus patres castigatores carnis nostræ, eósque sumus reveriti*, id est, ad officium adducti ipsorum reverentia: annon multò magis subjiciemur ei qui pater est Spirituum, eósque justitia consummata donat (ut postea dicitur versu 23.) & vivemus? Ex hoc simili, ad finem consequentem ex afflictionibus transitur commodè, in versu decimo, ubi & modus & finis castigationum comparatur ad ampliorem hujus loci declarationem. Nam, inquit Apostolus: *Sunt quidem omnes castigationes ad paucos dies*, quapropter eò ampliùs danda nobis est opera, ut in patientia eas decurramus; sed tamen eò differunt inter se Dei & parentum secundùm carnem castigationes, quòd illi *nos castigabant prout ipsis videbatur*, id est, humano judicio & voluntate, ac proinde nec modo, nec fine usquequaque justo, quia falli & errare possunt; Deus autem & modo & fine justo castigationes adhibet: Facit enim *ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimoniæ ipsius*. Objicitur, Atqui non est gaudii, sed tristitiæ. Hanc objectionem occupans Apostolus dicit versu 11. falsam esse. *Omnis enim castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ*, Sed falsum est illud argumentationis genus, si dixeris: Non videtur esse gaudii; Non est igitur gaudii. Quandoquidem ab eo quod videtur ad id quod est non valet consequentia, ut in caput 2. supra ostendimus. At contrà, inquit Apostolus, etsi non videtur esse gaudii ad præsens, est tamen per consequens in futurum tempus. Nam primùm castigatio cultura est quædam: deinde ut cultura non est sine fructu, ita etiam castigatio Dei, fructum reddit justitiæ & sanctitatis iis qui per eam exculti fuerint. Postremò autem reddit fructum pacis in Spiritu; quia ut cetera omnia deficiant pium, tamen pacem habet erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, & aditum in gratiam illius fide. His positis regreditur Apostolus ad exhortationem intermissam inde a versu 3. & ex iisdem causis quæ priùs adductæ sunt, loco finis illius ἀποκάμνειν quem ibi posuerat. Ne vestris animis remissi fatiscatis; jam hortationem contrariam subjicit, ut remissas potiùs manus & genua soluta surrigant: id est, se ipsos confirment ad opus Dei, & recto justitiæque studeant, atque in ea ambulent, tum sua ipsorum causa, tum verò infirmorum fratrum, qui tamquam claudi & infirmi pedibus, si ad iter asperum atque non rectum offenderint, periclitantur ne afficiantur pejùs: quemadmodum si quando hominis claudi pes luxetur ampliùs ad eversionem ipsius; cùm & mandato Dei, & naturæ officio, & charitate Christi obligemur, ut salutem eorum procuremus, & amoliamur destructionem aut subversionem, quibuscumque modis possumus. Nam in hanc sententiam accipio verbum ἐκτρέπεσθαι, pro eo quod est luxari, vel diverti a justo acetabulo atque commissura ossium: tamquam si his verbis usus fuisset author, ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ τοὺς πόδας: id est, ne fortè, si quis jam claudus est ex pedum infirmitate, ampliùs novo offendiculo periclitetur, ut salutis jacturam faciat. Sic transit Apostolus ad secundum hortationis locum.

14 Sectamini pacem cum omnibus, & sanctificationem; sine qua nemo Dominum visurus est;

15 Adſpicientes,ne quis deficiens a gratia Dei,ne qua radix amaritudinis enaſcens obturbet,& per quam inquinentur multi:

16 Ne quis ſcortator, aut profanus; ut Eſau, qui pro edulio unico expoſuit ſuum jus primogenitorum.

17 Nam ſcitis eum, etiam poſteà quum vellet hereditatem benedictionis adipiſci, fuiſſe reprobatum: non enim reperit pœnitentiæ locum,quamvis cum lachrymis exquiſiviſſet illam.

18 Non enim acceſſiſtis ad montem contrectabilem, & incenſum ignem,& turbinem,& caliginem,& procellam.

19 Et ſonitum tubæ, & vocem verborum, quam qui audiverunt deprecati ſunt,ne ampliùs ſibi fieret ſermo.

Exod.19.

13 *Ne attingito eum ulla manu, ſed lapidibus obruitor, aut jaculando conficitor; ſive jumentum ſive homo, ne vivito.*

20 Non enim ferebant quod nuncio miſſo fuerat ſignificatum; Si vel beſtia attigerit montem, lapidabitur,aut jaculo configetur.

21 Et Moſes,adeò viſum illud erat terribile,dixit,Expaveſactus ſum ac tremebundus.

22 Sed acceſſiſtis ad montem Sion,& civitatem Dei viventis, Jeruſalem ſupercæleſtem,& myriadas Angelorum.

23 Conventum & Eccleſiam primogenitorum qui conſcripti ſunt in cælis, & Deum judicem omnium, & ſpiritus juſtorum conſummatorum,

24 Et Jeſum Mediatorem novi Teſtamenti, & quidem ſanguine aſperſionis meliora loquentem quàm Abel.

SAnctificationis, de qua proximè egit Apoſtolus, finis non ſolùm eſt, ut omnem vitam occupemus ad Dei gloriam, & nos ipſos in ſpe ſalutis confirmemus; verumetiam ut aliis adjumento ſimus, ne qui infirmi ſunt ampliùs infirmentur; ſed ſanentur potiùs & in omni bono corroborentur, ut ſuperiore verſu demonſtratum eſt. Nunc itaque hac via comparata ad ingrediendum hoc alterum documentorum genus, proponit Apoſtolus illum confeſſionis modum alterum, quo alii alios adjuvamus; cujus documenti propoſitio eſt in verſu 14. expoſitio, ſequentibus. Propoſitionis duo ſunt membra: prius, ut *pacem ſectemur:* poſterius, ut *ſanctificationem:* videlicet ne pacem quamlibet imperari nobis cogitemus, ſed eam demùm quæ ſanctificatione vitæ conjuncta eſt: Et huic propoſitioni hortationis locus adjicitur, a ſpe futura noſtra; Quòd ſi vitam hoc modo inſtituerimus, *Dominum viſuri ſumus.* Propoſitio vel hortatio exponitur tribus verſibus proximè ſequentibus. Hortationis argumentum, verſu 18. & 6. ſequentibus. De ſectanda igitur pace verſu 15. de ſanctificatione, duobus aliis agitur. Pacis præceptum eſt, *ut proſpiciamus ne quis,* &c. id eſt, ut cùm nos ipſos religioſè obſervemus, ne quid adverſus pacem quæ Deo accepta eſt offendamus; tùm verò alii aliorum quoque rationem habeamus, duobus modis: nempe ut demus operam, ne quis *deficiat a gratia Dei* offenſione ulla provocatus, ac proinde turbas aliis faciat; Deinde *ne qua radix amaritudinis* (ut Moſes vocat Deuter. 29.) ex animo non ſatis pacato pullulans aliis offenſioni ſit. Ex quibus

duobus

duobus malis, tum defectionis, tum etiam conturbationis rerum, alterum illud malum plerumque sequitur; quòd ex hac etiam conturbatione inquinantur multi,& pax piorum animis eripitur,gravissimo non solùm privato malo,sed etiam publico Ecclesiæ periculo.Sanctificationis documentum ex contrario proponitur ver.16.quum interdicit Apostolus,*ne quis scortator,aut prophanus obturbet similiter*, id est (ut ego quidē accipio synecdochicè) ne quis aut in secundā legis tabulam aut in primam offendens,abjecta humanitate,justitia, & pietate, quas Dei reverentia postulat,publicè aut privatim fratribus impedimento sit, ne pacem aut sanctificationem ex officio colant.Hujus verò interdicti membrum posterius exemplo illustratur Esau; cujus primum quidem profanum factum, versu decimosexto;deinde verò pœna,versu 17.ostenditur. Profanum factum est, vt Gen.25. exponitur,quòd unico edulio exposuit suum jus primogenitorum, hoc est, divinum beneficium minimo pretio,vel numo, abjudicavit sibi. Pœnam verò exponunt sequentia ex Gen.27. nempe quòd reprobatus fuit, nec precariò umquam exorare potuit, ut revocaretur illa reprobationis sententia. Exposita hortatione, sequitur expositio argumenti ad eam pertinentis, quod generatim induxerat author versu 14.dicens: *sine sanctificatione non esse quemquam visurum Dominum*, id est, neque hîc visurum prout videri in Ecclesia potest (est enim fides eorum quæ non videntur argumentum) neque illic visurum prout est. Hoc autem argumentum exponit Apostolus, per comparationem evidentissimam illius modi quo prisca Ecclesia vidit, cum eo modo & iis rebus quas videt nostra,his ultimis temporibus.Prius membrum comparationis per *ἀναίρεσιν* vel negativam exponitur duobus versibus; & exornatur, duobus alteris: posterius, in quo adversa affirmativa est, continetur versu 22. & reliquis. Prius enunciatur his verbis: *Non enim accessistis ad montem contrectabilem*, quibus exponitur locus,adjuncta, & modus quo populum olim instituit Deus.Locus enim fuit mons; qui per se quidem attingi poterat, sed Deus & opere & verbo attingi prohibuit, ad testificandum præsentiam suam. Adjuncta fuerunt, ea quæ montem attingi prohibuerunt, ignis ardens, turbo, tenebræ, procellæ, testantes præsentiam Dei. Modus fuit, sonitus tubæ, populum ad attentionem comparans; & vox verborum,quasi intonans in aures omnium Legem illam Dei quæ habetur Exodi 20. Cujus vocis vehementiam majestatémque eventus indicat luculentissimè,quia deprecati sunt qui audierant ipsam, ne ampliùs fieret sibi sermo; sed per interpretem a Deo secum ageretur. Hujus autem deprecationis caussam ex sequentibus ampliùs exponit Apostolus, quum inquit: Non modò vocem, sed rem quoque ipsam eos ad deprecandum adduxisse, quia & interdicto sancita fuerat, & revera per se, etiam citra interdicti considerationem neminem non consternabat. Interdicto fuisse sancitam illius amplitudinem demonstratur his verbis: *Non enim ferebant id quod sibi Deus per nuncium* (puta Mosem) *significaverat*, &c. ut Exodi 19. a Mose exponitur. Neminem verò fuisse, qui amplitudine illius visi non afficeretur, etiamsi Deus non cavisset interdicto,ostenditur sequente versu ab exemplo Mosis. Si enim Moses viso illo fuit exterritus, quanto magis alii, qui non ita potuerant in os videre Deum, ut Scriptura loquitur? Est autem exterritus, prout ipse vocibus istis confessus est; *expavefactus sum ac tremebundus*. Hic verò quæritur, ubi hæc dixisse legatur Moses. Mihi verò certissima hæc responsio videtur esse,

non

non exstare quidem hæc verba in Testamento vetere, tamquam a Mose usurpata; sed rei ipsius argumentum. Nam Exod. 19. dicitur Moses, quum populum obviam Deo e castris eduxisset, totúsque mons ille tremeret, ad sonum tubæ, Moses loquutus esse antequam Deus planè ad montem Sinai, descendisset, & Deus ipsi respondisse voce, id est, Mosem agentem de terrore & consternatione sua totiúsque populi, consolatus esse & confirmavisse sermone suo. Ex eo igitur loco facile est videre, quæ fuerit Mosis affectio ad primam illam speciem descendentis Dei: cujus affectionis argumentum his paucis verbis hoc loco exponitur. Sequitur jam alterum comparationis membrum, versu 22. & sequentibus, quum author inquit: *Sed accessistis ad montem Sion*, &c. Quo in membro eædem quoque partes αἰτιολογικῶς sunt observandæ, quæ fuerunt in præcedente. Nam primùm quasi locus & sedes assignatur; deinde adjuncta; postremò autem modus accessûs illius nostri ostenditur. Quasi locus est Ecclesia Dei; quę tribus typicis locutionibus figuratur, quum nominatur mons Sion, civitas Dei vivi, & supercœlestis Jerusalem, per gradationem: ex comparatione veteris illius Ecclesiæ in loco, quem Deus elegerat, considentis. Adjuncta autem & quasi incolæ illius loci constituuntur hi: primùm ex rebus creatis & tamquã advenis, *Angeli & homines primogeniti* in Christo, id est, benedictionis Christi participes, *quorum nomina in cœlis* jam olim *conscripta sunt*, ut in conventum illum & sanctam Ecclesiam reciperentur. Secundò *Deus ipse* opifex & Dominus illius domus, *omniúmque* domesticorum ad eam pertinentium *judex*. Nam cum his omnibus jam ex facto in hac Ecclesia, & vita terrestri communicamus: Angelis quidem, tamquam administris: piis hominibus, tamquam membris: & Deo, tamquam præside hujus Ecclesiæ militantis. Sed etsi hæc argumenta sunt amplissima ad majestatem illius rei, propter quam studemus sanctificationi, demonstrandam; ampliùs tamen pios ac vehementiùs stimulat, quum adduntur hæc verba; *Et ad spiritus justorum consummatorum*; tamquam si diceret: Non solùm communionem, quam hic habemus in Ecclesia cum Angelis, hominibus, Deóque ipso, nos inflammare; verùm etiam illud ipsum, quòd jámque communionem habemus per spiritum cum sanctis illis spiritibus & justis hominibus qui sunt in cœlo, ut putâ adepti consummatam & perfectam sanctificationem suam. Horum verò omnium medium, ut loquuntur vulgò, vel modus ipse 24. versu subjicitur, his verbis: *Accessistis ad novi testamenti mediatorem Jesum*, id est, ad eum ducem & consummatorem fidei nostræ, qui sacerdotio suo delens peccata nostra, morte confirmavit & sancivit Testamentum illud, ex quo pervenit ad nos vitæ cœlestis hereditas. Atque hic quidem est fons ille, de cujus plenitudine haurimus omnes; sed quia non aliter haurire possumus beneficia ejus, & ad Ecclesiam hanc salutariter accedere, nisi quatenus aspersi & irrigati sumus sanguine ipsius; qui nos abluit ab omni peccato, ut Deo accepti simus: propterea etiam huic communioni Christi adjicitur proximus ille modus, quem de fonte Christi percipimus; nimirum *sanguis aspersionis*, quo sanguine cruenta illius cæde fuso res meliores proloqui dicitur, quàm Abel, de quo suprà 11.4. dictum est, ipsum *mortuum adhuc per fidem loqui*. Nam loquitur quidem Abel, & quicunque sancti persequutiones passi sunt, & Deo exhibent illud orationis genus, de quo in eum locum dicebamus; Christi verò sanguis omnia divina profert, omnémq; plenitudinem in ipso habitantem nostram facit per

remissionem

remissionem peccatorum, quæ unicus est aditus ad omnia bona ipsius. Hæc autem verba Apostoli quòd aliter transferimus, quàm vulgò fieri solet, id cùm loquutionis modus postulat, tum sequens argumentatio. Etenim Græcus articulus παρὰ τὸν Ἄβελ, de homine ac non de sanguine clamat hæc verba intelligi: sequens autem argumentatio ad quam horum verborum occasione transitur, nihil aliud astruit, quàm ad hominem eum qui loquitur attendi oportere.

25 Videte, ne aspernemini eum qui loquitur. Nam si illi non effugerunt qui aspernati sunt eum qui Dei nomine loquebatur in terra, multò magis nos, si eum aversemur qui *loquitur* e cœlis,

Aggæi 2.	
6 *Sic ait Jehova exercituum. Adhuc semel (parum illud est) tum ego commoturus sum cœlum & terram, & mare, & siccum.*	26 Cujus vox tunc concussit terram; in hoc verò tempus promissus erat qui dicit, Adhuc semel ego concussurus sum non solùm terram, sed etiam cœlum.

27 Illud autem, *adhuc semel*, declarat amotionem rerum quæ concutiuntur, tamquam factarum, ut maneant ea, quæ non possunt concuti.

28 Quapropter assumentes regnum quod non potest concuti, teneamus gratiam per quam serviamus Deo, ut placeat ipsi, cum verecundia & reverentia.

29 Etenim Deus noster ignis consumens est.

HActenus duo hortationis loci ad illam spei nostræ confessionem pertinentes: nunc tertius subjicitur, in quo earum rerum aperitur assequendarum modus, ad quas Apostolus antè exhortatus est. Est autem modus in eo positus: primùm ut Christo Prophetę nostro hæreamus, vers. 25. deindè ut in eo justum finem modúmque omnium cogitationum, sermonum, actionúmque nostrarum teneamus, versu 28. Prioris loci propositio est in his verbis: *Videte ne aspernemini eum qui loquitur*, putà Christum Mediatorem longè meliora loquentem quàm Abel, ut proximè fuit expositum. Hujus exhortationis argumenta adferuntur duo; unum, ex comparatione minoris, id est, Mosis cum Christo, & eorum qui Mosem aspernati sunt cum iis qui Christum aversantur: Qua comparatione idem author suprà 3.3. & 10.21. usus est copiosiùs. Hæc verò uno maximè argumento amplificatur, quòd Dei verba Moses in terris proloquebatur, nunc verò in cœlis Christus. Alterum est, a comparatione signorum adjunctorum & consequentium ex vocis illius majestate: nempe quòd tunc quum Moses Dei verbis loqueretur, vox Dei concussit terram; nunc autem quum patefaciendum fuit Euangelium, id est, in hæc ultima tempora is olim promissus est, & nunc exhibitus, qui non solùm terram sed etiam cœlum concutit, vers. 26. ut Christi ipsius verbis Aggæus 2. capite confirmavit. Atque hoc quidem argumentum potentissimum est ad homines adducendos, ut cum reverentia accipiant verbum Christi, quum ad exhibitionem ipsius, & complementum rerum, quas Testamentum vetus in Euangelio fore prædixerat, cœlum & terra dicuntur fuisse concussa. Quam rem videmus reipsa contigisse, quum Dominus Jesus Christus spiritum exclamans voce maxima emisisset. Cujus miraculi & Phlegon apud Eusebium

testis est, & Tertullianus in Apologetico in Actis publicis testatur Romæ fuisse consignatum, dicens: *Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est. Deliquium utique putaverunt qui id quoque super Christo prædicatum non sciverunt: & tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* Id quidem non negaverim, quod vulgò adfertur ad loci hujus interpretationem; eam esse vim & dignitatem Euangelii, ut cœlum & terra quodammodo commoveantur, Angelis, hominibúsque applaudentibus ad prædicationem illius: sed quia singulare signum quod ad promulgationem Legis adhibuit Deus, comparatur cum signo ad promulgationem Euangelii accedente: quemadmodum illud principio fuit oblatum ad testandam authoritatem Legis: Sic etiam istud principio ad declarandam authoritatem Euangelii exhibitum fuisse arbitror, nempe quum Christus dissepimento rupto quod erat in templo positum, Judæos & gentiles in uno corpore Deo reconciliavit per crucem; peremtis inimicitiis in ea, & Euangelizavit pacem longinquis, & propinquis, ut Paulus inquit Ephes. 2. Alioqui non eò minus stat communis illa sententia: nempe quòd ut momento illo exclamans Christus cœlum & terram concussit corporaliter; ita etiam afficit spiritualiter Euangelii prædicatione. Quam consequentiam ostendit Apostolus exegesi versus 27. dicens: *Illud autem, adhuc semel, declarat depositionem* sive abolitionem amotionémq; *eorum* quæ concutiuntur, *tamquam factitiorum*, id est, rerum non solùm creatarum in rerum natura; verumetiam imperatarum a Deo ad usum transeuntem & ambulatoriū (cujusmodi fuerunt legales typi & ceremoniæ) ut maneant ea quæ non possunt concuti, id est, quæ æterna sunt in Domino, & quæ in nobis æterna futura sunt per communionem Christi. Quòd autem ex Aggæi Prophetæ verbis quædam omittuntur; id propterea factum est, quòd ea verba ad hanc argumenti partem, de quo hic agitur, minimè pertinerent. Quam rationem omittendarum vocum, aut orationis partium, justam & necessariam nonnumquam esse libro 1. Parallelo 5. docuimus. Posterior locus vel modus ad antecedentes hortationes pertinens versu 25. proponitur. Causa verò, ultimo. Finis est, ut *assumamus regnum quod concuti non potest*, id est, constantissimè hæreamus ei. Modus verò, ut *habeamus* vel retineamus *gratiam*, id est, hærentes Christo nos permittamus consilio & manui gratiosæ ejus per fidem, atque hac ratione *serviamus* Deo (nam hic effectus est gratiæ illius Christi) secundùm voluntatem ipsius, id est, ut sequentibus verbis exponitur, *cum verecundia*, seu pudore ex infirmitatis & indignitatis nostræ conscientia, & *cum reverentia* ex agnitione majestatis illius cui servimus in spiritu, ut bene moratos filios parentibus servire decet. Causa verò hortationis istius una, versu ultimo adducitur ex eventu contrario, si qui in hunc modum non serviverint Domino. *Etenim*, inquit, *Deus noster ignis consumens est*; ac proinde eos qui secus fecerint consumturus. Quo argumentationis genere Moses quoque usus est Deut. 4.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

1 **Fraterna charitas maneat.**

2 **Hospitalitatis ne sitis immemores: per hanc enim quidam inscii hospitio Angelos acceperunt.**

3 Mementote vinctorum, ut unà cum illis vincti; eorum qui affici-
untur malis, ut qui etiam ipsi estis in corpore.
4 Honorabile est conjugium inter quosvis, & cubile impollutum;
scortatores verò & adulteros Deus judicaturus est.

Josuæ 1.
5 *Non deseram te, neque derelinquam te.*

Psalmo 118.
6 *Jehova adest mihi, non timebo: quid effet mihi facturus homo?*

5 Mores alieni sunto ab avaritia: Estote contenti rebus præsentibus: ipse enim dixit; Non deseram te, neque derelinquam te:
6 Adeò ut nos confidenti animo dicamus, Dominus est adjutor mihi, & non timebo quid mihi facturus sit homo.

HAEc tertia pars hortationis est, quam suprà 20. 24. in prolepsi seu generali propositione suo ordine distinximus; nempe quòd ad charitatem & bona opera accendimur; Quæ duo membra ternis versibus hoc loco proponuntur. Nam primùm *charitas fraterna* universè imperatur in versu 1. deinde verò quia occasiones & argumenta charitatis explicandæ duo per illa tempora, quæ persequutionibus fervebant, in dies offerebantur piis; nempe quòd Christianorum peregrinationes & exsulia, & quòd vincula afflictionésque frequentes erant: duo singularia charitatis officia cùm erga omnes, tùm erga domesticos fidei maximè commendat illis; *hospitalitatem*, secundo versu; & *vinctorum afflictorumq́; recordationem*, tertio. Etsi non dubium est, quin omnia charitatis officia his duobus exemplis comprehendi oporteat synecdochicè; prout in versu 1. genus & fons horum officiorum omnium fuit imperatus. Hospitalitatis argumentum ab exemplo commendatur, & singulari honore illo, quo Deus hospitales viros olim prosequutus est; nempe *quòd quidam inscii Angelos hospitio exceperunt.* Christianæ verò συμπαθείας recordationísque afflictorum, & modus, & causa exponitur convenientissimè, ad afficiendas graviùs piorum mentes, & inscribendam in eis charitatis sanctæ περιγραφήν. Modus: quòd perinde meminisse vinctorum oportet, *ac si unà cum illis essemus vincti.* Causa verò: quòd *in eodem corpore sumus*; non modò a natura, secundùm speciem humano generi communem, propter quam omnium humaniter oportet meminisse; verum etiam a gratia, secundùm communionem Christi; propter quam fratrum piorum oportet meminisse; quia & unum caput habemus Christum; & unum corpus in eo sumus. Sequitur alter locus de aliis bonis operibus ad charitatem accedentibus; quorum loci ponuntur duo; unus, ad septimum respiciens; alter, ad octavum præceptum Legis. Ad septimum pertinet versu 4. ubi justi conjugii encomium habetur, tùm ex natura & conditione ejus, tùm ex contrario; ac propterea inter omnes homines, cujuscunque sint generis aut sortis, dicitur commendabile. Commendationis loci duo sunt: unus, quòd *pretiosum est conjugium coram* Deo, & honorabile apud omnes honoratos & honestatis amantes homines: alter, quòd *cubile ejus impollutum* est, id est, coram Deo culpa vacans; ut quod ipse sanctificaverit, & coram honestis hominibus liberum ab omni criminatione. Ex contrario verò conjugium commendatur, quum *Deus scortatores & adulteros judicaturus* dicitur, nempe quòd factum ipsorum

& inhonoratum ac potiùs flagitiosum est, & pollutionis plenum; quas res Deus non potest non ulcisci judicio suo. Ad octavum pertinent sequentia; quum & *avari* sordidique *mores* interdicuntur, & animus imperatur *contentus rebus præsentibus*; id est, quum & externæ vitæ administrationisque nostræ, & animi quoque in hoc argumento modus præscribitur; quia non posset alioqui hominis ullius vita probari Deo, qui specie alienus foret ab avaritia coram hominibus, intus verò coram Deo ferveret cupiditatibus, nec præsentibus commodis quæ Deus offert, acquiesceret. Deinde verò ad hanc rationem & institutum vitæ causa adfertur elegantissimè, a promissione Dei, versu 5. & a fide nostra promissionem amplectente, atque de ea gloriante, in versu 6. Nam etsi promissionis divinæ locus singularis videtur esse, quum Deus his verbis apud Josuam uteretur, *non deseram te, neque derelinquam te*; duo tamen eo in loco tenenda sunt: primùm, promissionem illam Duci populi factam communiter ad populum totum respexisse; ac proinde tam ad Ecclesiam hujus temporis pertinere, quàm ad illam priscam, cui Josue præfectus erat. Deindè, cùm Deus semper idem sit & sibi constet; quod exemplum in Scriptura protulit suæ promissionis gratiosæ, in hunc aut illum studentem vocationi suæ, illud æquè ad pios omnes vocationi suæ hærentes respicere: quemadmodum testatur A-
Rom. 15. stolus, quæcunque antè scripta sunt, ea fuisse scripta ad consolationem & ædificationem nostram. Quid autem tam esse consolationi potest, quàm gratiosa Dei promissio? Atque eadem quoque ratio est illius professionis & gloriationis fidei, cujus exemplum ex Davide petitum est. Sed quia hoc argumentum & amplissimum est, & ab omnibus satis expositum; ad sequentia venturi sumus.

7 Recordamini ductorum vestrorum, qui eloquuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini fidem, subindè considerantes qui fuerit exitus conversationis ipsorum.

8 Jesus Christus heri, & hodie idem est, & in secula.

9 Doctrinis variis ac peregrinis ne circumferimini: bonum est enim stabiliri cor gratia, non cibis; in quibus *discriminandis* qui versati sunt, non sunt adjuti *eis*.

10 Habemus altare, ex quo non habent jus edendi qui tabernaculo illi deserviunt.

11 Nam quorum animalium sanguis pro peccato infertur in sacrarium per Pontificem; eorum corpora exuruntur extra castra.

12 Quapropter & Jesus ut sanctificaret populum per proprium sanguinem suum, passus est extra portam.

13 Exeamus igitur ad eum extra castra, portantes opprobriũ ejus.

14 Non enim civitatem habemus hic manentem; sed eam quæ futura est, inquirimus.

15 Per ipsum igitur offeramus sacrificium laudis indesinenter Deo; id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus:

16 Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini. Nam ejusmodi sacrificiis delectatur Deus.

17 Obedite ductoribus vestris & obsecundate; (hi enim vigilant pro animis vestris, tamquam rationem reddituri) ut cum gaudio hoc faciant, ac non gementes: Nam id vobis futurum esset inutile.

18 Orate

18 Orate pro nobis: persuasi enim sumus nos bonam conscientiam habere, ut qui inter omneis honestè velimus conversari.

19 Ampliùs autem hortor vos, faciatis illud, ut celeriùs restituar vobis.

DIximus suprà 10. 19. & sequentibus, prolepsin sive propositionem quadripartitam hortationum sanctarum contineri. Nam primùm fidem & bonam conscientiam; deinde spem firmam constantémque professionem ipsius; tum charitatem & bona opera; postremò omnia exercitia pietatis ad colendam fidem, spem & charitatem pertinentia commendari. Restat hoc postremum argumentum: nam cetera suo ordine antè sunt explicata. De his igitur exercitamentis deinceps agit Apostolus in tota illa versuum syzygia, quam modò proposuimus. Harum exercitationum sacrarum materia tota posita est in ministerio verbi, quod Ecclesiæ imperavit Deus. Quapropter a personis fidelium servorum Dei ministrorúmque verbi salutaris ejus, ducuntur omnes hujus hortationis loci. Sunt autem in hac hortatione tria exercitamentorum genera, quæ piis a sancto Spiritu commendantur. Primum, ut doctrinæ solidæ studeant, versu 7. & quinque sequentibus: secundum, ut doctrinæ illi obsequentes in Ecclesia exerceant, quæcumque ad veræ doctrinæ fideique testificationem sunt opus, versu 13. & quatuor sequentibus. Tertium, ut ante omnia precibus & orationibus studeant, tùm pro omnibus hominibus, maximè verò pro iis quos Deus ipsis præfecerit; tùm pro iis qui in sancto cursu vocationis suæ interturbantur afflictionibus, ne opus mysterii sibi imperatum præstent. Doctrinæ solidæ studendum esse Apostolus docet synecdochicè, quum ait: *Recordari ductorum nostrorum* oportere: Quod officium communiter quidem debemus omnibus iis quos Deus nobis præficit voluntate sua: sed iis tamen præcipuè, qui eloquuti fuerint sermonem Dei, & qui fideliter (ut loquitur Paulus) dispensaverint mysteria illius. Hujus autem recordationis, primùm quidem modus, deinde causa exponitur, versu 8. postremò verò enarratur sequentibus. Modus recordationis est duplex: unus, ut vitam ipsorum observemus; ut qui Ecclesiæ dati sint eo consilio a Domino, ut lux sint mundi; atque hoc subinde recolamus, *considerantes qui fuerit exitus conversationis ipsorum*, id est, quomodo tota conversatione sua ad finem usque testatam fecerint fidem & integritatem suam in doctrina. Alter modus est, ut *fidem illorum* quam ea ratione testatam fecerint, discamus *imitemúrque* religione maxima. Hujus autem fidei ab illis doctæ & præstitæ, a nobis autem imitandæ causa & fundamentum continentur his verbis: *Jesus Christus heri & hodie idem est, atque in secula*, tamquam si diceret Apostolus: Illi ut fide Christum didicerant; ita docuerunt & in eo inculpatè ambulaverunt, constantem retinentes professionem & gloriationem fidei, quia Jesus ille Christus Deus constantissimus, docuit illos, docentes rexit, & ambulantes duxit, vel potiùs in ipsis docuit ambulavítque ad finem usque, adeò ut tota ipsorum conversatio & conversationis exitus nihil aliud sit, quàm pura & singularis actio Christi viventis in ipsis. Vos igitur imitamini illos, freti eo ipso Imperatore & Duce, qui illos duxit rexítque pro fide sua in omni veritate. Jesus Christus heri, & hodie idem est, & in secula. Fuit autem erga homines illos ejusmodi: Igitur etiam erga vos futurus est idem qui erga illos fuit. Quòd si Jesus Christus

 heri,

heri,& hodie, & in secula semper idem est, tum in seipso, tum in omnes virtute, veritate, & operatione sua; hoc autem quarto (ut cum logicis loquamur) modo proprium Deitatis est: optimè sequitur, id quod orthodoxi Patres ex hoc loco adstruxerunt, putà Jesum Christum verum & æternum Deum esse ὁμοούσιον Patri & Spiritui sancto: quandoquidem ut illi docuerunt, essentiæ identitas (sic enim loqui liceat) ex identitate actionum effectionumque, id est, causa ex effectis suis ἀποδεικτικῶς & necessariò concluditur. Hanc propositionem sua enarratio sequitur per interdictum contrarium. Hoc autem interdictum certo consilio opponit Apostolus illi doctrinæ a doctoribus prolatę, cujus causa unica & fundamentum est Christus, ut pręcedente versu fuit expositum. Hoc autem interdictum est, ne se Hebræi *circumferri* patiantur, aut *doctrinis variis*, ut si Legis ceremonias cum simplicitate Christi vellent confundere, quod jam tum fecerant Nazaræi, aut etiam *peregrinis*, cujusmodi erant doctrinæ gentium, inter quas sacræ Judæorum reliquiæ dispersæ erant. Confirmatur verò hoc interdictum versu 9. & 3. sequentibus duobus argumentis: quorum prius ab eventu ducitur, in versu 9. posterius, a Legis instituto & ceremoniali observatione ejus, sequentibus verbis. Ab eventu confirmatur per antithesin, aliquot capitibus suprà jam satis explicatam. Quapropter brevior hic est Apostolus in eo explicando. Hæc autem sententia est: Quibus doctrinis adjuvantur ii qui versantur in ipsis, & cor ipsorum stabilitur; eæ doctrinæ sunt bonæ, ac propterea retinendæ: Doctrinam gratiæ hæc omnino consequuntur: Hæc ergo unica doctrina tenenda est. Et ex contrario: Hæc autem doctrinas sive varias, sive peregrinas minimè consequuntur. Variæ igitur doctrinæ atque peregrinæ a piis non sunt retinendæ. Non consequi hæc ab illis doctrinis variis atque peregrinis, quas senecdochicè designat Apostolus ciborum appellatione; quia omnes usu perire solent (ut Colossensibus scribit Apostolus) docetur ab exemplo Judæorum ipsorum, eodem planè argumento quo utebatur Petrus Actor. 15. quum diceret; Neque Patres, neque ipsos impositum jugum portare potuisse. Hoc enim argumentum his verbis innuitur, *quibus non sunt adjuti qui versati sunt in illis*, & in discretione illorum scrupulosè & superstitiosè observanda plurimùm occupati. Alterum argumentum ab instituto Legis evidentissimum est; ut ostendatur ne per Legem quidem licere cuiquam legales illas ceremonias cum Euangelio Christi confundere. Quod ut commodiùs intelligatur, in syllogismum revocabimus mutato versuum ordine; deinde si quæ partes declaratione opus habere videbuntur, eas explicabimus. Hæc igitur est argumentatio: *Quorum animalium sanguis infertur pro peccato, in sacrarium ipsum per summum Pontificem, eorum corpora exuruntur extra castra, neque jus edendi ex eis habent qui tabernaculo deserviunt*, versu 11. *Habemus autem altare* ejusmodi, putà altare sacrarii illius cœlestis, quò agni illius immaculati sanguis illatus est pro peccatis nostris, versu 10. Hujus ergò agni pretiosi corpus, aut etiam (si magis placet) de carne ipsius edendi jus non habent, qui tabernaculo ipsi ex Lege deserviunt. Hinc autem planè sequitur utrumque: tùm nos, qui acquiescimus sacrificio Christi, ut cujus sanguis in sacrarium illatus est & corpus elatum foras, non habere jus doctrinas varias aut ceremonias Legis adhibendi: tùm Judæos & quicumque Tabernaculo illi priori hærere volunt, non habere jus edendi de hoc altari, id est, de sacrificio illo quod semel oblatum est Deo &

Coloss. 2.

Patri ad abolitionem peccatorum nostrorum. Majorem demonstravissemus Parallelo aliquo diagrammate, si ad locum unum aliquem respexisset: sed quia plurium est locorum ἀντίστροφος, non placuit unum aut alterum cum hoc comparare; quandoquidem communis est, ac non singularis, locorum aliquot accommodatio. Minorem demonstravit supra Apostolus, quum de sacrificio & sacerdotio summi Pontificis nostri diceret. Optimè igitur argumentatio hæc ex rebus antè sancitis authoritate Legis, & suprà in Epistola hac probatis concluditur. Verumtamen quia dixerat Apostolus eorum corpora exuri extra castra, ac proinde nemini jus edendi de illis esse: arripiens occasionem hanc, ex hoc ipso signo, velut proprio & destinato typo ad præfigurandum Christum, & perpessiones ipsius (ut quosdam proprios & singulares typos esse præscriptos Lege, Parallelo 24. libri primi antè ostendimus) demonstrat Apostolus Jesum Christum, qui nostrum sacrificium est, secundùm id quod Lex præfiguraverat, *extra portas urbis* Jerosolymorum *eductum esse*; ut eo signo, quod Lex præstituerat, ampliùs confirmemur, ipsum esse verum illum Agnum qui in verum sacrarium pro peccatis nostris sanguinem suum intulerit; eodémque signo evincantur adversarii, vel minimis in rebus Legem a Christo completam esse. Quòd si res & observationes etiam leviusculas, ut videri possunt, in suis perpessionibus observavit: multò magis res gravissimas & momenti maximi ab ipso impletas esse: Cujusmodi est sanctificatio populi per sanguinem ipsius. Quamobrem sapientissimè utrumque Apostolus versu 12. conjunxit, dicens; *Quapropter etiam*, nempe quia Lex jusserat, ut quorum sanguis infertur pro peccato in sacrarium per Pontificem, eorum corpora exurantur extra castra, *etiam Jesus extra portam civitatis passus est, ut sanctificaret populum proprio sanguine*, id est, ut eo signo testificaretur, seipsum esse sanctificatorem nostrum: quod opus suæ essentiæ majestatísque proprium esse Deus sæpè pronunciat, Levi. 22. & alibi. Atque hæc quidem interdicti enarratio simplicissimè in hunc modum se habet, judicio meo. Ex postrema autem clausula ipsius argumentum sumens author, transitionem facit ad secundum genus sanctorum exercitiorum; & in hortatione hac partes ipsius doctrinæ, in qua Ecclesiam opus est occupari, percurrit commodissimè. Nam primùm hortatur ut Christum præeuntem sequamur & neglectis omnibus afflictionibus ad ipsum contendamus, versu 13. Secundò, ut Deo sacrificium laudis, versu 15. Tertiò, ut proximis sacrificium beneficentiæ & communicationis, versu 16. Postremò, ut pastoribus ductoribúsque nostris præstemus obsequium, tamquam ad officia antegressa prælucentibus, versu 17. Primus doctrinæ locus est de *sequendo Christo*; qui modum continet Christianis omnibus communem, nempe ut *opprobriis*, afflictionibus, & cruce cum Christo communicent. Causa adjicitur proxima; respectu nostri, versu 14. quòd *non habemus hîc manentem civitatem, sed illam quæ futura est nobis inquirimus*: In eam autem pervenit Christus foras exiens: Ad eum igitur exire necessarium est, & omni opera contendere, ut apprehendamus ipsum. Secundus locus, de *sacrificio laudis quod exhibemus Domino*, ita est evidens, ut nihil ad explicationem ejus opera nostra possit accedere. Nam argumentum est commune & in Ecclesia vetere jam olim receptum, ut vel Davidis testimonio Psalm. 51. & Oseæ 14. manifestum est. Tertius locus de oblatione (ut Paulus vocat 1. Cor. 16. & 2. Cor. 8. & 9.) vel *sacrificio beneficentiæ*

& communicationis cum Sanctis, nihil obscuritatis habet; tantùm causa officii illius observanda est, quòd *talibus sacrificiis oblectatur Deus.* Ostendit enim Apostolus nos propterea beneficos & κοινωνικὰς esse oportere, quòd officium hoc Deo sit acceptum; non autem quòd ratione hac quicquam apud ipsum promereamur, aut nobis ipsi possimus acquirere. His duobus sacrificiis, quæ nobis sanctificavit Christus, succedit tertium versu 17. ut nos ipsos sistamus ductoribus nostris, tamquam administris voluntatis Dei, sanctóque obsequio eis pareamus secundùm Deum tamquam Domino, a quo vocati sunt ad dispensationem mysteriorum ejus. Ac primùm quidem in hoc exercitamento proponitur mandatum; deinde causæ illius adferuntur. Mandatum est, ut *pareamus* & quidem cum summissione tamquam præfectis a Domino. Causæ ponuntur duorum generum: Nam aliæ communes sunt, aliæ singulares. Communes sunt, quæ relationem habent inter ductores & eos qui ducuntur; cujusmodi sunt illæ, Prima a vocatione; quòd *illi ducunt*, nos ducimur ex vocatione & instituto Dei: secunda, ab opere vocationis; quòd illi *vigilant pro animis nostris*, & animæ nostræ ministerio illorum pastæ securè degunt in caula Domini. Tertia a consequentibus, quòd *illi rationē reddituri sunt* dispensationis suæ: nos verò testes illis futuri, & quasi corona ipsorum; ut Paulus loquitur. Singulares causæ sunt duæ; una a persona ipsorum; *ut cum gaudio hoc faciant* quod ipsis commissum est, *non autem gementes*, id est, voluntario & hilari animo distribuant talentum quod a Domino acceperint; quam ad rem plurimum gregis sui obsequio & studio adjuvantur. Altera causa est, a persona eorum ad quos servi Dei missi sunt; quòd *inutile ipsis est*, si quando ductores a Deo præfecti gementes funguntur vocatione sua; neque id solùm inutile, verumetiam plerumque damnosum: quem tamen eventum de industria reticet Apostolus, tùm quia semper benè sperari jubet de animo servorum Dei in ministerio: tùm verò, quia in sermonibus ejusmodi præstat κατὰ ὑφημισμὸν ea mala quæ graviora sunt, sic dissimulare, ut verbis tamen levioribus innuantur. Restat jam tertium exercitamentorum genus, de precibus, tùm privatim, tum etiam publicè in Ecclesia habendis pro servis, quos ad ministerium Euangelii vocavit Deus. Hoc autem exercitamenti genus etsi universè pro omnibus piis Pastoribus privatim publicéque colendum est: Apostolus tamen, hortationem hanc speciatim accommodat Ecclesiæ in personæ suæ causa, ut eadem opera & subventionem precum Ecclesiæ compararet sibi, & aliis idem officium præstandum ostenderet, quum ait: *Orate pro nobis.* Hujus verò exercitamenti quod imperatur Ecclesiis, duæ adferuntur causæ; prior est testimonium *bonæ conscientiæ*, cùm in vita tùm in administratione sua. *Persuasi enim sumus*, inquit, *nos bonam habere conscientiam*; cujus bonæ conscientiæ indubitatum est argumentum, quum pii & fideles ministri dant operam diligentissimè, ut inter omnes, sive in rebus omnibus, honestè conversentur: cujus rei studium semper sibi adfuisse author profitetur. Posterior causa est versu 19. ab Ecclesiarum commodo, quarum precibus servi Dei restituti fuerint beneficio ejus, & è faucibus leonum liberati (ut idem alibi loquutus est) ad commodum & ædificationum Ecclesiæ in fide. Quem orationum Ecclesiasticarum finem Apostolus expressit his verbis, *ut celeriùs, restituar vobis*, putâ ad communem consolationem percipiendam apud ipsos per mutuam fidem, ipsius inquam Apostoli, & Ecclesiarum

percipi-

percipientium doctrinam ejus : Quem eumdem finem copiosiùs expressit Apostolus Epistolæ ad Rom. capite 1. Atque hactenus de usu officiorum Christi, in quo Ecclesiam a Christo redemtam sese religiosè opus est occupare.

20 Deus verò pacis, qui eduxit ex mortuis magnum illum Pastorem ovium, *instructum* sanguine Testamenti ęterni, Dominum nostrum Jesum,

21 Perficiat vos in omni opere bono ad præstandam voluntatem ipsius, efficiens in vobis quod acceptum est in conspectu ipsius per Jesum Christum; cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

22 Hortor autem vos fratres, sufferte sermonem exhortationis: Etenim brevibus scripsi vobis.

23 Scitote fratrem Timotheum solutum esse; cum quo, si celeriter venerit, visurus sum vos.

24 Salutate omnes ductores vestros, & omnes sanctos. Salutant vos Italici.

25 Gratia sit vobiscum omnibus. Amen.

HIs paucis versibus conclusionem Epistolæ totius instituimus: cujus conclusionis partes, ut summatim dicamus, hæ sunt; precatio, narratio, & salutis dictio. Precatio duplex est; una ad Deum versu 20, & sequente; altera ad Hebręos versu 22. pertinens. Precationis, qua apud Deum utitur Apostolus, tria membra observanda sunt; Fundamentum precationum, ex antecedente argumento hujus Epistolæ, versu 20. Summa precationis, bona parte versus 21. & finis ejusdem, altera parte versus. Fundamentum precationis, secundùm essentiam unum est, Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus: secundùm personarum verò distinctionem, & sanctissimam illam œconomiam salutis nostræ, duplex hoc loco ponitur, Pater, & Filius : quæ personæ duę cum Spiritu suo Paracleto in piis operentur, eúmque in æternum spirent, nulla ratione ab eodem Spiritu divelli possunt. Etsi hoc loco Spiritus reticetur; tùm quia necessariò comprehenditur, quamvis dissimulato nomine ipsius; tum verò quia breviter voluit Apostolus in summam unam contrahere illa Dei Pątris & filii beneficia, quę suprà tota hac Epistola fuerunt proposita. De Patre enim prædicantur duo : unum, quòd Deus est pacis, ut qui pacem inivit nobiscum, eámque colit sanctissimè in filio dilectionis suæ : Alterum, quòd filium suum eduxit ex mortuis, ut accepto illius sacrificio, & omni administratione in ipsum quasi translata, manu illius, tamquam pastoris nostri, in pace ageremur. De Filio verò eadem prædicantur, quæ suprà in Epistola hac perscripta sunt, officia. Nam primùm Propheta noster & quidem maximus appellatur, deinde sacerdos, postremò autem Rex & Dominus a Patre constitutus. Prophetæ officium his vocibus describitur periphrasticè, quum *magnus ovium Pastor* appellatur, ut qui gregem suum pascit salutari verbo, codémque veluti sceptro regit ad vitam æternam. Sacerdotis officium ostendunt illa, quibus maximus ille oviū Pastor dicitur *instructus sanguine Testamenti æterni*, id est, in sanguine suo, quo redemit Ecclesiam suam, tamquam recente adhuc & vivo, opus sacerdotii perficere, nos Deo & patri reconciliare, viámq; in sacrarium illud cœleste nobis dedicare (ut supra 10. 20. loquutus est) qua per eum in

cœlum

cœlum ingrediamur, donúmque vitę æternæ percipiamus legatum nobis Testamento ipsius. Regia verò ipsius dignitas communi illa *Domini nostri* appellatione asseritur. Atque hæc tria certissima fundamenta sunt petendorum, exspectandorum, & percipiendorum omnium beneficiorum Dei. Quapropter eis commodissimè subjecit author sequente versu postulatum suum: in quo summatim duo comprehenduntur, quæ Deum præstare in suis necesse est: nempe piorum perfectio, constitutióq; commoda ad omne bonum opus: & modus illius. Ad piorum perfectionem in omni bono opere, non solùm id necesse est, ut convenienter aptati sint & cõstituti ad omne bonum opus præstandũ foris; verumetiam ut bonum finem in suis operibus pręstandis habeant, sine quo fieri non potest, ut ullum opus bonũ esse possit. Ac ad bonum quidem opus pios magis ac magis comparari virtute Dei postulat illis verbis, *Perficiat nos in omni opere bono.* Finem verò demonstrat illis, *Ad faciendam voluntatem ipsius.* Modus autem rerum istarum æquè a Deo proficiscitur. Nam Deus est qui efficit ut velimus, & ut perficiamus pro bona voluntate sua, & dat ipse quod jubet, ut Augustini utamur verbis: sed ita tamen, ut quemadmodum in fundamento petitionis hujus, Patris opus ab opere Filii distinctum fuit in sanctificando consummandóque mysterio redemtionis nostrę; sic etiam distinguatur in sanctificatione nostra. Pater enim is esse dicitur tãquam author vel causa prima, qui *facit in nobis quod placet sibi & in conspectu suo*: Filius verò is esse dicitur, per quem pater velut Mediatorẽ, omnia hęc in nobis perficit. Unde sequitur finis ille summus, quò omnia cogitata, sermones, & actiones nostras oportet contendere, quum ait Apostolus: Cui nimirum Patri & Filio cum Spiritu sancto, *sit gloria in secula seculorum, Amẽ.* Nam ut a Dei gratia omnia illa profluunt quę piis promittuntur; sic ad Dei gloriam, cujus causa efficiuntur maximè, referri necesse est. Altera precatio ad Hebræos respicit versu 22. qua monet ipsos, ut sustineant sermonem exhortationis, & se æquo animo patiantur erudiri sacris concionibus, objurgationibus, reprehensionibus, & omne genus admonitionibus in Domino. Cujus rei causa est finalis, piorum emendatio & salus: occasionem verò singularem exponit Apostolus quum inquit, *Et enim brevibus scripsi vobis*, nimirum exhortationis, qua habetis opus, argumentum: tamquam si diceret, Non placuit mihi, nec volui multus esse longiore Epistola, & copiosiore sermone ad hortationes pertinentes: tùm ne vobis molestius essem, lõgitudine scripti: tùm verò quia hoc officium ad quotidianas hortationes sacrarum concionum putavi pertinere: ac propterea cõfidens doctoribus vestris, eos strenuè atque diligenter facturos officium, & pro certo habens, eos in hac re jam religiosissimè versari; id tantùm a vobis peto ut quod officium hac Epistola non præstiti, quia illi faciunt, id officium ab illis pari reverentia ac religione suscipiatis, ut si a me coram sermone, aut etiam Epistola hac proficisceretur. Secunda pars conclusionis, brevis narratio est & sponsio. Narratio est, *fratrem Timotheum solutum esse*: sponsio, Apostolum, *cum ipso venturum* ad Hebręos, *si quam primùm venerit.* Hic verò duplex oritur quæstio. Nam primùm, quia nusquam legitur Timotheus fuisse captivus Romę, quo tempore Paulo adsistebat, quęritur quid sibi hæc narratio velit Timotheum solutum esse: deinde verò quæritur, quomodo Paulus Romæ vinctus hanc Epistolam dicatur conscripsisse & spem fecisse Hebræis adventus sui. De priore ut dicamus paucis, falluntur sanè

ſanè qui vocem Græcam ἀπολύεσθαι, aut Latinam *ſolvi*, non aliter putant poſſe accipi, quàm de liberatione a vinculis. Nam dicunt etiam Greci ἀπολύεσθαι τῆς μέμψεως, pro eo quod eſt abſolvi a criminatione etiā domeſtica & privata, ſine cognitione vel accuſatione forēſi. Cùm itaq; verbum illud homonymως a Græcis enuncietur, id potius videndum fuit, qua ſignificatione hæc vox commodè hoc in loco exponi poſſit, ut cum veritate hiſtoriæ conſentiat. Ac de Timotheo quidem, utrùm fuerit in vinculis alicubi (nam Romæ in vinculis fuiſſe hoc loco minimè dicitur:) An verò aliqua inſigni criminatione aſperſus a malitioſis Satanæ adminiſtris, ut ferè fit; cùm ex Scripturis aliquid coſtare non meminerim, non poſſum facilè ſtatuere: Etſi proprietatem Græcæ linguæ ſi obſervaveris, probabilius eſt ex vinculis ſolutū dici; quia hoc verbum abſolutè non legitur in altera illa ſignificatione. Verumtamē, ſuum cuique judicium per me liberum eſto. Quòd ſi ex aliorum locorum comparatione fas eſt conjicere, crediderim eo tempore Timotheum in vincula incidiſſe, quum Paulus Roma Timotheum miſit, qui Aſianas Eccleſias confirmaret, ſtatúmque earum cognoſceret ad Paulum relaturus, ut ipſe ſcribit Philipp. 2. 19. Cùm enim Timotheus forti animo præditus eſſet, qui germanè curaret res Eccleſiarum, ut ibidem loquitur Apoſtolus; credibile eſt, quemadmodum non fuit ſegnis in opere Domini, ita non fuiſſe ſegnem Diabolum in opponendis impedimentis forti huic athletæ Chriſti. Neq; mirum cuiquam videri debet, ſi aut a Luca in Actis Apoſtolorum, aut a Paulo alibi non eſt injecta horum vinculorum mentio. Nam Lucas res tantum deſcribit Apoſtolorū, ac præcipuè Pauli, geſtas; & ante hæc tempora finem fecit hiſtorię ſuę. Paulus verò hanc poſtremā ſcripſit Epiſtolam ad Hebræos, ut eos armaret adverſus gentis ſuę criminationes, judicio meo; & velut cygneū melos, reliquit hoc ſcriptum in Eccleſia Chriſti. Deinde credibile eſt diuturnam illius in vinculis non fuiſſe moram; ac proinde tam celerē fermè fuiſſe nuncium de liberatione, quàm de vinculis & captivitate ejus. Altera quæſtio, quomodo Paulus hanc Epiſtolam conſcribens Roma, ſpem facere potuerit adventus ſui, ſolvitur ſimili ad Philip. loco, quum inquit ſecundo capite: *confido in Domino, me quoque citò venturum ad vos.* Quamobrem nullius momenti videntur mihi argumenta eſſe, quibus nonnulli adducti ſunt, ut hanc Epiſtolam negarent Pauli germanam eſſe; cùm hæc omnia & rerum veritati, & temporum circumſtantiæ, & reliquæ Scripturæ conveniant commodè: Neque hic ſolùm Timotheus a Paulo appelletur *frater*, ſed etiam in multis aliis Epiſtolis, niſi quum ad ipſum ſcriberet. Reſtat ſalutis dictio, tùm a Paulo, tum a fratribus *Italicis*, id eſt, non iis ſolùm qui Romæ commorabantur, verum etiam iis qui ex Italia tota Paulum ſalutaturi veniebant Romam; tamquam ſi dixiſſet, a ciſmarinis hominibus. Atque hæc ſalutis dictio ad omnes ut perveniret, Paulus certo conſilio utitur enumeratione partium, quum dicit: *Ductores veſtros, & omnes Sanctos*, id eſt, Paſtores & oves de grege Chriſti. Atque hæc ſalutatio fauſta precatione concluditur, *Gratia ſit vobiſcum omnibus, Amen.* Etiam atque etiam, Amen.

SACRORVM PARALLELORVM APPENDIX.

Ex Epistola Jacobi.

Parallelus Primus.

Levit. 19.	Jacobi 2.
18 *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*	8 Siquidem legem Regiam præstatis secundùm scripturam, Diliges proximum tuum ut teipsum; benè facitis.

EST quidem illius sententiæ, quam Deus imperavit Lege, finis & argumentum evidens: sed accommodatio, qua Jacobus hoc loco utitur, paulò obscurior est, nisi quodammodo ratio illius exponatur. Ac finis quidem est, ut inter sanctos, & in Ecclesia maximè, tollatur omnis prosopolepsia sive personarum acceptio, non solùm reipsa, verùm etiam specie & apparentia, ut vulgò loquuntur. Summa verò, eos qui secus faciunt, venire contra Legem atq; ab ea, ut transgressores, redargui. Hoc argumentum ut probet Apostolus utitur loco a genere (ut Logicorum more dicamus) contrario, & argumentatur in hanc sententiam: Qui non diligit proximũ suum ut Lege præcipitur, is peccatum committit, & ab ea redarguitur. Lex autem proximum jubet diligat quisq; ut seipsum, id est, sine personarũ acceptione ulla eum prosequatur eodem amore, quo nos ipsos natura duce prosequimur. Qui ergò proximum suum ita non diligit, is peccatum cõmittit, & Lege Dei redarguitur. Elegans verò epitheton illud est, quòd Lex illa, regia Lex ab Apostolo nominatur; sive (ut vetus interpres reddidit) regalis. Nam etsi alii, ut Syrus Interpres, Regiam Legẽ accipiunt ab effiente causa, quia a Deo Rege nostro lata est (hoc autem modo omnes Leges a Deo latæ tam dicendæ sunt Regiæ, quàm hęc a Deo dicitur) Alii Regiam Legem appellari statuunt ut viam Regiam, id est, omnibus patentem viæ Regiæ instar: atque in hunc modum via Regia Num. 21. 22. appellatur. Omninò tamen crediderim, bona omniũ pace, Legem potiùs Regalem eo appellari, quòd Regio fermè spiritu, id est, forti & constante animo a piis omnib. præstari debeat, tamquam Lex digna regalibus ingeniis. Quo argumento ait Solomo Proverb. 30. tria benè procedere, imo quatuor benè ambulare: veterem Leonem, equũ dossuarium, caprum, & Regem, in quem nemo ausit insurgere. Nam pari animo hominem oportet instructum esse qui ἀπεῤῥωγοτοπολύπλως in hac senescentis mundi colluvie ambulare velit. Hęc interpretatio mihi quidem plus cum argumento habere videtur convenientiæ.

PARAL-

PARALLELUS II.

Jacob.2.

21 Abraham Pater ille noster, nónne ex operibus justificatus est, quum obtulit Isaac filium suum super altare ?

22 Vides fidem operatam fuisse cum operibus illius,& ex illis operibus fidem fuisse consummatam ?

Gen.15.

6 *Credidit autem Abraham Deo, & imputavit hoc ei ad justitiam.*

23 Et impletam esse eam Scripturam quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam, & amicum Dei vocatum esse.

24 Videtis igitur ex operibus justificari hominem, ac non ex fide tantùm.

25 Similitérque etiam Rahab illa meretrix annon ex operibus justificata est,quum excepit nuncios,& alia via emisit eos.

CUm de veritate utriusque hujus historiæ inter omnes conveniat, neque ullo pacto discedere videatur ab iis Apostolos quæ in Testamento vetere perscripta sunt; non sumus hoc loco de historię comparatione dicturi quicquam: sed quia ab his exemplis quæ ad doctrinam nostram scripta sunt,Eruit Apostolus documentum istud; Abraham & Rahab ex operibus justificatos esse; quod in utraque historia non fuit expressè dictum: paucula tantùm annotabimus; acquiescentes iis quæ & sancti Patres, & homines nostri sanctè doctéque de hoc argumento tradiderunt.Tria igitur summatim adferemus, ut veritatem hujus loci meliùs assequamur; primum est,quid in quæstione sit: secundum, quæ media ad quæstionem exponendam adhibeantur: postremum, quid conficiatur ex iis mediis quibus Jacobus utitur. Quæstio est versu 14. quæ sit utilitas, si quis dicat fidem habere se, opera verò non habeat: id est, non hic quæritur de Christiana fide absolutè, ut est donum Dei habituale, vel habitus donativus in nobis: non item relatè, id est, prout vera fides necessariam cum operibus fidei relationem habet; neq; ab eis divelli potest: non item comparatè, id est, prout arbor cum fructu interdum comparari solet, & de utraque distinctè dici: sed de fide hoc loco quæritur oppositè, hoc est, ita ut fides separatim itémq; separatim opera, tamquam separata duo subjecta,in quæstionem veniant,& alterius cum altero fiat comparatio secundùm effecta ipsius.Hęc ita se habere ostendit exemplum hypotheticum,versu 15. & 16. deinde verò contentio elegantissima versu 18. quum Jacobus ait, *Tu fidem habes & ego opera,ostende mihi fidem tuam absq; operibus tuis*, &c. deinde versu 19. per distinctionē homonymiæ quæ est in verbo *Credere*, & nomine *Fides*,ad quam homonymiam optimè allusit Augustinus dicens: Fidem sine operibus, fidem esse Diaboli: fidem conjunctam operibus fidem Christiani. Hanc igitur quæstionem postquàm duobus argumentis anteà solvisset, quæ modò indicavimus; omissis rationibus, quæ tamen apud homines valere debent, transit Apostolus ad authoritatem

Scripturæ,

Scripturæ, dicens versu 20. *vis verò nosse, ô homo vane, fidem quæ est absque operibus mortuam esse?* Deinde suam illam propositionem duobus mediis confirmat; Abrahami sanctissimi credentium Patris, & (ut amplior peccatoribus sit consolatio) Rahabæ meretricis. De Abrahamo inquit vers. 21. *Abraham ex operibus justificatus est, quum obtulit Isaac filium suum super altare:* tamquam si diceret, hanc utilitatem ex operibus suis habuit (ut duobus versibus sequentibus concluditur) quòd fide ipsius in eum modum operante cum operibus ipsius, quorum radix est fides, fuit tum consummata perfectáque, id est, in usum justum perducta & palàm testata ac demonstrata fides illis operibus, & completa est Scriptura illa quæ dicit, *Credidit Abraham Deo,* &c. & *amicus Dei vocatus est.* De hac autem utilitate fidei ita statuendum est, aliam esse utilitatem fidei, quum absolutè respicitur; Aliam, quum relatè: sed nullam esse, quum oppositè appellatur fides. Quæ est utilitas absolutæ fidei? quòd per eam Christum prehendimus & in eodem justificamur fide. Quæ utilitas relatæ? quòd gignit bona opera, eisque coram hominibus cum sui ipsius veritatem, tum hominis cui inest justitiam ex fide testatam facit, & (ut Apostolus loquitur) seipsam ostendit ex suis operibus, Horum verò neutrum præstat illa fides, quæ operibus fidei opponitur: quia non est id quod fides, sed esse dicitur per homonymiam vocis. Optimè autem Apostolus a relata fide argumentatur, ad eam evertendam quæ per oppositionem appellatur fides. Nam cùm illius fidei per oppositionem dictæ nulla sit utilitas, neque apud Deum, neque apud homines; fidei autem relatæ, de qua hic agitur, sua sit utilitas & apud Deum, & apud homines: necessarium est, ut ea fides quæ suas utilitates habet, vera dicatur fides; & illa repudietur quæ utilitate caret. Cùm autem relata fides; qua ad Deum Patrem respicit in Christo, citra contemplationem operum nostrorum nos justificet coram Deo; qua autem gignit opera, nos justificet coram hominibus, id est, ostendat se justam fidem esse, & nos ex ipsa justos in Christo Jesu: omninò verum est quod dicit Apostolus; Abraham ex operibus justificatum esse, non oppositè, ita ut tollatur fides; sed relatè, ita ut fides apud eum justificet qui fidem videt: opera verò apud eos justificent, in quorū oculis exposita sunt. Nam alioqui rei imperfectæ perfecta non potest esse efficacitas; Opera autem nostra imperfecta sunt, quamvis purissimi hominis: Ac propterea perfectam illam justificationem, qua justificamur gratis coram Deo, conferre in solidum aut ex parte non possūt; sed eam solus Christus sibi vindicat, & nos in Christo solùm fide percipimus. Perinde igitur est atque si diceret Apostolus: Abraham pater ille noster jam olim fide justificatus coram Deo, posteà ex operibus fidei justificatus est, quum filium suum obtulit, &c. Quamobrem, ut hæc opera oppositè non esse accipienda ostenderet, subjecit ἐκθεσιν vers. 22. & sequente, tamquam si diceret: Isti homines qui sibi blandiuntur inani specie & appellatione fidei, iniquè oppositionem faciunt fidei & operum, cùm hæc duo nulla ratione divelli possint. Nam fides est principium operationum omnium, in singulis operibus bonis, & in omnibus piis cum operibus ipsorum agens; & vicissim piorum opera sunt complementa, id est, justi & maturi fructus illius fidei, quæ per charitatem & opera bona operatur. Ex hac autem fide per opera bona seipsam explicante, duo illa encomia ad fideles quosque perveniunt, quæ de Abrahamo prædicantur vers. 23. unum, quòd

quòd fides illa coram Deo, quæ imputatur ipsis ad justitiam, impleri dicitur, hoc est, amplius complementum sui ostendere. Alterum, quòd illi sententia Dei pronunciantur esse *amici* Dei: id est, prout suam fidem magis ac magis testatam fecerunt operum bonorum complemento, sic Deus amicitiam illorum (nempe qua Deum amant & colunt) in lucem proferre dicitur, adeò ut huic ipsorum justificanti fidei non modò opera ipsorum, verumetiam gratiosæ Dei testificationes coram omnibus hominibus attestentur. Sic justificantur operibus; dum hæc testificantur eorum fidem, qui operam dant bonis operibus: ac proinde utrique, puta fidei & operibus ex fide, Deus perhibet testimonium. Nam eò respexit Apostolus, quum diceret Abrahamum amicum Dei vocatum esse, id est, ita probatum fuisse Deo amorem illius quo Abraham diligebat ipsum, ut palàm testificatus sit Deus religiosum illud studium amorémque in se: quemadmodum a Mose narratur dixisse Dominum, *Per me juravi, dictum Jehovæ, eo quòd fecisti rem hanc, neque subtraxisti filium tuum, unicum tuum*, &c. id est, magis me, quàm filium tuum amavisti; adeò ut eum audita voce mea & mandato meo paratus fueris mactare, ratiocinatus me vel ex mortuis eumdem excitare posse. Ex hujus exempli propositione infertur illa conclusio versus 24. nempe, ut Abraham justificatus est, ita homines justificari: Abrahamum ex operibus justificatum esse, & non ex fide tantùm. Ergo etiam homines reliquos: Justificari autem secundùm naturam præmissarum propositionum, ut ampliùs concluditur in versu ultimo. Eodem quoque pertinet alterum exemplum meretricis illius Rahab: quo Deus idem argumentum ampliùs voluit confirmari, ut peccatores videant quanta sit Dei misericordia in eos, qui per fidem ex animo resipiscentes bonis operibus studuerint. Ex his exemplis per inductionem quamdam Rhetoricam, ne plura adducerentur, Apostolus paralepsi utens similium exemplorum, quæ sunt innumera, optimè statuit & concludit ex antecedentibus mediis, Christianum hominem justificari & coram Deo fide, & coram hominibus operibus bonis quę progignit fides. Justificari autem primùm fide, quæ imputatur ipsi ad justitiam perfectam & absolutam coram Domino; deinde verò operibus fidei, quæ præstantur secundùm imperfectam illam & inchoatam in nobis justitiam, sanctificationémque nostram, non coram Deo perfecto judice, sed coram hominibus, fidem electorum ex operibus & justitiam ex fide animadvertentibus. Nam pro eo quod licentiosi illi præcones fidei suæ, qui oppositionē inter fidem & opera statuebant, gloriabantur iniquè de sua illa fide; Apostolus contrà fidem relatè considerari demonstrat oportere: ut non solùm Deus radicem videat, sed homines quoque arborem ex fructu possint cognoscere, & quisque pius, qualis sit, ex fructibus vitæ ostendere. Quapropter optimè concludit Apostolus in versu ultimo, *sicut corpus absque Spiritu mortuum est, ita etiam mortuam esse fidem illam quæ est absque operibus:* tamquam si diceret; quemadmodum relatio est inter corpus & Spiritum, omnino necessaria, secundùm personalem unionem in unoquoque homine; ita in unoquoq; Christiano & fideli, relationem esse realémque unionem inter fidem & opera ipsius. Fidem enim vitalem esse in singulis piis, ut quæ prehendat Christum qui vita est nostra: Vitam verò illam quæ est ex fide, non esse futuram verè vitam, si in operibus vitæ illius, qua vivimus credentes, non occuparetur. Quod autem quærere aliquis posset: Cur ergò non

dicat

dicat potiùs Apostolus opera absque fide esse mortua, ut comparationi institutæ respondeat corporis & spiritus? Facilis est responsio. Non enim argumentatur Apostolus in hoc simili, a rerum singularum, & proprietatum quæ sunt in eis comparatione; sed potiùs ab exemplo unionis personalis, realem unionem statuit fidei & bonorum operum: Ex qua concludit, fidem mortuam esse absque operibus; quia hic disputatur adversus eos, qui justam esse hominis Christiani fidem, etiám sine operibus bonis prædicabant, séque pro fidelibus viris, & Christianis venditabant. Nam alioqui ea opera quæ hominibus videntur bona, vel quæ secundùm hominem bona appellantur, si Apostolus hoc loco fuisset criminatus, verum quidem dixisset; sed nihil ad causam quæ agitur. Etsi nemo pius est, qui dubitet bonorum operum, quæ verè bona sunt, formam esse duplicem, internam, & externam. Formam internam fidem esse, sine qua nec ipsi Deo placere possumus, nec opera nostra coram Deo accipi: Externam verò, quæ vulgò justitia humana dicitur, tum demum bonam esse, quum ab interna proficiscitur formatúrque: Sin autem interna careat, videri quidem hominibus justitiam; sed non esse: ut mortui hominis corpus, quod formam quidem externam habet, internam verò minimè, non aliter quàm æquivocè homo dici potest. Sic ergò optimè concludit Apostolus, fidem sine operibus non esse fidem, sed tantùm dici: fidem verò conjunctam operibus esse & dici revera fidem, atque ab hominibus pro fide agnosci: quæ coram Deo tamen est & censetur fides ad justitiam, etiam citra operum, quæ homines vident, contemplationem.

PARALLELUS III.

Num. 11.

29 *Dixit autem Moses illi, an invides mea causa? ó si daretur totum populum Jehovæ Prophetas esse*, &c.

Prov. 3.

34 *Derisores Jehova deridet, humilibus autem dat gratiam.*

Jacobi 4.

5 Aut putatis inaniter Scripturam dicere? Ad invidiam concupiscit Spiritus ille qui habitavit in nobis?

6 At majorem dat gratiã: propterea dicit, Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam.

EST quidem finis & summa hujus argumentationis evidens ex ea propositione, quam tribus primis versibus hujus capitis Jacobus instituit: Sed in locorum accõmodatione, ad quos respexit quum has Scripturæ authoritates adduceret, variant sententiæ; cùm propter diversitatem orationis a stylo communi Testamenti veteris, tum propterea quòd non facilè videtur exstare locus, qui cum illo priore comparari possit. Mihi verò, ut omnia præjudicia mittam, videtur Apostolus contra illam humanam & diabolicam invidiam, duos Scripturæ locos, duplicémque argumentationem ex eis attulisse. Prior locus (nisi me conjectura fallit) ex hypothesi vel exemplo singulari sumtus est: posterior thesin complectitur vel generale documentum. Hypothesin ex responsione Mosis ad Josuam ductam esse judico. Nam quum iniquè ferret Josue, duos illos seniores populi, Eldad & Medad, in

in castris prophetare, & apud Mosem instaret, ut eos ab illo prophetandi officio intercluderet; Mosem respondisse legimus, *An invides mea causa?* &c. ut in Parallelo diagrammate posuimus; tamquam si diceret: Communis est ille Spiritus, qui in utroque nostrum & in aliis Dei servis habitat, túm ad singulorum regenerationem, tùm verò ad dona illa Prophetiæ singularia,& ad communem ædificationem omnium. An verò putas Spiritum illum habitantem in nobis, concupiscere ad invidiam, id est, eumdem Spiritum & ad bonum ædificationémque fratrum fuisse datum, & ad malum ac destructionem ipsorum? quò spectat invidia. Imò verò tantum abest, ut vel privata mea ipsius causa, vel cujusquam alterius, ad invidiam abripiar, aut Spiritus ille Propheticus eò deducat me; ut contrà nihil tantopere expetam sublata omni invidentia, quàm ut singuli, qui in populo Jehovæ sunt, eodem Spiritu instructi prophetare possint. Hæc sententia est illorum verborum, quibus Jacobus utitur & Mosem interpretatur, dicens; *An concupiscit ad invidentiam Spiritus ille qui habitat in nobis?* Sic enim verba Jacobi accipio erotematicè: deinde ex contrario subjicit; Imò verò, tantum abest ut ad invidentiam concupiscat, ut contrà majorem dec gratiam, id est, profundat hilariter & liberaliter citra omnem invidentiam ea dona, quæ gratis a Deo accepit, Deúmque, a quo omne munus bonum & perfectum donum supernè descendit, imitatur: Is enim omnibus dat benignè, nec ulli exprobrat; ut antè capite primo docuerat, & sequentis loci authoritate confirmatur. Quum enim Jacobus, inquit, dicere Scripturam: *Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam*, in hanc sententiam argumentatur: Qualis Deus est, tales nos oportet esse: Deus autem humilibus est gratiosus: Nos ergo etiam oportet esse gratiosos, & quam gratiam ab eo accepimus, eamdem grato animo cum aliis communicare, nec ulli invidere. Ceterùm in hac locorum parallela comparatione, videtur plurima esse mutatio, si ad hæc verba respexeris, & ad ea simul quæ leguntur in Testamento vetere, ut palàm est diagrammate. Sed non eò minùs putandum est Scripturæ adduci locos, si quando aut verborum, aut argumentationum modus mutatus est; modò in summa substantiáque rei justa sit convenientia: quemadmodum antè in libro 1. Parallelo 5. ostendimus. Nam plurimùm accidit, ut aut locorum & argumentorum ratio mutari aliquid postulet ad evidentiam, aut partem solùm aliquam excerpi, præsertim si totius loci perscriptio obscuritatem esset allatura. Hoc verò futurum fuisse, si totum Mosis locum Jacobus adduxisset, tam certum est, quàm quod certissimum. Deinde verò longiore sermone fuisset opus; quia posita illa hypothesi, fuisset posteà ad thesin veniendum; & argumentum accommodandum sermoni instituto: quæ res non adjuvisset, sed implicavisset magis animos legentium. In altero autem loco nihil nocet, quòd LXX. interpretationem Jacobus sequutus est. Nam primùm eadem est sententia planè, quamvis differentibus a Salomone verbis: deinde, etsi duodecim tribubus dispersis apud Gentes scribebat; tamen duo spectavit, quæ in Epistolam ad Hebræos, jam suprà attigimus; nempe gentiles suos peritiores per illud tempus Græcæ linguæ quàm Hebrææ fuisse; & prætereà sic illis consuli oportere, ut aliis quoque Gentibus, ad quas sermo Euangelii pervenit, consuleretur. Atque hæc facilis, judicio meo, horum locorum sententia & interpretatio.

Parallelus IIII.

Jacobi 5.

11 Tolerantiam Job audistis, & finem Domini vidisti s.

Finis hujus loci est, ut ab exemplo discamus beatos esse qui adversa tolerant: summa; in Jobo & sanctæ tolerantiæ & speratæ beatitudinis exstare exemplum a Scriptura sacra nobis propositum. Omnia conveniunt optimè, nec egent a nobis interpretatione. Id tantùm observandum est, posteriora illa verba, *finem Domini vidistis*, id est, finem quem assequutus est a Domino, respicere ad ea quæ habentur Jobi 42.12. *Jehova ergo benedixit fini Jobi magis quàm principio*, &c.

Parallelus V.

Jacobi 5.

17 Elias homo erat iisdem quibus nos obnoxius, & precibus precatus est ne plueret, ac non pluit super terram annos tres & sex menses:

18 Et rursum precatus est, cœlúmque dedit pluviam, & terra produxit fructum suum.

Finis est, ut sanctarum precum quibus fideles utuntur, fructum agnoscamus: summa; ut antè dicebat Jacobus plurimùm valere deprecationem justi efficacem. Hoc dictum exemplo Eliæ confirmatur. Quod exemplum nihil obscuritatis habet. Tantùm duo in dubium vocari possunt: prius, quòd non videtur sacra Testamenti veteris historia dicere, hanc rem Eliam precatum esse; posterius, quòd ea non videtur spatium illud annorum trium & sex mensium circumscribere. Ac prius quidem verum est, non legi disertis verbis Eliam contendisse precibus, ne plueret; quæ res inhumanitatis aliquid habere videretur: sed si narratio ex 1. Reg. 17. benè expendatur, hæc ita se habere evincit analogia. Nam historia sacra non orditur eo in loco narrationem suam, inde a principio vocationis Propheticæ & functionis Eliæ, neque res singulas antegressas minutatim narrat; sed tantùm brevitatis causa summas quasdam rerum gestarum & cum eventis conjunctissimas percurrit; reliquarum (ut mos Scripturæ est) paralepsi vel præteritione utitur. Non est autem dubium, quin jam diu ante narrationem illam Elias prophetaverit, & Deo ministraverit: Nam propterea dicit; *Ut vivit Jehova Deus Israëlis, in conspectu cujus sto*, &c. Similiter quin a Deo edoctus fuerit, publicam illam rebellionem Regis & regni totius Israëlitarum, opus habuisse singulari aliqua & extraordinaria castigatione; ut experti singulari modo iram acerbam Dei, peccata sua recognoscerent: quam ad rem petendam Elias per Spiritum Dei adductus est, & se exorari a Deo cognovit singulari revelatione & mandato de prænuncianda indicendáque illa plaga. Postremò etiam non dubium est, quin analogus hujus propositionis veritatem ostendat de suis precibus, quum ait, *Non esse futurum annis illis rorem aut pluviam, nisi ex verbo ipsius*, id est, ad preces, quas habuisse dicitur 1. Reg. 18.42. ac proinde ex eodem verbo, id est, precibus ipsius cohibitam fuisse pluviam, quo post illud spatium fuit redhibita. Optimè igitur statuit Jacobus Eliam precatum

catum esse ne plueret; qui quum primùm in contrariam sententiam precatus est, pluviam exoravit, & fructus terræ consequutus est. De spatio autem illo temporis quod hîc circumscribitur, non est cur magnopere laborent qui ad historiam 1. Regum 17. & 18. attenderint. Nam primùm non sunt obscura Eliæ verba in principio capitis 17. *Non est futurus annis istis ros aut pluvia*: deinde verò primum annum ad torrentem Cerithi exegisse dicitur versu 7. tum alterum Sareptę apud viduam, versu 15. itémque tertium, reliquo capite. Posteà verò demum diebus multis post annum tertium (id autem est, sex mensibus) Elias verbo Domini ad Achabum missus est, 1. Reg. 18. 1. Quapropter optimè tùm Christus Lucæ 4. 25. tùm Jacobus hoc loco, spatium illud triennii & sex mensium definiverunt, eò quòd pluvia, post quarti civilis anni, (ut ego quidem judico) sex menses elapsos, id est, verno tempore immissa est, ad preces Eliæ, postquàm Prophetæ Baalis fuerant jugulati, & Dei gloria ab eorum impietate vindicata in conspectu omnium.

EX PRIORE EPISTOLA PETRI.

PARALLELUS VI.

Levitici 11.	1. Petri 1.
44 *Estote sancti: Nam ego sanctus sum.*	16 Sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti sitis in tota conversatione.

17 Propterea quòd scriptum est; Estote sancti, Nam ego sanctus sum.

Hujus loci finis & summa sive argumentum est evidentissimum; nempe pios non solùm ab exemplo, verum etiam a communione sua cum Deo Patre in Christo Jesu per Spiritus sancti communicationem, secundùm fedus, promissiones, & virtutem Spiritus in ipsis habitantis, ad sanctificationem vocari: sumta argumentatione a propria natura Dei, & relatione nostri cum Deo. Nam si Deus sanctus est; sanctitas autem cum impuritate consortium non potest habere; omnino sequitur, aut sanctitati nos incumbere, aut renunciare Deo oportere, & a communione illius planè absistere.

PARALLELUS VII.

Esaiæ 40.	1. Petr. 1.
6 *Omnis caro est gramen, etiam omnis benignitas in eam collata, similis est flori agri.*	24 Renati non ex semine corrupto, sed incorrupto per sermonem Dei viventem & manentem in seculum:

7 *Exarescit gramen, decidit flos quum spiritus Jehovæ perflat ipsum: utique gramen est populus.*

8 *Exarescit gramen, decidit flos: at verbum Dei nostri permanet in seculum.*

25 Propterea quòd omnis caro ut gramen est,& omnis gloria hominis ut flos graminis. Exaruit gramen,& flos ejus decidit.

26 Sed verbum Domini manet in æternum.

Finis hujus sermonis non est obscurus ex antecedente proximè documento Petri. Nam postquàm ad fidem & sanctimoniam pios hortatus est,ostendit demum his verbis,unde hæc bona,quæ Deus per ipsum imperavit,ad nos perveniant,& quo instrumento utatur Deus ut ea in nobis subolescant. Finis igitur est, ut pii teneant quæ principia, progressus, & alimenta sint fidei & sanctimoniæ, ex quo in ipsis fuit inchoata beneficio Dei. Summa est; principia fidei & sanctimoniæ electorum esse a Deo per regenerationem gratiæ: cujus regenerationis informandæ,alendæ, & promovendæ in nobis semen & instrumentum est verbum Dei, quod Euangelizatum est Ecclesiæ ejus. Quapropter hoc *semen regenerationis incorruptum* appellatur, & *verbum Dei*,quod tamquam semẽ seritur in mentibus nostris, *vivum & manens in seculum.* Hoc dictum Apostoli duobus modis poterat controverti. Nam primùm fuerant adversarii authoritatem vel testimonium Scripturæ desideraturi : deinde verò hoc loco Esaiæ adducto, fuerant dicturi, non agi illic de hac Euangelii prædicatione. Propterea utrumque facit Apostolus: Nam & authoritatem adfert, & eamdem confirmat ad sermonem hunc pertinere. Authoritatis verba sunt evidentia : nam & verbum Dei in seculum manere dicitur, & illius vis gloriáque amplificatur demonstratúrque potentissimè instituta oppositione vanitatis naturalis, quæ inest homini, nec alia ratione corrigi aut eximi ab eo potest, quàm si seminis æterni subjectum fiat : qua ratione illud ipsum subjectum in quo semen æternum seritur, æternitatem participat. Hominis vanitatem exposuit Propheta simili per gradationem. Nam primùm *omnis caro*,id est,homo synecdochicè, *ut gramen esse* dicitur: deinde accedit incrementum,quum *omnis gloria hominis*, quæ nihil aliud est nisi beneficium a Deo collatum in hominem (quò Esaias spectavit, quum benignitatem hominis appellavit, pro eo quod est gloriam benignè attributam) dicitur *ut flos esse graminis*; ac proinde (quod verborum sequentium exegesis docet) ut *gramen exarescit & flos ejus decidit*, ita homine fieri. Sed utut miserum & vanitatibus infestum sit per se subjectum istud; tamen vindicatur homo a miseria & vanitate sua, quum verbum Domini habet in se manens. Firma est enim argumentatio, qua etiam Augustinus utitur agens de immortalitate animæ,& ex ratione naturali sumta: Rei æternę subjectum ęternum esse oportere : Verbum Dei æternum esse; Igitur in subjecto æterno manere. Quòd si per se non æternum esse dicitur subjectum illud; omnino tamen virtute Dei & communione incorrupti illius seminis æternum effici. Quod argumentum jam olim Esaias prædicavit, & optimè interpretatur Petrus. Sunt quidem mutata paucula in hac authoritate adducenda, & plura deminuta: sed si quis rem penitius introspexerit, facilè animadversurus est nullam verbis Esaiæ deminutionem fieri cum jactura sensus; sed commodè pro hoc argumento non-

nulla

nulla explicari, & omitti alia, quæ ad hoc institutum non magnopere petinebant. Quia verò,ut antè diximus, illud etiam rogari potuit, illa Esaiæ verba ad hoc argumentum minimè pertinere; contraria affirmatione refellit Apostolus impiam objectionem istam, quum posteà subjicit in fine capitis: *Hoc autem est verbum illud quod Euangelizatum est vobis:* Quibus verbis omnino respexit ad illud mandatum Dei de pronunciando in gentibus Euangelio, Esaiæ 40. 6. *Vox dicens, prædica, etiam dicit,quid prædicaturus sim:Omnem carnem esse gramen,*&c.tamquam si diceret: Cùm Deus jam olim hoc argumentum sacrarum prædicationum in Euangelio esse voluerit, ut homines dejicerentur in se, Euangelio autem erigerentur in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, ut idem loquutus est: hoc autem ministerium Euangelii his temporibus ultimis sit omnibus patefactum, prout Esaias olim prophetaverat: non posse quemquam cum ratione, adeóque specie rationis, contendere adversus hanc prædicationem incorrupti verbi, quo ad incorruptionem vocati sumus: nam hoc jam complementum in Ecclesia exsistere, quod olim fuit prænunciatum per Prophetas in Scripturis sacris.

1.Petri 2,6. Esaiæ locus jam suprà expositus est libri secundi Parallelo 15.

1.Petri 27. Davidis locus ex Psalm. 118. similiter fuit expositus libri primi Parallelo 40.

Parallelus VIII.

Exodi 19.

5 *Eritis mihi peculium ex omnibus populis: Nam mea est universa terra:*

6 *Vos,inquam,eritis mihi regnum Sacerdotum, & gens sancta.*

1.*Petri* 2.

9 Vos autem genus electum,regale sacerdotium,gens sancta,populus "ad acquisitionem *institutus*, ut annuncietis virtutes illius, qui vocavit vos e tenebris in admirabilem suam lucem.

10 Qui quondam eratis non populus,nunc verò populus Dei estis; qui *quondam* non consequuti misericordiam, nunc verò consequuti misericordiam.

HAEc verba ex duobus veteris Testamenti locis depromta esse res ipsa loquitur: de quorum posteriore jam suprà diximus libri secundi Parallelo 13. De priore igitur videamus. Sumtus est autem(ut omnes Interpretes uno ore consentiunt)ex capite 19.Exodi, prout in Parallelo diagrammate posuimus. Finis idem est,& argumentum idem : si hoc exceperis, quòd Moses quum illa Dei verba populo enunciaret,enunciavit hypotheticè ex conditione Legis; ut qui proximè ad Legem respiceret, mediatè verò a Lege ad Christum, qui finis est Legis, & ad quem Lex ut pædagogus fuerat populum deductura: Petrus verò,omissa verborum illorum hypothesi, proximè ad Christum respicit; ut in quo exhibitus Ecclesiæ esset finis & complementum Legis. Cùm enim Moses diceret; *si omnino audiveritis voci meæ & observaveritis*

vaveritis fœdus meum, tùm futuri estu mihi peculium, &c. conditionem legalem implicavit, quam Israëlitas præstare oportuerat, si ex operibus legis justificari vellent, eásque prærogativas sibi comparare, quas Deus pronunciat. Cum autem Petrus sublata conditione categoricè prærogativas easdem attribuit piis; statuit id quod pios omnes pro certo habere necesse est; nempe, conditionem Legis in Christo impletam esse, ac proinde ad singulos qui in Christo Jesu sunt, easdem prærogativas purè simpliciterque pertinere. Sic ergò finis & argumentum idem est: sed eo tantùm discrimen intercedit, quòd Moses finem proximum Legis & remotum Christi simul sua illa conditione complexus est: Petrus verò simpliciter ad Christum respexit, citra Legalis conditionis respectum; quia Christus nobis proximus finis effectus est ultimis hisce temporibus, præstita in sese conditione Legis. Ceterùm nonnulla est in verbis mutatio. Nam pro eo quod *regnum Sacerdotum* dicebat Moses vel regnum Sacerdotale, Petrus *Regale Sacerdotium* interpretatus est, sequutus Græcorum L X X. interpretationem: sed eodem redeunt omnia. Nomen verò *peculii*, quo Moses utitur, exposuit Petrus periphrasticè: *Populus ad acquisitionem institutus*: quemadmodum etiam res labore parta, pretio, aut alio quocunque modo, ejus viri peculium esse dicitur, qui acquisivit eam sibi & velut quæsitam jure servaturus est.

Quæ subjecit Petrus in fine capitis secundi de persona Christi; ea quidem omnia ex Prophetarum sermonibus fuerunt ducta, maximè verò Esaiæ: sed quia ex professo non adducitur illorum authoritas, nec Petro necesse visum est; nos quoque non arbitramur ad institutum hoc nostrum pertinere, ut parallelam eorum comparationem in hoc loco exhibeamus, præsertim adeò communi & perspicuo argumento.

PARALLELUS IX.

Gen. 18.	1. *Petri* 3.
12 *Dominus meus senex est.*	6 Sicut Sara obedivit Abrahæ, Dominum eum vocans.

FInis utrobique est, ut sanctum exemplum sit sanctis & piis fæminis, & ad sanctimoniam documentum; Summa, Saram & re & sermone Abrahamum virum suum honore & obsequio justo prosequutam esse, & obsequium suum omnibus testatam communi appellatione, quòd eum Dominum suum nominaret, conscia tùm naturalis juris, de quo Genes. 2. & 3. tùm sponsionis & obligationis conjugalis suæ. Ex hoc autem exemplo sequitur, cùm illa propter commune jus naturæ in matrimonium, & singulare vel privatum obligationis suæ, eam se præstiterit viro, eodem jure teneri omnes fœminas quæ ad conjugium divina institutione vocatæ sunt.

Quæ sequuntur posteà in eodem capite inde à versu 9. ad 15. usque ea omnia fermè ex certis veteris Testamenti locis translata sunt commodissimè, ad explicationem Ethici piorum officii: sed non visum est nobis parallelos de iis rebus locos instituere; tùm quia non adducuntur ex professo loci ab Apostolo: qui omnes ex Proverbiis, Psalmis, & Esaia adducuntur: tùm verò quia argumentum est per se evidentissimum, nimirum in ætiologia positum, & omnibus ex naturæ Lege tam altè

altè mentibus impressum, ut nemo hæc documenta naturali jure inscripta & divino confirmata in dubium vocare possit.

Parallelus X.

1. Petri 3.

19 Per Spiritum profectus etiam Spiritibus qui sunt in carcere prædicavit,
20 Olim immorigeris; quum semèl exspectaret Dei patientia in diebus Noë, dum apparabatur arca; in qua paucæ, id est, octo animæ, servatæ sunt in aqua.

Huic loco Parallelum attexere fuit difficile, quia summam continet duorum fermè capitum, quæ habentur in libro Geneseos: ideóque non placuit aut librum perscriptione capitum onerare, aut Lectori adferre tædium. Finis autem hujus loci est, ut exemplo tùm Christi ipsius, tùm etiam Noë, qui suo tempore fuit administer Christi, adducamur ad sanctificandum Dei nomen, conscientiam bonam habentes, & animas nostras possidentes cum patientia. Summa, Christum sanctificationis illius, & bonæ conscientiæ qua revincantur impii, & patientiæ qua sustententur & ædificentur pii, exemplum & documentum edidisse, non solùm immediatè in persona sua, quum factus est caro, & in ea justus pro injustis passus est; verùm etiã mediatè inde à principio in servis suis, quos eodem Spiritu, id est, virtute divina rexit, ut in sanctificatione nominis Dei, conscientia bona, & patientia pergerent, eósque pudefacerent qui incessunt bonam ipsorum in Christo conversationem: Hujus rei exemplum singulare & potentissimum esse de temporibus Noë, quibus Christus per eumdem Spiritum, id est, virtutem suam divinam immediatè in Noa operans, per ipsum mediatè exemplum præbuit horum documentorum omnium, quamvis depravatissimo seculo, & in pernitiem suam ruente ultro. Hanc interpretationem jam olim vidit Augustinus, ut in Epistola 99. ad Euodium videre est: sed non perduxit omnino ad justam illius expositionem: Quæ res, ut meliùs videatur, Metaphrasi quadam hunc locum explicabimus & cum verbis Mosis comparabimus. Quemadmodum igitur, inquit Petrus, persona Christi in carne earum rerum, quas antè diximus, documentum exhibuit amplissimum, ut nos ad Deum adduceret; quum carne quidem perpessiones mortis subiit; spiritu verò, id est, persona æterna sua, cui caro facta est ἐνυπόστατος vel divinitate sustentavit carnem & vitam restituit, eam à morte præsente vindicans: ita etiam post omnem hominum memoriam eodem spiritu vel divinitate sua exempla proposuit earumdem virtutum quas Deus a piis omnibus desiderat, & Christus immediatè in mentibus piorum præstat, & in oculis impiorum mediatè per servos & administros suos. Cujus rei exemplo esto miserum illud seculum, quo Noë inter peccatores vivere & prædicare justitiam Dei coactus est. Nam primùm Christus, tamquam æternus Dei λόγος, per quem Deus Pater inde à principio sanctis Patribus locutus est, venit sive profectus est ad Noam; profectus autem non mutatione loci (Nam qui non capitur loco, secundùm locum mutari non potest) sed singulari quadam præsentiæ suæ testificatione per revelationem & operationem suam: ut de

majestate Dei Scriptura passim loquitur κατ' φαινόμενον ea dicens fieri, quæ patefiunt divina operatione ejus. Deinde verò dicitur persona Christi secundùm illam æternam divinitatem suam, qua venit ad Noam, prædicavisse olim iis spiritibus, qui sunt in carcere, quamvis immorigeris; quum tribus singularibus illis revelationibus quas Moses narrat Gene. 6. 3. & 7. & 13. versibus, decretum suum explicavit Noë, & per eumdem, velut præconem justitiæ, secundùm speciales illas revelatiónes Dei prædicari voluit illis spiritibus, id est, hominibus, qui nunc sunt in carcere, id est, qui ad judicium servantur, velut fructum suę illius ἀπειθείας. Nam in hac utraque prædicationis forma; immediata, qua spiritus Christi instruxit Noam; & mediata, qua idem spiritus alios instruxit per Noam, exempla earum virtutum exstiterunt, documentáque evidentissima quas antè commendavit Petrus: ut sequentibus verbis ostenditur. Etenim primùm patientia tum Dei ipsius, tum verò Noë secundùm Deum, diuturnissima demonstratur his verbis; quum *exspectaret semel*, id est, post irrevocabile decretum pronunciatum & latum ab ipso, illustris fuit patientia Dei in diebus Noë, qua patientia tum Deus ipse (ut longanimis est) utebatur, tum Noam studentem cultui ipsius & prædicantem instruebat. Deinde verò prædicationis modus ostenditur: quòd Noa & sermonibus sacris seculum suum institueret, & opere exemplóque testatum faceret, quanta religione ad sanctificationem nominis Dei populares suos provocaret, dum apparabatur arca ex mandato Dei, Genes. 6. 13. Postremò autem ad eventum transit Apostolus, quem pii demum assequuntur, quum se fideliter & religiosè in officiis illis occupaverunt; ut omnes videant non esse incertum aut inanem fructum illius patientiæ in fide & sanctificatione nominis Dei; sed contrà certissimè illud consequi, quod antè ex Davide ostendit Apostolus: *Qui vult vitam diligere & videre dies bonos, coërceat linguā suam à malo*, &c. Hunc fructum demonstrat Apostolus, quum ait; *in Arca paucas*, id est, *octo animas servatas esse* per medias aquas, ne cum reliquis immorigeris interirent: cujus rei narratio exstat capit. 7. & 8. Geneseos. Sunt quidem alii præterea, ac non pauci Scripturæ loci, quibus in reliqua hac Epistola Petrus commodissimè usus est: sed neque disertis verbis adduxit authoritatem authorum a quibus fuerunt prolati, quia non erat necessarium; neque ii tam videntur ad confirmationem sermonis quàm ad Ethicam Christianam sive ætiologiam, quæ plerumque minùs controversa est, pertinere. Ejusmodi sunt capite 4. versus 8. 12. 17. & 18. & capite 5. versus 5. 6. 7. & 8. Quapropter nos quoque à parallela eorum comparatiome hic abstinebimus.

EX EPISTOLA SECUNDA PETRI.

PARALLELUS XI.

2. *Petri* 2.

Gen. 3. 4 Nam si Deus Angelis, qui peccaverant, non pepercit, sed catenis caliginis tradidit in tartarum detrusos, servatos ad judicium.

5 Et

5 Et prisco mundo non pepercit; sed octavum Noë servavit, præconem justitiæ, quum impiorum mundo diluvium induxisset: Gen.7.
6 Et civitates Sodomorum & Gomorrhę in cinerem redigens subversione, condemnavit, disposuitque exemplo ut sint iis qui victuri sunt impie; Gen.19.
7 Et justum Lot fatigatnm a libidinosa hominum exlegum conversatione eripuit.
8 (Nam hic justus quum inter eos habitavit, in dies animam justam illegitimis eorum operibus videndo & audiendo, cruciabat)
9 Novit Dominus pios e tentatione eripere; injustos autem, dum puniuntur, servare ad diem judicii.

Finis hujus sermonis est, ut pii certa fiducia liberationis a Deo in omni afflictione consequendæ, & recognitione judiciorum Dei in eos a quibus affliguntur, sanctè confirmentur & contineantur in officio fidei secundum doctrinam puram, & obsequii vel sanctificationis ex fide. Summa, Deum maleficis Angelis hominibúsque pietatem aut justitiam oppugnantibus numquam pepercisse, aut suos oppugnatos tentationi dedidisse, ut in perditionem raperentur; sed justissimè hos eripuisse, & illos perdidisse; ac proinde, ut est immutabilis, eumdẽ fore uno quoque tempore; & scire, & posse, & velle horum salutem, illorúmque exitium procurare atque perficere admirabili providentia sua, & immutabili. Hanc propositionem Rhetorica inductione demonstrat Apostolus, quum de multis exemplis divinæ administrationis decerpit tria luculentissima, ad argumentum hoc pertinentia. Hos, inquit, peccatores perdidit, & servavit justos, 4. primis versibus: Ergo, & reliquo tempore idem facturus est, versu 9. Antecedens demonstratur tribus exemplis: è quibus primum, Angelorum est; secundum, Noë & seculi illius; tertium denique, Loti & Chananæorum, urbes planitiei, ubi nunc lacus Asphaltites est, incolentium. Primum exemplum alteram solùm confirmat propositionis partem, de impiorum exitio; quia diversa est Angelorum electorum ratio: reliqua autem duo per antithesin probationem utriusque membri, quod in propositione est, complectuntur; ut in consequente hujus propositionis, id est in versu 9. concluditur. Si utrumque fecit, etiamnum utrumque novit facere; Fecit autem Scriptura teste: Novit igitur facere. De primo exemplo magis laboratur; quia non videtur exstare in Scripturis evidens ullum judicii istius documentum. Mihi verò omnia penitiùs introspicienti videtur Petrus respexisse ad locum illum Gen.3.15. *Hoc semen conteret tibi caput*, &c. Nam primùm quòd Angeli illi peccavisse dicuntur, non refero simpliciter ad peccatum illud, quo defecerunt, ac non perstiterunt in veritate; sed ad illud quoque, quòd hominem seduxerunt: ut fuit Diabolus homicida & mendax inde a principio. Peccaverũt igitur, tum quòd ipsi renunciaverunt justitię, tum quòd homini authores fuerunt ut similiter sanctissimę illi imagini Dei renunciaret. His autẽ Deus non pepercisse dicitur; ut in se reis peccati, & in alios peccati authoribus; sed tribus modis supplicium eis intulisse: primùm, quòd sententia sua eos tartaro mancipavit, id est inferno: secundò, quòd catenis (ut Petrus loquitur) caliginis, id est, tristissimis vinculis eos constrictos tenet jam hoc ipso tempore, ne quò moveantur, aut quicquam moveant pręter consilium Dei, tamquam sontes quibus impendet tortoris manus: 2.Thess.1.

manus: Tertiò, quòd servantur ad judicium illud, quo plenam vindictam iræ Dei in suam impietatem & injustitiam experturi sunt. Hæc autem omnia non obscurè in sua illa sententia pronunciavit Deus, quum serpenti illi diceret, *Inimicitiam pono inter te & mulierem*, &c. Nam primùm maledictionem tartaream (ut ita dicamus) ex antecedentis versus analogia, quum Deus serpenti malediceret, intelligi omnino necesse est: secundò autem, quum inimicitias illas exerceri statuit; sed ita ut earum eventum proximè circumscriberet, futurum dicens ut semen mulieris conterat caput illius, ostendit eas catenas eáque vincula a providentia Dei in istos Angelos injecta esse, quibus & ipsi coërceantur, & actiones omnes ipsorum. Postremò autem ad judicium servari, quod futurum sit ineluctabile, illa propositio ostendit, qua semen mulieris prævaliturum sic esse dicitur, ut caput conterat illius. Cetera exempla duo binas habent partes; unam, de judicio adversus impios; alteram, de salute piorum, quorum exempla adferuntur, eáque perspicua. Nam exemplum judicii in priore historia narratur his verbis: *Prisco mundo non pepercit*, Genes. 7. diluvio in mundum impiorum inducto. Exemplum verò salutis, illis; *Octavum Noë servavit praeconem justitiæ*, ut proximè Parallelo 10. exposuimus. In tertio quoque exemplo judicium declaratur his verbis: *Civitates Sodomorum ac Gomorrhæ condemnavit, in cineres redigens subversione*, & quidem eo fine *ut aliis hominibus impiè victuris exemplo essent*. Salutis verò ad justos perventuræ exemplum in versu 7. continetur, ubi pietas justi Lot duobus nominibus singulariter cômendatur: tum quòd justè ageret; tùm verò quòd impietate, injustitia & libidine incolarum defatigaretur, & cruciaretur, ut versus 8. exegesis ampliùs ostendit. Ex his assurgit necessariò illud consectarium quod affirmat Petrus in vers. 9. nempe Dominum ab illo suo officio numquam discessurum, quo & pios liberaturus est, & impios hic puniturus, & servaturus deinceps ad diem illum, quo judicium severissimum & damnationem perlaturi sunt ex justissima sententia Dei.

Parallelus XII.

2. *Petri* 2.

15 . Isti recta via relicta aberrarunt, sequuti viam Balaam filii Bosor qui mercedem iniquitatis amavit.

16 Sed redargutionem suæ transgressionis sustinuit, jumentum brutum humana voce loquutum prohibuit illius Prophetæ dementiam.

Finis orationis hujus & argumentum per se dubium esse non potest. Historia quæ attingitur ex Numer. 22. petita est. Nam primum eam fuisse viam Balaami ipse Angelus pronunciat Numer. 22. 32. deinde mercedem iniquitatis amavisse ostendit Legationis instrumentum, Balaci promissio, & Balaami prævaricatio, Numer. 22. 7. 15. & 17. & 18. versibus. Postremò autem redargutum fuisse propter iniquitatem suam ab asina miraculosè, narrat Moses ibidem 28. versu. Quòd autem ex eo exemplo statuitur, idem futurum esse illis Atheis de quibus sermonem instituit Petrus; id necessariò concluditur a natura Dei & veritate Scripturæ ejus: quandoquidem non alia futura est

est Dei justitia in hos, quàm in illum: est enim constantissima. Scriptura verò exempla adducit ejusmodi, non ut historicè cognoscantur solùm, sed potiùs ut ad publicam doctrinam & consolationem accommodentur; quem ad finem authore Dei Spiritu antè fuisse scripta testatur Apostolus Rom. 15.

Parallelus XIII.

Proverb. 26.	2. Petri 2.
11 *Ut canis redit ad vomitum suum, ita stolidus iterat stultitiam suam.*	22 Accidit eis, quod vero proverbio dicitur; Canis reversus ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni.

Est quidem hic locus ex proverbiorum 26. sumtus, quo respexit illa appellatio τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας, qua Petrus utitur: sed cùm finis, argumentum, & accommodatio nihil obscuritatis habeat, pium Lectorem nolumus remorari in rerum planarum declaratione.

Quæ tertio capite versu 4. & 5. & 6. & 8. & 9. leguntur similiter ex veteris Testamenti locis petita sunt; nempe ex Esaiæ 5. Genes. 1. & 7. & Psalmo 90. & Ezechielis 18. Sed quia neque ex professo adducuntur loci, neque obscuritatem ullam (si accommodationem spectes) meo judicio habent, proptereà ad alios locos sumus transituri.

Parallelus XIIII.

Esaiæ 65.	2. Petri 3.
17 *Ecce ego creaturus sum cælos novos & terram novam, neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in animum, &c.*	13 Cælos autem novos terrámque novam expectamus secundùm promissum, in quibus justitia inhabitat.

Hujus propositionis utrobique finis est, ut omnes pii certa fide amplitudinem diei illius ultimi ab effectis quę prænunciat scriptura, agnoscentes, religiosè dent operam sanctis conversationibus & pietatis officiis, ut Petrus dixit versu 11. Effecta autem ponuntur duo: prius, quòd hi cæli cum stridore præteribunt, elementa æstuantia solventur, terráque & res quæ in ea sunt exurentur, omnia denique omnino colliquescent, tribus versibus antecedentibus: id est, hæc omnia, tamquā vanitati subjecta, peribunt glorioso illo adventu Christi, ut Psaltes loquutus est Psalmo 102. Alter effectus est, quòd novi cæli, nova terra, nova vrbs, nimirum venturi illius seculi, omnia denique nova piis in Christo futura sunt, ut Esaiæ 65. & 66. gravissimè promissum est: & Joannes prædicat gloriosissimè Apocalyps. 21. proculdubio innuens non cælum hoc, aut terram hanc quasi refusam; sed illud ipsum habitaculum, in quo justitia inhabitat: prout typis quamplurimis, qui tùm ex rebus naturalibus, tùm ex ceremoniis Legis sumti sunt, demonstratur duobus illis Esaię locis, itémque capitibus Apocalypseos duobus ultimis.

Cùm

Cum autem cælestis illius habitaculi conditio aliter hoc tempore exponi non possit, quàm rerum præsentium similitudine; propterea duo extrema hujus universitatis tum Esaias Propheta, tũ Petrus ex Esaia nominavit; ut typo universitatis hujus, id est, præsentis seculi, in quo nunc versamur, universitatem illam, id est, futurum seculum, in quo æternùm victuri sumus, quodammodo adumbraret. Quamobrem ridiculè, ne quid graviùs dicam, mihi videntur facere, qui ex his Scripturæ locis in curiosas quæstiones prolabuntur, quid hoc cœlo & terra futurum sit; & a figuratis his propositionibus conclusiones proprias, ut restes ex arena, nectunt, somniisque plus satis indulgent sine certis Scripturæ testimoniis, aut ædificatione fidei secundùm Deum.

Tres Epistolæ Johannis non videntur habere quod præcisè ex Testamento vetere peti oporteat, si illud exemplum Cain exceperis, quod Johannes adducit primæ suæ Epistolæ capite 3. ex Geneseos 4. Sed nolumus inaniter in perspicuis rebus pio lectori molesti esse, & actum agere.

EX EPISTOLA IVDÆ.

PARALLELUS XV.

5 Dominus, quum populum ex AEgypto liberasset, iterum eos, qui non crediderunt perdidit:

6 Et Angelos qui non servaverunt suam ipsorum originem, sed reliquerunt proprium domicilium, vinculis æternis sub caligine reservavit ad judicium diei magni.

7 Quemadmodum Sodoma & Gomorrha & civitates quæ circumstabant illas, cùm scortantes a Deo simili atque illi modo defecissent, & carnem alienam sectatæ essent, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.

Hujus sermonis quem Judas instituit finis est; quem versu 3. dixerat, ut fortiter decertent pii pro fide, quæ semel tradita est sanctis, & ab impiis caveant, qui oppugnant ipsam. Summa, religiosissimè ab illis rebus cavendum esse tamquam ab exitio horrendo, quod illos duces cæcos oppressurum est, & eos item qui sequentur ipsos. Exitii illius exempla adducit tria; primum, populi Israëlitarum, versu 5. secundum, Angelorum, versu 6: tertium denique, hominum alienorum a fide & ad fedus ipsius non pertinentium: ut ex his tribus exemplis ostenderet, neminem fore in cœlo aut terra, in federe aut extra fedus, qui manus Dei viventis effugiet si ab officio discesserit. Sed exempla aperta sunt & plana; deinde singula jam antè in nostris ante scriptis notis in Epistolam Judæ exposuimus: postremò autem de duobus posterioribus exemplis, quod satis ad hoc institutum visum est, diximus suprà Parallelo 11.

Parallelus XVI.

Zachar. 3.

1 *Posteà ostendit mihi Josuam Sacerdotem maximum stantem coram Angelo Jehovæ; & Satanam stantem ad dexteram ejus, ut adversaretur ei:*

2 *Dixit autem Jehova Satanæ, Increpet Jehova te, ò Satan; increpet, inquam, te Jehova qui elegit Jerosolyma, &c.*

Juda.

9 Michaël Archangelus quum adversus Diabolum certans disceptabat de corpore Mosis, non ausus est illi impingere notam maledictionis; sed dixit, Increpet te Dominus.

Finem hujus argumentationis ex præcedentibus omnes facilè visuri sunt. Voluit enim Apostolus per comparationem majoris ostēdere, quantæ sit & quam intolerandæ audaciæ, quòd homines impii dignitates convitiis non dubitant incessere. Summa igitur est, eum ipsum qui Michaël Archangelus, vel Angelorum Princeps appellatur, ne ipsi quidem Diabolo opus Dei sanctissimum oppugnanti maledicere: multò minus penes istos homunciones esse, ut aliis quos Deus ad dignitatem aliquam evexit, convitiis & maledictionibus molesti sint. Hic verò quæruntur duo: primùm, quid sibi hæc historia velit: alterum, unde sumta fuerit. Sententiam hujus loci plerique omnes ita acceperunt, ut Diabolum statuant laboravisse de rapiendo corpore Mosis, cujus situm esse incognitum narratur Deuter. 34. & in publicum producendo, ut eo ad nefariam idololatriam abuti posset: Archangelum autem, ut hìc appellatur, subdolis Diaboli conatibus secundùm voluntatem Dei obstitisse; tandem verò pervicacissimè instante & pugnante Diabolo non fuisse gravius proloquutum, quàm quòd eum judicio Dei permiserit, his verbis utens, *Increpet te Dominus*, & ab omni maledicto abstinens: Hujus sententiæ authorem alium non haberi hoc tempore, quàm Judam; sed olim aut scripto, aut traditione authorem aliquem unum aut plures fuisse habitos. Quam rem omnes ferè Patres uno consensu traditionibus adscripserunt, neque solùm hoc, sed ipsam quoque sepulturam ab Angelis fuisse factam ex traditione perscripserunt: ut Epiphanius apertè contra Samaritanos scripsit. Sed quum ad rem attendo diligentissimè, in dies magis confirmor in ea interpretatione quæ antè problematicè in Notis nostris ad Epistolam Judæ adducta est: nempe respicere hunc locum ad tertium caput Prophetæ Zachariæ: eum qui Michaël Archangelus appellatur, Jesum Christum esse; qui Michaël quidem Hebraica origine compositè appellatur, tamquam si dixeris, eum qui revera Deus est fortis ut Pater; Archangelus verò, quia Princeps Angelorum est, ut in ultimum Danielis caput olim annotavimus, qui idem & Angelus Jehovæ, Zachariæ 3. 1. & Jehova, versu 2. appellatur: Eum qui Diabolus hoc loco dicitur, eumdem esse qui illic appellatur Satan: corpus Mosis non propriè, sed figuratè accipi oportere; putà non de illo corpore quod in monte Nebone in vertice collis, qui situs est è regione Jerichuntis, à Deo sepultum est, ut narratur Deut. 34. 6. sed de veritate & complemento Legis à Mose datæ, cujus complementi quod est in Christo antitypus alter

fuit

fuit Josua sacerdos ille maximus, ad cujus dexteram stetit Satan ut adversaretur ei. Est enim corpus Mosis, idem corpus quod Moses prædixit Lege & præsignificavit ceremoniis, idémque corpus quod postea temporibus Zachariæ Josua sacerdos maximus adumbravit, ut ibi legitur. Neque est cur objiciat quisquam, deminui hoc pacto de authoritate Christi, si dicitur non fuisse ausus Satanam maledicto configere. Nam hoc eadem ratione sanctè prædicari de Christo potuit a Juda, & sanctè potest à nobis accipi, qua Zacharias dixit Jehovam ipsum dixisse Satanæ, *Jehova te increpet*. Etenim utroque in loco ita spectanda est persona Christi, ut eam consideremus fungentem Mediatoris partes, quà verus Deus est & verus homo in unitate personæ: quas partes quia accepit a Deo & Patre, ita perfungitur, ut œconomice, id est, prout à Patre accepit, exsequatur voluntatem ejus, non secundùm potentiam illam suam absolutè, quam habet ut Deus æternus & coëssentialis Patri & Spiritui sancto: sed secundùm eam potentiæ suæ œconomiam, quam ut mediator à Patre habet ad implendum redemtionem nostram, eáque omnia perficienda, quæ ad eam spectare viderentur. Si qui plura desideraverint à nobis, eas notas per nos licet consulant; quas ante annos aliquot in Epistolam Judæ edidimus.

Quæ sequuntur versu 11. adeò sunt perspicua, ut nulla interpretatione egeant. Nam impietas istorum de quibus agit Apostolus & exitium ex impietate superventurum, tribus similibus ostenditur, Cain, Balaam, & Core, quorum historia est in vulgo notissima; & quorum pars jam antè a nobis fuit explicata.

Ex his quoque locis unus adducitur Apocalyp. 2. 14. depromtus ex historia Balaami Numer. 24. & 25. sed quia illa historia tota, & duo crimina illa Balaami, quòd Israëlitas ad idololatriam, & ad scortationem de consilio ejus Rex Balac adduxerit, optimè in iis locis à Mose expressa sunt, & à nobis quàm evidentissimè demonstrata in altera editione veteris Testamenti nostra; ne actum agamus, ab istarum rerum explicatione supersedebimus. Ceterùm sunt quidem innumeræ voces, sententiæ multæ, argumenta non pauca in toto libro Apocalypseos, quæ Testamentum vetus redolent dignitate maxima: sed eorum interpretatio mihi quidem non videtur hujus loci esse: tum quia non adducuntur nominatim Scripturæ loci, aut profertur authoritas aliqua una, unde illi depromti sunt; sed plurimùm bini, terni, aut plures loci unà consuuntur artificio elegantissimo: tùm verò quia si quis hoc instituerit, eum necesse fuerit aggredi totius libri Apocalypseos interpretationem. Quam rem neque spopondimus hoc instituto nostro, neque spondemus in posterum; accuratiorem illius libri investigationem iis committentes, qui plus eruditione valent, judicióque & quibus præterea singularis aliqua Spiritus divini gratia ad institutum illud accesserit. Nam utrumque opus esse arbitramur ad justam illius libri explicationem. Tu verò, Domine Jesu, veni, & fac. Amen.

FINIS.